1/2 cloth

# LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

HISTORIARUM LIBRI DECEM

# LITUANICARUM

## SOCIETATIS JESU

## HISTORIARUM LIBRI DECEM

AUCTORE

**STANISLAO ROSTOWSKI**

RECOGNOSCENTE

JOANNE MARTINOV

EJUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERIS



PARISIIS
Apud VICTOREM PALMÉ
25, Via dicta Grenelle St-Germain, 25.

BRUXELLIS
Apud G. LEBROCQUY
5, Via dicta de Louvain, 5.

JUXTA EXEMPLAR RARISSIMUM EDITIONIS VILNENSIS AN. MDCCLXVIII

1877

BRUXELLIS. — TYPIS ALFREDI VROMANT.

# PRÆFATIO EDITORIS

Quum ipsemet Auctor in fronte operis lectorem scitu necessaria monuerit, præmissa insuper epistola dedicatoria nomine totius provinciae Lithuanæ ad RR. ecclesiarum Antistites data, equidem merito existimarem me a præfandi munere esse liberatum, nisi aliud suaderet novæ hujus editionis a me recognitæ ratio, quæ saltem ut paucis declaretur oportet.

Origo itaque hujus secundæ editionis inde est. Proposuerat sibi P. Augustus Carayon ( qui de Societatis nostræ historia illustranda simul et vindicanda optime meruit) præclarum quoque Stanislai Rostowski librum in lucem iterum edere ac veluti ad vitam revocare ; jamque ad operam se præcinxerat, cum morbo confectus ad meliorem vitam, ut sperandum, evocatus est. Unde conceptum negotium, in annos integros dilatum, nonnisi ultimis his temporibus reassumi ac tandem in opus deduci potuit.

Porro cum ejusdem perficiendi provincia mihi proponeretur, eam ne abnuerem, licet aliis curis distentus, plures movebant rationes. In primis vero ipsius operis præstantia, tot tamque gravibus testimoniis comprobata, ut nihil dicatur de mira voluminis raritate, quæ jam tanta est ut apud bibliopolas nusquam compareat, immo in Occidentis partibus fere ignoretur.

Accedebat et pietas in matrem, Religionem nimirum meam, cujus honorem ac famam in *Historiis Lithuanicis* videbam luculenter commendari ; præjudicia vero criminationesque innumeras quibus minima nostra Societas, pro nomine JESU quo insignita est, continenter impetitur, ibidem sentiebam non tam verbis convelli, quam factis præclare gestis.

Suadebat quoque natura argumenti sæpe sæpius versantis in rebus Ruthenorum, mihi quidem peculiari jure gratissimis nec unquam ad satietatem exploratis.

Jam si me de Auctoris vita perconteris, latere me illam fere omnem ingenue fatebor; quæ tamen pauca reperi, libenter communico. « P. Stanislaus Rostowski, Masovita, natus anno 1711 die 13 mensis Novembris, Societatem Jesu ingressus Vilnæ, virtutibus conjunxit litterarum studium indefessum, ut in hoc etiam palmam aliis præriperet, præsertim in rhetoricis et poeticis. Studio theologiæ scholasticæ absoluto, quatuor vota professus est. Docuit rhetoricam Societatis per plures annos. Huic debemus discipulum in rhetorica Societatis, amplissimum virum totoque orbe terrarum celebratissimum, admodum R. P. Nostrum Stanislaum Czerniewicz vicarium generalem Societatis Jesu. Scripsit P. Rostowski *Historiam Societatis in Lithuania*, non minus a latinitate quam a stylo concinne elaboratam. Tempore abolitionis Societatis communi cum aliis Vilnæ procella involutus mansit ibidem in Collegio nostro per annos aliquot ; deinde missis ad A. R. P. N. Stanislaum Czerniewicz tum provincialem litteris humillimis pro sua susceptione ad Societatem compos factus voti venit Polociam. Atque quietus cum aliis, demissus omnibus, deditus orationi et lectioni continuæ vixit, obiitque sacramentis munitus anno 1784, mense februario. » Hæc totidem verbis in *Compendiis* mss. Vitarum defunctorum Collegii Polocensis ab anno 1749 ad annum 1815.

Jamvero quod ad rationem novæ hujus editionis attinet, illud mihi præ oculis fuit, ut editionis Vilnensis anni 1768 textum redderem genuinum, servata ipsa nominum quorumdam orthographia, nobis quidem minus probabili, Auctori vero aliisque scriptoribus Polonis ejusdem ætatis fere solemni. Titulum solum operi inscripsi aliquatenus diversum (1). Quum enim Stanislaus Rostowski vulgaverit tantummodo primam Historiarum partem, in decem libros totidemque annorum decades distributam, nec spes affulgeat eam unquam esse complendam ;

(1) Prioris editionis titulus est hic : *Lituanicarum Societatis Jesu historiarum provincialium pars prima, auctore Stanislao Rostowski, ex eadem Societate et provincia sacerdote. MDCCLXIIX.* Vilnæ, typis S. R. M. et Reipublicæ academicis Societatis Jesu. (VI et 520 pag. in fol°) — Complectitur autem hæc pars res primo in provincia Societatis Lithuana sæculo, id est ab anno 1564 ad annum 1664 inclusive, gestas.

idcirco sublatis vocibus *prima pars* posui : *libri decem*, quo clarius indicetur præsenti volumine contineri integrum quid et completum, minime vero dimidiatum aut mancum. Omisi etiam vocem *provincialium*, ut redundantem.

Ad hæc, in Appendice desiderari nonnulla documenta fatetur ipsemet Auctor, omissionis culpam in typographos rejiciens (p. 401). Quæ jactura ut aliqua saltem ratione reparetur, additus est a me, ad instar supplementi (p. 445 et seq.) *Discursus pro Ruthenis Unitis*, auctore V. P. Nicolao Lancicio, e nostra Societate, hactenus nondum vulgatus.

Conscripsit illum Lancicius anno 1633, respondens ad quæstiones nomine Vladislai IV regis sibi propositas. Scribendi autem occasio fuit hæc. Mortuo Sigismundo III, Vladislai parente, anno 1632, in comitiis pro eligendo successore convocatis Varsaviæ subscripta fuerat in gratiam non-unitorum quædam conventio, vulgo *Puncta pacificationis* dicta, qua Ecclesiæ Ruthenæ jura graviter lædebantur. Anno sequenti, *Puncta* illa fuerunt confirmata in comitiis coronationis, ac regio diplomate sancita, quantumvis reclamarent episcopi universi utriusque ritus, præeunte Nuntio apostolico. Verum antequam decreta in praxim deducerentur, consultos voluit rex theologos insigniores. Hos inter erat P. Lancicius, tum provinciæ Lithuanæ præpositus ; qui sententiam suam dixit in *Discursu pro Ruthenis Unitis*, ubi Ecclesiæ jura strenue docteque propugnavit. Nec aliud judicium tulerunt theologi romani qui Urbani VIII jussu rem totam serio expenderant. Prævaluit tamen sententia contraria, non quod argumentis solidioribus niteretur, sed quia præplacebat regi ejusque consiliariis, quorum unus e præcipuis erat P. Valerianus Magnus, capucinus, deinceps ad cardinalatum propositus a rege. Jamvero *Discursum* istum esse Lancicii opus genuinum testatur tum codex mss. ejus nomine insignitus (1), tum ipsamet scriptionis indoles, simplex et ingenua, qualem scil. exhibent cætera ejusdem auctoris opera ; tum denique *Monita* ejus octo, quæ et eodem fere tempore sunt conscripta, et in argumento versantur non absimili, nempe in immunitate ecclesiastica contra quosdam *politicos* tuenda.

Præter *Discursum* accesserunt alia quædam minoris momenti additamenta, nimirum duplex catalogus Patrum e provincia Lithuana qui quatuor vota solemnia erant professi : chronologicus alter, alter secundum litterarum seriem digestus. Confeci utrumque ex codice tribus voluminibus in 4° constante atque plus tercenta

(1) Codex ille asservatur in tabulario S. Congreg. de propag. fide, titulumque præfert sequentem : *Discursus pro Ruthenis Unitis R. P. Nicolai Lancicii, Provincialis in M. D. Lithuaniæ.*

ejusdem formulæ exemplaria autographa continente; inter quæ exemplar Beati martyris Andreæ Bobola manu exaratum, cujus ectypon a calligrapho Brugensi fideliter repræsentatum reperies ad pag. 384. Cimelium istud, quod teste Rostovio (p.360) servabatur olim in tabulario Lithuaniæ provinciali, offendit in Germania apud quemdam antiquarum rerum venditorem Illmus ac Rmus D. Amatus Boone, canonicus Brugensis et cubicularius Suæ Sanctitatis, emptumque Patribus domus nostræ Brugensis liberalissime donavit.

Præterea duplicem adjeci indicem, quorum alter præfert nomina auctorum in Historia citatorum; alter geographicus est atque ab indice analytico (qui notabiliter auctus prodit) omnino distinctus. Denique tabellam geographicam provinciæ nostræ Lithuanæ accurate delineatam apposui, tum in gratiam lectorum præsertim occidentalium quibus regiones illæ minus innotescunt, tum ea etiam intentione ut alius quis pro universa Societate Jesu, toto orbe terrarum diffusa, præstare valeat, quod pro unica provincia a me tentatum est qualitercumque.

Verum hæc ita monuisse sufficiat. Nam ut præclarum hoc Rostovii opus apud benevolos lectores gratiam inveniat, non editoris commendatione, sed lectione maxime opus est. Legant igitur et fruantur.

J. Martinov.

AD CELSISSIMOS, ILLUSTRISSIMOS, REVERENDISSIMOS

# DOMINOS

POSNANIENSIS, PLOCENSIS, LUCEORIENSIS, LIVONIENSIS, VILNENSIS, VARMIENSIS, SAMOGITIENSIS, SMOLENSCENSIS DIŒCESIUM

# EPISCOPOS

Jam duo amplius sæcula sunt, Pontifices Illustrissimi, cum operarios, a nata nuper B. Ignatii religiosa familia recentes, ad vineam Domini, in vestris repastinandam provinciis, multis illam ea tempestate locis vel incultam, vel per exitiabiles advenarum hæreticorum fraudes jam diu silvescentem, ab Italia, Germania, Belgio conduxistis, novamque sobolem, non istis ante cognitam gentibus, paternum in modum complexi, per municipia dispositam et colonias, vestris ornatam beneficiis, communitam præsidiis, regibus et populo commendastis. Sic accepti, quid vestro deinceps illi ductu egerint et imperiis : quos vestra per ipsos pietas gentiles Lituanorum, Russorum, Samogitarum, Livonum, Curonum deos, in lucis adhuc furtim a plebe cultos, e quercubus suis et aris ad orcum egerit præcipites : quos deinde quam immanes hæreticorum cyclopes, unde et quo nescio delatos huc turbine, proruerit, profligaverit : quibus viis, abactorum errabundos vestigiis, greges ad pastores suos et pascua salutaria reduxerit, et cæteras hujus generis domi, peregre, et interdum militiæ, res primo nostro sæculo per

vos nostris gestas ministeriis, a majoribus nostris scripto traditas, narramus. De variis subinde commemoramus civilium rerum tempestatibus ; unde lector intelligat, qui aliquando in patria nostra fuerit Ecclesiæ status : qui tum inclinatas religionis vel reipublicæ partes antistites boni et principes industriis, consiliis, opibus sustinuerint : qui denique in templis, aulis, scholis, castris, pagis et urbibus nostrorum usus fuerit Sociorum. Hæc et hujus generis alia, in unum collecta, ad vos antistites nostros ac principes de pristino in vestris provinciis religionis statu : ad vos senatores, patriæ patres, nonnulla de republica ; ad vos satores Ordinis nostri et conservatores pios de rebus nostræ Societatis, sæculo primo in hac provincia gestis, conferimus. Quam officiorum et voluntatis nostræ professionem, atque cum hac Societatem universam, tanta benevolentia, precamur, accipite, et acceptam porro fovete, quanta benignitate sanctissimi majores vestri primos advenas, patres nostros, in hanc provinciam collegerint, collectos suis munierint præsidiis, munitos foverint beneficiis. Id orat suppliciter

minima Jesu Societas in provincia Lituanica.

# AD LECTOREM BENEVOLUM

Secundus a Nicolao Orlandino Historiarum Societatis scriptor, Franciscus Sacchinus, cum in proposito sibi opere persequenda videret pene infinita, si principum etiam munificorum præclara in Societatem merita laudaret singulorum, hæsit in difficili negotio ; « optatissimum, deinde inquit, nobis esset, « appellare singillatim, et merita laude prosequi tot collegiorum ac domorum « illustrissimos fundatores, si sineret, quam necessario consectamur, brevitas. « Et erit aliquando fortasse tempus, cum provincia quælibet Societatis pro- « priam ac peculiarem rerum suarum et domiciliorum historiam conscribet, « id quod nonnullæ jam præstiterunt : ubi hæc omnia fuse ac minutatim expo- « nentur, et unde poterit emendari ac suppleri, si quid in exponendis colle- « giorum natalibus, locis, nominibus ipsis erratum est ; ut proclive fuit in « tanta regionum varietate ac longinquitate. *Illud interim possumus affir-* « *mare, antiquissimum semper fuisse conditori Societatis, ut gratum ac* « *memorem animum erga bene de nobis meritos testaremur* (L. XV, n. 32). »
En causam scriptionis nostræ principem. Neque interim sic attenti sumus ad beneficia in nos collata et munificorum laudes principum, quin patriæ etiam, communis parentis nostræ, recordemur. Sæpe, ac prius, quam inceptemus nostra, qui fuerit certis tempestatibus Reipublicæ status, e patriis historicorum monumentis narramus; ut hinc quoque intelligas, cur Socii aut pace fruerentur communiter, aut jactarentur cum civibus pariter. Injurias inter ea, Ecclesiæ catholicæ in his provinciis illatas ab hæreticis, non omittimus : neque fraudes suas, turbas, maleficia, cædes, sacrilegia, multorum jam ante pervulgata scriptis, præterimus silentio. Si quid forte acerbius in sua dictum facinora, majorum id ipsi suorum utique meritis, non sibi innocentes assignabunt. Inde de rebus nostris : quas in colonias hoc sæculo missi Socii, quid boni malive egerint aut toleraverint : qui denique vitæ officiis cum laude sunt defuncti.

Habes, lector benevole, libelli nostri et causas et summam. Quidquid in hoc nostri est officii, precamur uti boni consulas, sermonis nostri clementer excuses vitia, *menda* denique, *ad ipsum libri calcem rejecta, animadvertas corrigenda.*

## APPROBATIO

Anno Domini 1766, die 30 junii, *Historiarum Lituanicarum Provincialium Societatis Jesu*, ad notas Censorum Romanorum scriptam, nobis una cum notis in scheda exhibitis, et connotatis a nobis diligenter revisam, partem primam imprimi posse, censemus. Itaque imprimatur. Actum Vilnæ, ut supra.

Alexander Horain, Episcopus Hirenensis, Referendarius M. D. Lituaniæ, Archidiaconus Cathedr. Vilnensis, librorum Censor.

---

Cum librum cui titulus : *Lituanicarum Societatis Jesu Historiarum Provincialium* pars prima auctore Stanislao Rostowski, ex eadem Societate et Provincia sacerdote, tum illustrissimus reverendissimus Episcopus Hirenensis, librorum in diœcesi Vilnensi Censor, tum aliquot e Societate nostra theologi, Romæ ad id ab admodum R. P. nostro Præposito Generali Laurentio Ricci destinati, recognoverint, atque in lucem edi posse probaverint, ego quoque ex officio meo comprobo. Vilnæ, 1767, kalendis septembris.

Antonius Skorulski, Præpositus Societatis Provincialis in Lituania.

## PROFESSIO AUCTORIS

Quæcumque narrantur in hac *Historiarum* parte prima de virorum illustrium quorumdam virtutibus aut miraculis, et si qua alia referuntur quæ vim aut conditionem naturæ ullo modo excedere videantur, ea scriptor ita vult intelligi, ut profecta a privata duntaxat auctoritate, nec fidem humana majorem promerentia : quod, Urbani VIII decretis insistens, profitetur, ut S. Romanæ Ecclesiæ, cujus est de his rebus judicium ferre, suum præstet officium ac reverentiam.

# ELENCHUS AUCTORUM

QUORUM TESTIMONIA IN HOC OPERE CITANTUR.

*Alegambe*, Philip. S. J. Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu etc. ad an. 1642. Antverpiæ, 1643.

*Allatius*, Leo, Apes Urbanæ. Romæ, 1645. V. p. 340.

*Balbinus*, Bohuslaus, S. J. Vita V. P. Nicolai Lancicii e S. J. compendiosius scripta primum a R. P. Casimiro Wijuk Kojalowicz S.J., nunc vero curis secundis revisa, denuo conscripta et plus quam dimidia parte aucta a P. Boh. Balbino. Pragæ, 1690.

*Baronius*, Cæsar, card. Annales ecclesiastici. Romæ, 1581. — Martyrologium Romanum Antverp. 1613.

*Bartoli*, Daniel, S. J. Della vita e miracoli de B. Stanislao Kostka etc. Romæ, 1670. Polonice facta a P. Joanne Tylkowski. V. Tylkowski.

*Becanus*, Martinus, S. J. Manuale controversiarum hujus temporis in quinque libros distributum. Antverp. 1624. Compendium Manualis Controversiarum hujus temporis de fide et religione. Moguntiæ, 1625 (In supplemento).

*Bellarminus*, Robert. cardin. S. J. Disputationes de Controversiis fidei etc. Ingolstadii, 1581.

*Bembus*, Matthæus, S. J. Wizerunek prawdziwego szlachtica etc. (Imago veri nobilis in concione tempore funeris Andreæ Bobola subcamer. Pilsnensis), Cracoviæ, 1617.

*Bielski*, Martinus. Chronica. Cracoviæ, 1597.

*Binet*, Stephan., S. J. Vie de S. Stanislas Kostka. Paris, 1622.

*Bodinus* Joan. De republica ed. lat. 1586. V. Possevinus.

*Bosius*, Thomas. De signis Eccl. Romæ, 1591.

*Brictius*, Joannes, S. J. Vita V. P. Thomæ de Rupniew Ujiejski, primum episc. Kioviens., dein religiosi S. J. Brunsbergæ, 1706.

*Bullenger*, Jul. Cæsar, Lodunensis, Historiarum sui temporis libri tredecim etc. Lugduni, 1619.

*Cherubini*, Bullarium. V. p. 59.

*Ciaconius*, Alphonsus, Vitæ et res Pontificum Romanor. et S.R. E Cardinalium Romæ 1630. V. Oldoinus.

*Ciaritius*, Michael. Historia imaginis B. V. Lindensis. P. 296.

*Cichocki*, Gaspar. Alloquiorum Osiecensium seu variorum familiarium sermonum libri quinque. Cracov. 1615.

*Clagius* (Klage) Thomas, Allensteinensis, S. J. Linda Mariana, sive deB. V. Lindensi seu ad S. Tiliam, in diœcesi Varmiensi, sub cura PP. S. J. miraculis clarissima, libri quinque. Coloniæ Ubiorum, 1659.

*Cnogler* (Knogler) Quirinus. Theatrum

S. Casimiri in quo ipsius prosapia, vita, miracula et illustris pompa in solemni ejusdem apotheoseos instauratione Vilnæ, Lituaniæ metropoli, an. D. 1604 instituta.

*Du Saussay*, Andr. Libri de scriptor. eccles. Bellarmini continuatio. Toul. 1665.

*Erythræus*, Janus Nicius (pseudonymus Joannis Victoris Rossi). Exempla virtutum et vitiorum. Coloniæ, 1676.

*Facius* (Fatius), Julius, S. J. Litteræ circulares occasione demortui B. Stanislaii Kostka scriptæ.

*Gornicki*, Lucas. Dzieje w Koronie polkiey od roku 1538 do roku. 1572. (Res in regno Poloniæ gestæ ab an. 1538 ad an. 1572) Cracoviæ, 1637.

*Hartknoch*, Christophorus. Respublica polonica duobus libris illustrata. Francforti et Lips. 1687.

*Henneberger*, Gaspar. p. 296. Tabulæ pruthenicæ expositio (Erklärung der preussischen grossen Landtafel). Königsberg, 1595 in fol. V. p. 296.

*Hosius*, Stanislaus, card. Catholici cujusdam et orthodoxi censura. Coloniæ, 1565. De judicio et censura ministrorum Tigurinorum et Heidelbergensium de dogmate contra adorandam Trinitatem in Polonia nuper sparso. Oper. t. II, p 169 ed. Coloniæ, 1584.

*Kobierzycki*, Stanisl. Historia Vladislai Poloniæ et Sueciæ principis, usque ad excessum Sigismundi III regis. Dantisci, 1655.

*Kochowski*, Vespas. Annalium Poloniæ Climacteres etc. Cracov. 1683-1688.

*Kojalowicz*, Albert. S. J. Miscellanea rerum ad statum ecclesiasticum M. D. Lituaniæ pertinentium. Vilnæ, 1650.

— Casimirus, S. J. Vita V. P. Nicolai Lancicii. v. Balbinus.

*Lancicius* (Lenczycki), Nicolaus, S. J. Discursus pro Ruthenis Unitis (in Supplem).

*Leo*, Joannes, can. Gutstadensis. Historia Prussiæ. p. 2. 6. 11 22 et passim.

*Lubienski*, Stanisl., ep. Plocensis. Series, vitæ, res gestæ epp. Plocensium. Cracoviæ, 1642.

*Menczynski*, Albert., S. J. Litteræ e Japonia missæ. Cf. Vita et mors gloriose suscepta, ab Alb. Mencinski etc. Metis 1858.

*Musartius*, Carolus, V. J. Vita B. Stanislai Kostka.

*Naramowski*, Adam., S. J. Facies rerum Sarmaticarum etc... duobus libris succincte expressa. Vratislaviæ, 1724; Vilnæ, annis 1724 et 1726.

*Niesiecki*, Gaspar, S J. Korona polska etc. 4 vol. in fol. Leopoli, 1728–1743. Idem sub titulo : Herbarz polski (Liber stemmatum polonorum etc). 10 vol. in 8°. Posnaniæ, 1839.

*Niederndorf*, Henricus, S. J. Generalis geographia cosmica, mathematica, naturalis, politica etc. IV libris comprehensa. Wirceburgi 1739.

*Oldoinus*, Augustin., S. J. Vitæ et res Pontif. Romanorum et S. R. E. Cardinalium usque ad Clementem IX, Alphonsi Ciaconii O. Pr. et aliorum opera descriptæ. Romæ, 1677.

*Orlandinus*, Petrus, S. J. Historiæ Soc. Jesu pars prima Romæ, 1615. Opus editum a P. Sacchino.

*Orléans* (d'), Petrus Jos. S. J. Vie du B. Stanislas Kostka, novice de la Cie de Jésus. Paris, 1672 et 1712.

*Orzechowski* (Orichovius), Stanisl. Dialogus 6 de Executione ed. 1654.

*Pallavicini*, Sfortia, card. S. J. Vindicationes Soc. Jesu. Romæ, 1649.

*Piasecki*, Paulus, ep. Premysl. Chronicon gestorum in Europa singularium accurate ac fideliter conscripta ad an. 1648. Cracoviæ 1649. in fol.

*Pistorius*, Joan., Poloniæ historiæ corpus. Basileæ, 1582.

*Polancus*, Jacobus, S. J. Epistolæ.

*Possevinus*, Anton. S. J. Moscovia. Vilnæ, 1586. De libro Joan. Bodini de Republica Cautio. Romæ, 1592.

*Poszakowski*, Joannes S. J. Kalendarium jesuiticum majus etc. Vilnæ, 1740.

***Pruszcz***, Petr. Hyacinthus. Forteca monarchow i calego Krolewstwa polskiego duchowna. Cracoviæ, 1737. Ed. princeps an. 1662.

***Rescius***, Stanislaus. Spongia qua absterguntur convitia equitis poloni contra jesuitas. Cracoviæ, 1590. — Cætera opera enumerantur Hist. L. 1, p. 74.

***Rywocki***, Joan. S. J. (p. 407). Triumphus quem D. Casimiro principi Vladislaus IV mausolei dedicatione an. 1636 augusti XIV die Vilnæ exhibuit. Vilnæ, 1637. Cf. p. 428.

***Sacchinus***, Francisc. S. J. V. Orlandinus. Vita B. Stanislai Kostka poloni e Soc. Jesu. Ingolstadii, 1609 et 1611.

***Sarbievius***, Mathias, S. J. Sacra Lithothesis in primo templi Coll. Crosensis inchoatione. Vilnæ, 1621.

***Skarga***, Petrus, S. J. Vitæ sanctorum V. et N. Testamenti. Vilnæ, 1579. Antequam prodiret opus P. Rostowski, exstabant jam Vitarum editiones 16, et fere totidem postea. Conciones pro diebus dominicis etc. Cracov., 1691. (latine) Conciones diversis occasionibus habitæ. Cracov. 1610. Proba zakonu S. J. (i.e. Examen Soc. J.) Cracov. 1609. Synod Brzeski i jego obrona (Synodus Brestensis ejusque defensio). Cracoviæ, 1597. Cf. p. 429.

***Sotuellus*** (Southwell), Nathanael, S. J. Bibliotheca scriptorum S. J. producta ad an. jubilæi 1675. Romæ, 1676.

***Strarowolski***, Simon, Monumenta. Cracov. 1665.

***Susza***, Jacobus, ep. Chelmensis. p 275.321. Cursus vitæ et certamen martyrii B. Josaphat Kuncevicii arch. Poloc. Romæ, 1665.

***Svencicki***, Andreas, p. 85. Vita Andreæ Noskowski, ep. Vilnensis. Varsaviæ, 1647.

***Tannerus***, Mathias, S. J. Societas Jesu usque ad sanguinem et vitæ profusionem militans. Pragæ, 1675. — Societas Jesu apostolorum imitatrix. Pragæ, 1694.

***Thuanus*** (De Thou), Jac. Aug., Historia universal. Basil. 1742.

***Tursellinus*** (Torsellino), Horatius. S. J. Lauretanæ Historiæ libri quinque. Romæ, 1598.

***Tylkowski***, Albert. S. J. De Vita et miraculis S. Stan. Kostka, auctore P. Daniele Bartoli polonice edita. Vilnæ 1674 et 1727.

***Varszewicki***, Stanisl. S. J. Vita Stanislai Kostka.

***Vassenberg***, Everhardus. Gestorum Vladislai IV gloriosissimi et invictissimi Poloniæ et Succiæ regis, pars prima principem, pars secunda regem panegyrice representans. Gedani, 1649.

***Venslawski***, Victor victus. p. 396.

***Victorellus***, Andreas. p. 340. V. Allatius.

***Vigilantius*** (vulgo Samboritanus), Gregorius. Iter Romanum Stanislai carmine descriptum. V. p 17 in nota.

***Zelenievicius***, Joannes. Memorabilis victoria de Scheremeto ad Cudnoviam. p. 391.


BADOUREAU

# TABULA

## PROVINCIAE LITUANICAE S.J. (1564-1664)




Gravé par Erhard

Imp. Monrocq.

Nota *Littera* C *indicat Collegium* , M.*Missionem* ,N *Noviciatum* , R *Residentiam* , S *Stationem* *et numerus* 3. *Tertium annum probationis*.

LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER PRIMUS

(1564 — 1570)

Una, duo prope sæcula, communis in Lituania, Masovia, Varmia, Russia, Samogitia, Prussia, Livonia, Curlandia, Polessia, Subsylvania, Sociorum Provincia, anno demum 1759, Præposito Societatis hujus Generali decimo octavo, Laurentio Riccio, in Masoviticam ita divisa et Lituanicam, ut hæc quidem, veteris sui nominis retinens, Vilnæ, Grodnæ, Novogrodeci, Caunæ, Slonimi, Zodiscis, in Lituania : Brunsbergæ, Resselii, Lindæ, in Varmia : Regiomonti, Tylsæ, in Prussia : Crosis, Possavii, in Samogitia : Duneburgi, Illuxtæ, in Livonia : Mittaviæ, Schonbergæ, in Curlandia ; Masovitica vero, ita a principe in Masovia domicilio Sociorum Varsaviensi hodie nuncupata, Varsaviæ, Pultoviæ, Lomsæ, Plociæ, in Masovià : Polociæ, Nesvisii, Orsæ, Sluciæ, Minsci, Vitebsci, Mscislaviæ, Mohiloviæ, Bobruisci, in Russia : Pinsci, in Polessia : Drohicini, in Subsylvania, ut minores utriusque provinciæ colonias omittamus, quingentos amplius, parem utraque Sociorum numerum, complectatur (1). Utriusque nos, quoad communis res primo fuerit sæculo, historiam communem scribimus; libris decem annorum decades, ab ortu Societatis in his provinciis, singulas complexi singulis : Procemium. Operis

(1) Hist. communis duarum hodie provinciarum.

instituti ratio. idque eo nostro consilio, ut tum beneficiorum, a Deo in nos collatorum, gratæque voluntatis nostræ monumentum aliquod vel in his exstet pagellis : tum superiorum, quæ memorabimus, exemplis, patriis maxime illis ac domesticis, bonis quidem ad imitationem, malis ad cautionem, excitemur. Quam ob rem hæc partim ex universæ Societatis historia verbis exscribimus nostris, partim, ab hujus scriptoribus omissa, e provinciali tabulario diuturnisque tenebris in lucem proferimus (1). Quod ipsum studium nostrum opellamque hanc ut Deus Optimus Maximus grata et accepta habeat, per eam benignitatem suam et providentiam, qua familiam hanc, suo JESU insignitam nomine, in hac provincia condidit et gubernat, precamur.

NARRATIO. De rebus ergo Societatis Jesu, in Lituanica gestis provincia, narraturus ab exordio, repetendam in primis censeo superiorum memoriam temporum; quibus novarum in Ecclesia rerum magistri et molitores, e scholis Arii, Photii, Zvinglii, Luteri, Calvini, quoquoversus dimissi, per stragem religionis catholicæ, religionis

1. Initia relig. christianæ in Lituania. Olgerdo Lituaniæ (2) principe, vixdum orientis, deinde ab Olgerdi filio, Vladislao Jagellone (3), Polonorum rege, Lituanorum duce, item christiano, suis exemplis genti commendatæ, indeque magno studio per apostolicos viros, e familiis maxime divorum Dominici et Francisci religiosos, propagatæ, grassarentur; hæc enim princeps causa, cur a religiosissimis Pontificibus, munus suum adversus crescentem in dies malorum magnitudinem ægre sustinentibus, in partem laborum vocaremur. Altera, cum hac conjunctissima, ratio : quod cives in summa rerum divinarum et humanarum ignoratione versabantur, neque gymnasium excolendæ juventuti erat ullum ; ut propterea oporteret scholas quæri peregre, magno domesticæ rei dispendio, majore corrumpendæ indolis bonæ periculo ; neque tum enim in Germaniam, aliove mitti adolescentes tutum erat, pestiferos passim vulgantibus morbos hæreticorum magisteriis. Experti multis suis id damnis nostrates, Cracovienses maxime academici (4); quare, auctore inprimis Sigismundo I Poloniæ rege, lege in Comitiis generalibus (an. 1541) cautum, ne juvenes litterarum causa ad hæreticorum scholas mitterentur : si qui ad sectam, a catholica religione alienam, transfugerint, moti suis locis, atque ex Equestri etiam Ordine exturbati,

(1) Nonnulla, quæ ad rem propositam faciunt, vide in Appendiculis librorum singulis.—(2) Olgerdus baptismo initiatus ann. circ. 1330. Vid. Miscellanea Kojalovicii, pag. 37. — (3) Anno 1401, Vilnæ in Comitiis generalibus Lituani catholicam professi religionem. Idem an. 1413 apud Horodlam confirmarunt. Vid. Vol. I legum, p. 69. De initiis christianæ religionis, vide hic num. 15 : Religionis et rei litterariæ status in Lituania et vicinis provinciis. — (4) Vid. Hartknoch de Republ. et Joannem Leo in Historia Prussiæ, pag. 457.

eas sustinerent pœnas, quæ proditoribus patriæ forent constitutæ. Valuit utcunque, in ista gentis libertate, ad prima successoris in regnum Augusti I tempora, ejus legis sanctitas. Momentis deinde minimis inclinationes temporum factæ sunt maximæ. Quando quidem de nostris ipsorum rebus narramus, dicere nihil attinet, qui alibi tempestate illa status religionis et bonarum fuerit artium; longum sit, si vel propiora Lituanis, magisque domestica, percurramus.

Prussorum et Livonum ab Ecclesia defectio.

Prussia in primis et Livonia, a primis jam inde heroicis Crucigerorum temporibus conjunctæ secum legibus, magisteriis, et religionis catholicæ professione præcipua, provinciæ; deinde, Casimiro III rege, ad Polonorum rempublicam aggregatæ; Sigismundo denique primo, ab Ecclesia et virtute sua ac dignitate pristina defecere. In utramque intulit se hæresis Luteranica, cunctaque pariter divina humanaque permiscuit. Annum circiter 1520, administrante Prussiam Frederico, Ordinis Theutonici, a crucibus gerendis nuncupati, Magistro, a Germanis, cum isto duce suo advenis, disciplinæ hominibus Luteranicæ, Prutenica gens, simplex adhuc et integra, corrumpi cœpit exemplis religionum morumque peregrinis; condidicit jam tum, magistris novis, Andrea Osiandro (1) maxime et Joanne Koppio Efrordiensi medico, fallere, pejerare, helluari, digladiari: dies nec esuriales observare nec festos: ritus sacros et sacramenta et Pontificem Romanum et Ecclesiam catholicam et Cœlites execrari: nihil omnino pensi neque divina neque humana habere. Exempla vicinorum proclive fuit mala capere (2) Culmensibus, Pomesaniis, Sambiensibus; suis maxime pastoribus vel dissimulantibus, vel etiam conniventibus: in primis Joanne VI Culmensium, Gerardo II Pomesaniorum, Sambiorum Georgio. His Ecclesiarum Prutenicarum Præsidibus, cives ad opiniones Borussorum et mores, contagione serpente latius, abiere. Eadem Livonum et Curlandorum conditio, ut qui pariter Crucigerorum magisteriis agerentur: conjuncti jam olim cum Theutonibus; Crucigerorum quidem in Prussia Hermano Saltza, Thuringo, vel, qui huic mortuo successit mox (an. 1238), Pompone, in Livonia autem Hermano Balck, Provincialibus Magistris. Primos ex Ordine Crucigerorum aiunt Luteranicis perversos fraudibus, Henricum, et hujus in provincialibus officiis adjutorem, Guilhelmum Furstembergum; atque hunc quidem civitates Livonicas pessime corrupisse; vexasse modis indignissimis constantem catholicæ in Livonia religionis defensorem, archiepiscopum Rigensem, Guilhelmum; commovisse propterea vindicis Sigismundi Augusti regis Polonici arma;

Livones conjuncti cum Prutenis.

Livonum corruptor Magister perduellis captus.

(1) Joan. Leonis Historia Prussiæ. Lib. VII, pag. 374. — (2) Culmensium, Pomesaniorum et Sambiensium defectio.

victum denique ab rege (an. 1560), captum, et abductum in Masoviam; inter hæc Revalienses defecisse a Polonis ad Ericum Suecorum regem: archiepiscopum, a Furstembergo depulsum, suis ab Augusto restitutum Rigensibus; abrogato denique veteri (1) Crucigerorum Magisterio in Livonia, Gottardum Ketlerum, auctoritate regis Polonici creatum Curlandiæ quidem et Semigalliæ principem, Livoniæ vero gubernatorem pro rege. Hunc itaque invenit exitum, tam diu integer, et rebus gestis inclytus, quam diu fidei tenax catholicæ, Crucigerorum Ordo in Livonia. Præterivimus inter hæc, confinem Prutenis regionem, Varmiam, jam annum circiter 1260, Alexandro IV Romano Pontifice, Anselmo primo hujus diœcesis episcopo, ex Ordine Sanctæ Mariæ Jerosolymitanæ dicto, Ecclesiæ christianæ subjectam. Hoc Antistite in Varmia, ædificatum Brunsbergæ templum, beato Andreæ Apostolo dedicatum; creati Antistites canonici XXI. Diœcesis, Innocentio IV Papa, his circumscripta finibus: ab Occidente fluminibus Passeria et Versero, a Septemtrione Habo lacu, ab Oriente Pragella fluvio; Lituaniam versus amne Lipsa concluditur. Tentata diu a præstigiatoribus Luteranicis gens Varmia fidem constans ad annum 1524 retinuit. Constantia denique exemplis vicinorum malis cessit et artibus; molitore in primis, impio Crucigero, Heideckio, depeculatore civium, probe tum opulentorum; religiosorum hominum, Franciscanorum in primis, vexatore; latrone in Varmia Luteranico. Probis mortalibus per Heideckium vel depulsis, vel corruptis, degenerarunt a religione ac perenni illa et contestata majorum probitate Varmii.

Varmior. initia christiana.

Brunsbergæ templum S. Andreæ.

Cathedra Episcopi. Limites Varmiæ. Collapsa Varmior. Religio.

In Russia, Lituania, Polessia, Subsylvania, populos, a gremio abstractos Ecclesiæ, schisma tenuit græcanicum..Gens Russica, jam vel Rurico monarcha suo, quod quidam, vel, quod narrant plures, Vladimiro, magno Russorum duce, Kijoviensium principe, christianis initiata sacris, procurante id maxime Nicolao Chrysobergo, circa annum 990 Constantinopolitano Patriarcha, ad annum 1320 Romano Pontifici cum Ecclesia christiana paruit communiter; hoc demum anno subactis a Gedimino, magno Lituaniæ duce, Russicis provinciis, occupata Kijovia, ducum sede, sub jugo Ethnicorum uti suis genti non ita licuit christianorum institutis. Olgerdo deinde, Gedimini filio, Lituanorum et Russorum magno duce, jam christianis initiato sacris, Vilnam a Palatino quidem Podoliæ et Podlachiæ Petro Gastoldo introducti sunt annum circiter 1303 Patres Franciscani; a bona autem Olgerdi conjuge, Tveriæ ducum filia, Maria,

Schisma græcanicum in Russia, et vicinis.

PP. Franciscani et

(1) Crucigerorum interitus in Livonia. Ketlerus Livonibus et Curlandis imponitur princeps a Polonis ann. 1560.

ex Russia sua advocati sacerdotes Ordinis divi Basilii; atque hos indidem sequuti sunt Rutenici presbyteri, male jam græcisantes, a Constantinopolitanis corrupti. Hi quid in Lituania egerint, aut moverint, nostra hic nihil interest; aliqua utique suis locis narrabimus (1). Facilior certe catholicis de religione concertatio cum Photianorum pertinacia istorum, quam cum hæreticorum, alia ex aliis molientium, impietate et audacia. Seducti a Græcis illi, homines plerique simplices, laudabant facile ritus catholicos et instituta; isti armati connixique ibant ad evertendam ubique religionem, et pietatem omnem ex animis mortalium evellendam. Præivit cæteris maleficorum ductor, primusque signa sua (an. 1555), Vilnam intulit Viclefus, sacerdos impius, perfuga, ac dux transfugarum; verentibus aliis, ac delitescentibus tantisper in aulis procerum, dum vis sententiæ, nuper (an. 1541) in comitiis adversus hæreticos latæ, consenesceret. Quare hic quoque, quo tectior in suis esset fraudibus, habitum sacerdotii retinuit. Sub ea larva potestatem concionandi lingua germanica ab episcopo civitatis obtinuit. Ac primis quidem concionibus, in templo Beatæ Annæ habitis, quia callide dissimularet perfidiam, benevolentiam sibi conciliavit auditorum, laudemque doctrinæ artificiis comparavit; deinde animi ille sui expromere sensa, et explicare consilia, in primis de Sacramento altaris et bonorum fructu operum. Deprehensus ex eo veterator, decreto episcopi Vilnensis Pauli Algimuntowicz, Olszani ducis, aditu templorum et communione fidelium prohibitus. Sed præco maleficus invenit, ubi deinde suam pestilentiæ poneret cathedram: in platea, ab incolis dicta Germanis, acceptus a cive, in primis divite, Morstino, fanum constituit, jecitque fundamenta scholæ Luteranicæ. Mortuo hospite suo et tutore Morstino, male sibi, pessime de civitate merito, metuens, fuga consuluit (2). Calvinianis portas Vilnenses aperuit Palatinus civitatis præses, Nicolaus Radivillus a nigra barba dictus vulgo Niger, opinionibus hujus sectæ homo imbutus peregre. Advenas suos a Belgio, Galliis, Germania, novos novarum religionum architectos, quia prius in umbra experiendos putaret, Lukiscis in suo suburbano aliquandiu continuit. Ibi de ritibus, maxime de Cœna Domini, quid ex institutionibus Calvini tenerent, quidve novandum putarent, arbiter ipse et rex sacrorum consultavit. Inde itum ad sacrificia. Posita in triclinio mensa; istuc quidem, ministris cœnam Domini sui manducare cogitantibus, placuit. Proposita ante mensam inter ardentes cereos imago Christi; id vero boni magistri pati haud poterant. Summotum igitur simulacrum. Jam quo paratu

*Basiliani Vilnam introducti.*

*Vilnam penetrat Viclefus.*

*Luteranicæ scholæ fundamenta.*

*Lukiscis princeps experitur Calvinicos præcones.*

(1) Vid. libro hoc num. 15, de initiis religionis christianæ et l. IV, n. 9. — (2) Calvinica secta introducitur Vilnam, præsente rege Augusto.

operandum sacris, quibus e ritualibus, in consessu an accubitu, ac de cæteris hujus generis infinita inter symmystas istos controversia atque lis. Palatino tamen, pertinaciter molienti sua, neque discordia peregrinorum stultitiaque, neque impietas potuit displicere. Quin commendabat etiam multis doctores suos præconiis, et, quasi ad Delphicos Apollines, civitatem conviviis etiam invitabat. E suburbano translatos in urbem prope forum Piscarium, in ædibus, nuper Gastoldi Palatini, hodie suis, novarum buccinatores rerum collocavit. A Calvinica non pauci ad sectam Arianam, a Transylvania subinde illatam, transiere (1); in his fuisse aiunt, nescio quem Sudrovium, homulum ex infimo genere et fortunæ gradu : nuper illum in civitate Leopolitana mercenarium carnificem, deinde Vilnæ in synagoga Calvini ministrum, morum, si provinc. placet, magistrum et rituum : denique, mutata fide, Arianum. Jam enim Ariana etiam impietas vulgabat sese Lituanis, in Brestiana maxime et Novogrodensi provinciis; multisque visa nobilior, ut quæ aliis antiquior foret hæresibus, turbasque plures cædesque fecerit in Ecclesia.

Ariani passim, maxime in provincia Novogrod. et Brestiana.

Judæi, Tartari, Cyngari.

His adde peregrinarum gentium multitudinem : Judæos ex Prussia, Godefrido Crucigerorum Magistro XI, et alias aliunde expulsos, in oppida Lituaniæ et diversoria acceptos ; Tartaros, cæso apud Asovum ingenti Tamerlanis exercitu, a victore Barbarorum, magno Lituaniæ duce, Alexandro Vitoldo, in Lituaniam compulsos, missosque in colonias; Cyngaros, unde et quo huc vento delatos, nescio ; circulatorum genus et furum, gentem vagam, sordidam, ridiculam, religionum quarumvis, fidei nullius. Hinc brevi tempore tanta morum, rituum, studiorum, vitæ, tam rerum misera omnium facta commutatio, regnante scilicet Augusto I, ut æqualis ejus temporis scriptor, Stanislaus Orzechovskius (2), nec ipse omnino integre in illis versatus periculis, affirmet, regem Poloniæ Sigismundum I, nuper demortuum, si postliminio rediisset, civitates suas non recogniturum fuisse. In ea perditorum hominum colluvie corrumpi facile cives christiani, et ab avita ad religiones defluere peregrinas : negligi pastores boni : quæri cœtus impiorum et fana : herbescere ad templa semitæ : sacri et oratores et psaltæ conticescere. Vilnæ, præter duo Rutenica, octo et decem visebantur catholicorum templa : in his curiale Beati Joannis, cæteris augustius; hic, ad insignem contumeliæ notam, juxta principem ædis et aræ locum, a ganeonibus sacrilegis defixus in platea stipes, latronum infamis suspendio; ædes ipsa intus et foris ster-

Hæreticor. maleficia. Vilnæ templum S. Joannis

(1) Cichocki, Alloquiorum, lib. II, c. 22. — (2) Libro edito in lucem anno 1560. Vid. Miscel. Kojalowicz pag. 64. Olim Orichovius, Luteri ipsius discipulus Vitembergæ. Vid. Joannem Leo, Historiæ Prussiæ, lib. VIII, pag. 456.

quiliniis convectis ad fenestras prope summas oppleta, pro ludorum cavillarumque theatro erat vulgo cum ducibus suis petulanti. Direpti templorum paratus; disjecta passim altaria, conculcata divorum signa; vasa sacra, vel confracta, vel ad usus profanos ablata; homines religiosi, verberibus omnibusque lacerati injuriis, e curiis, cœnobiis, domiciliis exturbati. Inter hæc gratulabantur cum advenis hostibus proditores domestici; jam illi et rerum potiti in Lituania et regni; celebrabatur adulantium præconiis suus palatinus Niger; cujus præsidio et auctoritate freti, tum ipsi Vilnæ, quidquid liberet, agerent, tum alii, suis docti exemplis, similia patrare alibi, minime dubitarent. Ut impunitas confidentiam habet, facileque ducitur peccandi illecebra; confirmabatur maxime Vilnensium audacia flagitiosis, jam dudum latrocinantium impune in Prussia, Livonia, Curlandia, Varmia hæreticorum documentis. Calebant e propinquo, dissipati quaquaversus, crescebantque, augescente mortalium nequitia, rumores (1): jam apud vicinos in ruinis eversæ veteris religionem triumphare novam; promulgari per diœceses quintum (quo nomine Luterus initiari sua voluit sacrilegia) Evangelium: ex hujus formula a magistratibus profanis creatos, impositosque civitatibus, antistites: exturbatos instituti tenaciores sui monachos: exhausta alibi nuptiis cœnobia: distracta in religionum præcones novarum sacerdotia: nullis ibi religiosis negotiosos intercalari dies: jejunia nulla: nullas ritu christiano peccatorum confessiones: cultus sanctorum, pietatis et justitiæ officia, sacramenta et delictorum piacula, omnino nulla; nova ex institutione novarum conditoris legum sacrificia, sodalitia, connubia, sacerdotia, ritus, mores, nova omnino omnia, in licentia quidlibet profitendi et agendi summa. Nihilo melior in Polonia religionis conditio, quin pro sectarum varietate etiam deterior. Novem ipsos innumerabilium coryphæos turmarum, doctrinis, commentis, moribus, quasi armis castrisque dissidentium, gentemque Polonicam misere lacerantium, patrius noster numerat historicus (2). In his Bernardinus Ochinus, religiosi nuper Ordinis Præses Generalis, deinde transfuga, per Helvetiam, Transylvaniam, Poloniam, Angliam polygamiæ laudator, divinitatis oppugnator et religionis universæ omnis. Joannes Laskius, nobilissimæ probrum familiæ, sacerdotio ornatus in patria, atque ad Vesprenses etiam infulas invitatus ab Hungaris, ex Polonia a Gnesnensi archiepiscopo propter perfidiam et sacrilegia expulsus (3), in Angliam profugus cum sociis, Calvinicæ scholæ discipulis, ab Eduardo rege superintendens Ecclesiæ peregrinorum impositus, Eduardo mortuo, a succedente in regnum Maria rejectus

Obrutum cœno.

Corruptio civitatum in Prussia, Livonia, Curlandia, Varmia.

Præcones hæresium in Polonia.

Ochinus.

Laski.

(1) Joan. Leo in Historia Pruss. — (2) Joan. Leo in Historia Prussiæ a pag. 458, lib. VIII. — (3) Niesiecki, Korona Polska p. 36. Orichovius, Dialogo 6, de Execut.

in Poloniam, vagus per oppida, nunc Zvinglianus ille, nunc Luteranus præco, denique Sacramentarius, propterea que ab hæreticis etiam, in primis a Timano, Joachimo, Vestphalo, Erasmo, Albero, scriptis et concionibus exagitatus, anno denique 1560, homo nulla religione, disperiit (1). Andreas Hosen-Enderle, sive Osiander, Bavarus, fabri ferrarii filius, cyclopum immanissimus, merito suo Antichristus, Judæus recutitorum turpissimus, homo nefarius, consceleratus, draco, niger diabolus, hostis Christi, a religiosissimo Varmiorum antistite Cardinale Hosio (lib. I de Hæret.) appellatus : corruptor ille multarum gentium, Borussorum maxime; usus ad perniciem opera contubernalium, Joannis Funcci, præclari generi sui, Matthiæ Horstii, Joannis Snelli, Joannis Steinbachi; mortalium adeo conscleratorum, ut hos ipse Luteranicus Regiomontanorum magistratus uno tres decreto pariter per tortorem conciderit; Steinbacho quidem expulso, Osiandro (2) jam ante horrenda morte sublato. Franciscus Stancarus, Italus, clitellarius homuncio, qui Stancarus. scilicet nuper apud Mantuanos vecturas corpore factitabat; ex Italia, Helvetia, Germania ejectus propter scelera : a Samuele Maciejovskio, Cracoviensium episcopo, conjectus in vincula : inde elapsus, Pinczoviæ, in oppido Cracoviensis municipii, suum professus magisterium, impias Arii, Macedonii, Eutychetis, Aerii, Nestorii, hæreses commistas disseminavit; adjuvante maxime Theodoro Beza, suppetiasque e sua schola submittente. Quid porro hominis Beza fuerit, quia se in causam Beza. et gratiam Polonorum insinuaret per litteras, et libellos, regi etiam oblatos, admonendum putavit Sigismundum Augustum Hosius (3). Itaque scribit : « Inspexi « libellum, quem obtrudunt majestati vestræ, vidi, quod in eo Theodori Beza doctrina continetur. Ut autem sciat majestas vestra, qui vir sit iste Beza : scribitur « a viris fide dignis, quod omnem vitam suam in lustris et ganeis et in omni libidinum genere traduxit, atque indicat hoc epigrammatum liber per ipsum editus, « in quo Catullos, Tibullos, et Martiales lascivia petulantiaque sua, si non superare, æquare saltem videtur. Qui cum in conventu Poissiaco ea verba pronuntiasset, quæ paulo ante commemoravi, tam distare corpus ab Eucharistia, quam « cœlum a terra, lepide e sodalibus ejus quidam dixisse fertur : quomodo credat « Corpus Christi esse in Eucharistia, qui vix Deum in cœlo esse credat? Hic est « ipse Beza, qui ducem illum fortissimum, Guisium, prælia Domini præliantem in « Galliis, cum alia ratione vinci non posse videret, submisso sicario, non magis

(1) Bielski, p. 609. Osiander et Socii. — (2) De morte Osiandri et rapto suo a diabolis cadavere vide Historiam Prussicam Joannis Leo, lib. VIII, pag. 462. — (3) Hosius Epist. 123, et lib. qui inscribitur: Catholica Censura de adoranda Trinitate, a pag. 187.

« nomine quam re ipsa, Poltrono (1), per summum scelus proditorie confodiendum « curavit ; neque satis habuit hoc tam audax facinus patrasse, verum etiam edito « libello parricidium hoc defendere, laudare, tituloque pietatis ornare veritus non « est. Quin et insidiatoris illius tam horrendum flagitium cum facto Moysis, qui « Ægyptium, et Davidis, qui Goliath interfecit, comparare ; et cum, quod me- « tuerat, supplicium de scelerato sicario sumptum fuisset, Poltronum inter mar- « tyres referre non dubitavit. Neque contentus fuit, tam immane factum parri- « cidæ laudasse, verum alios etiam ad imitandum illud ejus exemplo accendit, ac « fas esse docuit, fallere fidem, heris insidiari, et eos quoquo modo tollere, juxta « illud : dolus an virtus, quis in hoste requirat ? Sed quid ego plura scribam de « Beza hoc, quo nihil unquam terra produxit scelestius ? hic enim est fax incen- « diorum omnium, fonsque caputque malorum omnium ; quibus florentissimum « Galliæ regnum tot jam annos est afflictum ; qui propterea misit huc synagogistas « suos, ut eundem hujus quoque regni majestatis vestræ efficerent statum, et in « easdem illud calamitates adducerent. » Pari commendatione bonorum digni, reliqui sectarum in Polonia signiferi : Petrus Paulus Vergerus, et frater suus Joannes Polanus, uterque olim episcopi in Istria, uterque transfugæ. Tentarunt hi quoque fraudibus suis Polonos, et libellis Sigismundo Augusto inscriptis : Georgius Blandrota, Ticino e vinculis elapsus, peragratis Germaniæ provinciis, cum impiis consiliorum suorum adjutoribus, Lysmanino, Statorio, Scerebesino, intulit Arianam pestem in Poloniam. Cum his similitudine morum studiorumque conjuncti : Joannes Campanus Juliacensis, Lælius Socinus Senensis, Joannes Paulus Alciatus Mediolanensis athleta, Matthæus Gribaldus causidicus, Gregorius Pauli, et qui Petricoviæ (an 1566), in comitiis regni, Arianæ de Christi divinitate sententiæ propugnator, publice cum ministris Calvinicis conflixit, Joannes Valentinus Gentilis, Italus Consentinus, languidosque, ac sinceræ rudes theologiæ, plerosque disputatores et arbitros sophisticis argumentis ad suam traduxit sententiam. « Adde « his, quos numerat Christophorus Hartknochius, homo et ipse Luteranicus (2) : « inter primos Ecclesiæ reformatores tempore Luteri fuerunt in Polonia : Martinus « Glossa, Joannes Seclutianus, Joannes Casminius et Martinus Prasnicius. In Li- « tuania quoque Luteri vestigia posuere, auctore quodam Abrahamo Culva, theo- « logiæ doctore. » Recensis deinde principibus in Polonia et Lituania familiis, in

Vergerus et Polanus.

Blandrota cum Sociis.

Gentilis. Calliditate disputatoris rudes pervertuntur.

(1) [Genuinum sicarii nomen erat Poltrot de Méré.] — (2) De Republica Polon. lib. I, cap. 2. a pag. 20.

varias hæreses distractis : « quare, inquit, Sigismundi Augusti tempore totus ferme « senatus fuit religioni luteranæ et reformatæ addictus. Præter Luteranos autem « et Calvinianos in Polonia non pauci Ariani et Sociniani ; et in his inter primos « Lælius Socinus, patria Senensis Italus, penetrarunt. » Hi tantos in Polonia fecere progressus, ut etiam scholas suæ sectæ non incelebres erexerint Rakoviæ, Kisseliniæ et Luklaviis (1). Quid porro commodi ex istis non incelebribus hæreticorum scholis comparatum sit Polonis, bene perspexit, præter alios, sæpius ab Romanis Pontificibus ad Polonos Legatus, Antonius noster Possevinus (2). « Meminimus, « inquit ille, cum Varsaviæ postrema magno Poloniæ rege Stephano comitia « haberentur, hunc ipsum regem viris ecclesiasticis, ex senatorio et equestri « ordine delectis, animum addidisse, ut intrepide proponerent, quænam damna « regno Poloniæ reipublicæque illata sunt, posteaquam Luteri Calvinique error « fuit permissus. Ea vero erant, quæ sequuntur, quæ Posnaniæ postea typis pu- « blice sunt data : I. Religionis sanctæ catholicæ violatio, hæresumque variarum « in regnum invectio. II. Jurisdictionis ecclesiasticæ, ejusque spiritualis gladii, « excommunicationis, enervatio. III. Decimarum contra jus divinum retentio et « ademptio. IV. Prærogativarum et libertatum diminutio. V. Ecclesiarum profa- « natio : fundationum, censuum, proventuum, thesaurorum ecclesiasticorum, et « bonorum aliorum ademptio et spoliatio. VI. Fori pro judiciis realibus et persona- « libus, tam primæ et secundæ, ut vocant, instantiæ, quam executionis suspensio : « brachii sæcularis, remissarum ex tribunali regni et aliorum subselliis causarum « nulla executio. » Inter. hæc plebs misera, in Lituania maxime, Samogitia, et Semigallia, legum christianarum vel oblita, vel rudis, ex agris in antiquas redibat sylvas, quercubus suis Jovique illi fulmineo, quem superiores sui Perkunum appellabant, gentili majorum ritu supplicatum. Nimirum simplicibus antiquiora illa istis peregrinorum hominum inventis, tam multis, tam variis, sanctioraque visa majorum suorum instituta.

*Socinus.* — *Scholæ hæreticæ Luklaviis, Rakoviæ, Kisseliniæ.* — *Damna Ecclesiæ in provinciis Polonicis per hæreses.* — *Status christianæ plebis in Lituania, Samogitia, Curonia, etc.*

*Episcoporum bonorum sollicitudo et consilia.*

Quid hic pastores populi, abacto quisque grege suo, et ipso jam inter lupos vulpinante, agerent, in commune solliciti consultabant. Cardinali Stanislao Hosio, Varmiorum episcopo, homines Societatis Jesu cogniti erant per Jacobum Lainium in primis et Alphonsum Salmeronem, primos Beati Ignatii Socios : hunc Legatum, illum Oratorem etiam Summi Pontificis in Concilio Tridentino ; cui Hosius

(1) De cæteris hæresium in Polonia satoribus, vid. P. Skarga Concio in Domin. VII, post Pent.

(2) De Libro Joannis Bodini, qui inscrib. de Republica, Cantio, pag. 142. Edit. Rom. an. 1592

non interfuit tantum, sed Romani Pontificis nomine etiam præsidebat. Canisii quoque et complurium e Societate Jesu virorum, adversus hæreticos strenue pugnantium, fama de pietate et doctrina percrebuit. Ex horum ergo castris viri in Varmiam, Lituaniam, Poloniam certatim a bonis principibus invitari. Primus Socios Hosius Cardinalis in Varmiam deduxit undenos; assignato Brunsbergæ domicilio in deserto Franciscanorum cœnobio. Anno salutis 1564, a condita Societate XXVI, Præposito Generali II, Jacobo Lainio, Socii ex Italia et Germania accepti in Varmiam; probante antistitis sui consilium (1) venerabili canonicorum Varmiensium collegio: præsentibus duobus Cardinalibus, Hosio et Joanne Francisco Commendono, recens hoc Romana ornato purpura, per manus Hosii delata. In possessionem domicilii incolæ novi mense novembri immigrarunt. Confirmata statim publicis episcopi tabulis colonia hoc ipso tempore, deinceps anno insequenti per Synodum canonicorum Provincialem, Heilsbergæ habitam, deinde a Romano Pontifice Pio V anno 1571. Duodecimus kalendas septembres pro natali ejus Collegii die quot annis religiose observatur, quo scilicet de collocandis Brunsbergæ Sociis negotium per Synodum eodem anno transactum. De advenarum Sociorum nominibus nihil in provincialibus monumentis; ex Sacchino duos nominatim fuisse scimus: Christophorum Strombellium, Sociorum Præsidem, et Petrum Phäe, concionatorem, missum Treviris. Exeunte hoc anno, Socii Heilsbergæ ab episcopo præcipua Cardinalis episcopi benevolentia excepti, viribus ex itinere non bene recreatis, Brunsbergam ad navandam civibus operam festinarunt. Diutius hospites in diversorio tenuisset antistes, optatos diu, maxime quod nondum omnis abiisset, quæ proximo anno in Brunsbergenses inciderat, pestilentia; nisi salutis alienæ cupidi advenæ ad opem, civibus hoc suo tempore ferendam, properassent. Septimo idus januarias anni 1565 civitatem salutarunt. Hic ipsas fere inter parietinas cœnobii habitarunt nummis, quos vocamus florenos, sexaginta non amplius in victum, amictum, et reliquos usus numerandis; quando conditoris etiam facultates ea tempestate erant accisæ. Orsi a cura civium, revocandorum ad christiana officia, pueros ad scholam convocarunt. Præter octo juvenes lectissimos, ab Jacobo Uchanskio, Gnesnensium archiepiscopo, missos, frequentes ex Prussia, Masovia, Lituania, Polonia, Dania convolarunt. Quadraginta ipsos in uno convictorum Collegio nobilissimos adolescentes, universum cœtum scholasticum

2. Hosius Socios advocat in Varmiam. Domicilium Sociorum Brunsbergæ.

1564

Brunsbergensis Collegii dies natalis.

Rector Collegii primus.

Pestilenti tempore veniunt Socii Brunsbergam.

1565

Apertæ scholæ visuntur a viris principibus.

(1) Brunsberga condita ab Henrico episcopo Varmiæ, olim sedes episcopi. Vid. Historiam Prussiæ Joannis Leo, pag. 27, et pag. 113, 120, 121.

1565 ducenos triginta, in quinque primarum classes artium divisos, generosam sobolem censebamus. Exciverunt principes etiam viros ad visendam rem novam de initiis Collegii Brunsbergensis rumores dissipati. Præter alios, rei cognoscendæ cupidos, adfuit Stanislaus Varszevickius, vir claritate generis, sacerdotiis, et præcipuis in patria officiis insignis. Adolescens, in Germaniam litterarum causa missus, magistro Philippo Melanchtone, doctrinæ malum contraxerat; revocatus in patriam, e seditiosa secta pariter se extulit. Brunsbergensium ille hospitum nostrorum mores et studia curiose intuitus, sic adamavit, ut se totum Societati dederit (1). Ea rerum nostrarum initia nimium quantum inflammabant hæreticorum invidiam. Continere se non poterant, quin, multis palam tentatis frustra machinis, ex insidiis tandem novos Brunsbergæ incolas oppugnarent. Depeculandam cumprimis censebant famam hospitum. Inter fraudes primas istuc fuit commentum, sane illepidum. Facinorosos e grege suo, habitu Societatis tectos, doctosque mentiri, subornant; atque hos quidem in ganeas et lustra, Jesuitas autem in fabulas mittunt et sermunculos. Atqui eminuit e vultu facile et moribus histrionum fallacia; larvaque detracta, patuit eos fuisse ipsos, qui in religionibus etiam quærerent adulteria. Hæc in civitate quidem et luce publica. Jam quid in pagis et circulis inter suas nurus, maxime hæreticorum ministri? Precandos, clamabant, deos omnes deasque, ut adversus episcopum, hostem religionis reformatæ et eversorem, et adversus istos advenas, nigros homines, ab Orco dimissos, civitati suæ succurrerent. Postremo, dormientibus ad suos clamores diis, ex consilio statuunt, siquidem artes nihil proficerent, injuriis, maxime fame, advenas vel enecandos vel ciendos ex oppido. Ergo commeatum omnem, qui Collegio quique scholasticis comportaretur, intercludunt. At ne id quidem consilii procedebat malevolis; civitatis principe Cardinale ad omnes factiosorum motus vigilante. Virtute Hosii et laudibus excitatus Andreas Noskovius, Plocensium episcopus, invitandis ex eadem Societate hominibus curare et ipse domicilium Pultoviæ. Cardinali quidem Commendono, ejus consilii adjutori, sedes colligendis hospitibus opportunior videbatur Plociæ, tum celebritate urbis, tum aliis causis : sed, quia ædes illic accipiendis non esset, Pultoviæ constituta est colonia; ubi nempe vacabat domus, ab alumnis Cracoviensis Academiæ
1566 derelicta. Introducti Socii ipsis anni 1566 kalendis januariis. Primus Collegio præfuit, ac porro annos fere 12 gubernavit rector, Stanislaus Rodzdrazevskius, nobilis Polonus, ex Urbe missus. Eodem statim mense exercendæ juventuti apertæ tres scholæ; ad studia pietatis et artium bonarum, cum hic tum in Brunsbergensi

*Stanislaus Varszewicki visit Brunsbergam.*

*Brunsbergensium hæreticorum fraudes.*

*3. Pultoviæ Ep. Noskovius collocat Socios.*

(1) Vid. lib. IV, num. 2.

Collegio, advigilante P. Baltasare Hostovino ; ipso deinde revocato in Austriam, Franciscus Sunnerius, Laurentii Magii, præpositi in Austria et Bohemia Provincialis vicarius, res domus utriusque procurabat. Pultoviæ aliquandiu in domicilio quasi in diversorio versabamur : quoad tabulæ, quibus rerum firmaretur donatio, non essent rite confectæ ; his deinde mense quintili acceptis, aucto mox contubernio, distributis in quinque classes scholasticis, magisteria cœpimus profiteri. Qui Socios adjutaret, P. Joannes Aschermannus, hæserat in itinere, Olomucii ab antistite civitatis Guilielmo Prysienovio, pro pignore sibi forte oblato, interceptus ; quia ipse quoque e Societate operarios a provinciali per Austriam Sociorum præside, Nicolao Lanoino, jam diu flagitasset : « causatus, non minus negotii « Sociis dari posse in sua Moravia, quam in Lituania, aut usquam gentium : hac « etiam regione hæreses gliscere ; malo crescenti nequicquam se suisque adhibentibus remedia. Jam se ad Romanum etiam Pontificem plenas precum dedisse « litteras, communis ille Pater Ecclesiæ Moraviam quoque uti respiceret, juberet- « que, ad se aliquem de Societate Jesu manipulum allegari ; idem rogasse Maxi- « milianum imperatorem, causis justis et oratione sua inductum. » Expectaret igitur Joannes tantisper, dum Vienna, dum et Roma, quid sui Præsides constituerint, afferretur. Adest interim P. Alexander Hellerus, ab Lanoino missus Olomucium ; hoc præde oblato Aschermannus pro se, quanquam ægre, quando tamen pergendum omnino erat, a Guilielmo absolvitur, magnisque itineribus venit Pultoviam.

1566

P. Joan. Aschermannus missus Pultovi : Olomucii distinetur

1567

4\. Stanislaus Kostka et Varszevicki, socii tyrones Romæ.

Duo gentis Polonicæ nobilissimi, cognomento uterque Stanislaus, alter Kostka, quem nuper Viennæ in Austria, cupientem cooptari in Societatem, consilio et litteris adjuvit, animi sui per confessiones arbiter, P. Franciscus Antonius : alter Varszevickius, Brunsbergensis (1) ille Collegii cognitor; Romæ uterque in tyronum Societatis numerum anno 1567 aggregati. Utrumque Lituanica Sociorum provincia jure suo sibi vindicat : Varszevicium quidem præter alias causas eo, quod jam Brunsbergæ in Societatem accipi voluerit ; isque primus Vilnense Collegium rector gubernarit, multaque nostratibus virtutum et meritorum monumenta reliquerit ; alterius autem Stanislai solum etiam natale, domusque patria, Rostkovia, divino beneficio Lituanicæ obtigerit provinciæ. Nostri ergo sunt, deque illis pariter ac nostris Lituanis, prout inciderit, narrabimus. Hic, quæ Varmiensibus nostris hospitibus dimicatio pro religione fuerit cum hæreticis, memoramus. Depugnato domi

5\. Elbingæ agunt

(1) Vid supra, num. 2.

1567 Socii certantque cum hæreticis.

prælio, Brunsbergenses Socii animos ad Elbigensium salutem se converterunt; catholicos in fide confirmaturi adversus hæreticos. Est ea urbs Prussiæ, municipii Polonici, cum florens opibus, tum frequens beneque munita, quinque leucas germanicas distans Brunsberga, in diœcesi Varmiensi. Jactabant se ibi Luterani de regio Sigismundi Augusti privilegio, seu astutia qua nescio extorto, sive per chartularios librariolosve sublecto: quo daretur licentia, cuicui liberet, Augustanæ confessionis profitendæ. Eo quasi libertatis signo sublato, perfugarum duces ad sua Luteri castra incolas accolasque evocabant. Hinc, uti e propinquo, contagione societatis contaminari etiam Brunsbergenses. Elbingam propterea Franciscus Sunnerius, Provincialis vicarius, et Joannes Astensis, rector Collegii, a Cardinale Hosio missi una cum sacerdote, quem rex Elbingensibus curionem præfici voluit. Curionem quidem magistratus accepit non omnino invitus; concionatores autem Jesuitas rejecturum se obstinate confirmabat; nisi forte, quod ipsis etiam dicere ridiculum erat, confessionem Augustanam laudare et commendare civibus voluerint. Quidquid tamen hæretici obstreperent, nihil veriti, neque minas mortalium, neque audaciam manifestam, sacrificium Socii palam, rem ibi ex magno jam temporis intervallo desuetam atque invisam, uterque conficiunt; quin concionantur etiam, orsi a die Bartholomæi apostoli sacro. Inde illi Elbingam revisunt sæpius. Iniquo id ferre animo Luteranorum in primis ministri, et aditum nostris præcludere. Invenit utique, qua se insinuaret, viam, cum Socio P. Petro Phäe, Astensis; ipse quidem certo die festo, horis matutinis, concionis habuit copiam: Petrus, concionaturus a meridie, occupato maturius per Luteranicum præconem suggesto, exclusus hæsit. Monitus ea fraude Joannes, maturato sibi opus esse in proximum diem, dum se dum et orationem suam domi comeret novi Elbingensibus prædicator Evangelii, Sebastianus Nogengorgelus, una ille prius hora insedit cathedram: usurus populo, si æquo adessent animo; sin minus, at facultatem utique hoc die allatrandi Cœlites et Romanæ sanctitatem Ecclesiæ erepturus præconi maledico. Neque suam ille omnino perdidit operam. Jam a cura familiæ suæ suique serus ac prope vespertinus revisit Sebastianus fanum declamante nostro ac tantum non perorante oratore. Perdoluit occupatus; quod igitur reliquum est, conclamat; nominatim etiam, quos inter auditores conspexit audaciores, appellans, turbas excitat. Non multis opus populo, Luteranicis jam dudum assueto classicis: consurgere omnes illico, fremere, clamore extollere: quin lapides etiam in oratorem jacere. Obfirmato ad hæc Astensis animo, minimeque turbato, tumultuantes monet, quiescerent tantisper utique, dum rem, a se insti-

Patres Astensis et Phae contemnunt pericula.

tutam, omnibus certe utilem, transigat. « Consilia hic sua esse sana, christiano 1567
« populo maxime cupientis, non fraudem, non vim, non impetum. Integrum cui-
« que, quæ animo darentur benevolo, admittere an respuere. Neque oratorem,
« qui non Luteri doctrinam laudet, eum continuo obruendum esse lapidibus ; nisi
« forte ita monitori pietas sua fraudi, amanti salutem populi communem studium
« suum, noxæ sit, oportet. » Monuit : silentium fieri jussit : repetitis denique orationis intercisæ argumentis, peroravit. Inde per ora frendentium incessit plenus animi ; ut appareret, virum esse, qui religionis suæ causa minas hostium facile contemneret et pericula. Cupidi deinceps profundendæ etiam in tali causa vitæ Joannes et Petrus, et, qui similia post expertus esset, P. Joannes Aschermannus, rogabant suum Cardinalem episcopum, Elbingam ut se ad promovendam in civitate religionem missitaret. Sed alacribus præstanda primum erat decreto regio securitas, idque obtentum. Lata in Elbingenses sententia : irrogatæ in eos pœnæ, qui, a Varmio missos episcopo, christianæ religionis magistros conturbassent. Ita communiti, tranquillius deinde Socii inter Elbingenses habitarunt, collocati ad ædem curialem. Agrum hic operarii nacti sane malignum ; multum hoc anno Elbingæ profecisse visi labore pertinaci, quod de tota civitate triginta homulos, eosque ipso natali Salvatoris die, ad mensam divinam collegissent. Adeo corrupta civitas hæreticorum magisteriis.

6. Pultoviæ præjacitur ædificando templo lapis.

Facilior multo labor fructusque uberior Pultoviæ, in civitate nimirum bene morata, suoque Pontifici obsequente. Templo hic ædificando lapis angularis 12^mo^ kalendas quintiles a conditore Andrea Noskovskio, Plocensium episcopo, dedicatus ; id quod fere ultimum fuit eorum, quæ pius antistes locis statuerat pluribus, pietatis suæ monumentum ; nam ejusdem anni nono kalendas novembres, ætatis suæ 75^mo^, plenus bonorum operum, decessit. Res ab Andrea gestas Stanislaus Lubienskius in Vitis episcoporum Plocensium, et Andreas Sviencickius, provincialis Nurensium notarius, litteris consignarunt. Laudantur in hoc viro præcipue : doctrina, religionis studium, amor patriæ, munificentia in egentes, animus in fortunæ varietatibus constans, morum decora et universæ vitæ æquabilitas. In Collegium canonicorum Pultoviensium jam adscriptus, Romam profectus ad honoranda Apostolorum limina, vitam deinde sic instituit, ut in primis esset, a quo probitatis exempla peterentur. Meritorum suffragio creatus Plocensium episcopus, nihil antiquius habuit, quam religionis catholicæ sanctitatem adversus fraudes hæreticas tueri ac propagare. Effecit itaque, ut tota diœcesi sua cives continerentur in professione et officiis religionis catholicæ ; si unum, eumque advenam, sortis

Obitus Andreæ Noskovii episc. fundatoris.

1567 uxoriæ possessorem, excipias; neque hunc quidem bonus pastor inter oves suas passus est : oblato justo pretio, noxium hominem amovit. Templum Plociæ primarium, veteres demolitus parietinas, e ruderibus excitavit; alibi domos sacras vel ædificavit vel refecit. Sociis domicilium Pultoviæ certosque redditus assignavit, ac stabilivit. Communis idem egentium pater, injuriis laborantium tutor, bonorum sibi commissorum prudens dispensator, jurium ecclesiasticorum propugnator acerrimus. Præfuit diœcesi Plocensi duos et viginti annos.

Vita Stan. Kostka. Rostkovia patrimonium Stanislai.

E Romano tyronum Societatis domicilio ad beatam civium immortalium patriam transiit anno salutis reparatæ 1568, 19$^{mo}$ kalendas septembres, religiosi tyrocinii mense decimo, beatus noster popularis, Stanislaus Kostka. Tria sunt præcipua in hac provincia carissimi civis monumenta : in primis, antiqua illa Kostkarum ac patria sedes, in Zakrocimia Masoviæ provinciola, Rostkovia, locus hodie divinis inclytus beneficiis : hic Stanislaus natus, educatusque annis rudioribus. Hæredium hoc, e latifundiis Stanislai paternis Lituanicæ nuper obtigit provinciæ. Templum hic beato hæredi conditum, procurante Pultoviensis Collegii rectore, anni 1744 kalend. sextil. populi undique concurrentis celebritati apertum. Duo in eadem provincia observantur cara Stanislai pignora, miris commendatæ signis imagines : Kaczycis, in villula Pultoviensis Collegii, altera, altera, in sacello Academicorum Sodalium, Vilnæ; atque hæc quidem Urbano VIII Pontifice antistiti Vilnensium Georgio Tyszkievicz, tunc adhuc Samogitarum episcopo, a Vladislao IV rege ad Urbem Legato (an. 1638), a Georgio Academicis oblata. Hanc, pro suo quasi palladio habitam, Vilnenses, ardente bello Moscovitico, Dantiscum subduxerant : restincto, domum (an. 1666) retulerunt. Beneficia Stanislai in mortales ad eam imaginem crebra sunt et insignia. Ut alia omittam, relatam anno 1675 ex Turcis victoriam rex Polonorum Joannes III, dux exercituum ea tempestate, hujus beati patrocinio debere se, professus; cui fortunam belli hortatu suo per supplicationes Academici Sodales commendarent, quam diu exercitus versaretur in acie; id quod apud eosdem reliquit testatum donis insignibus Michael Pac, dux exercitus Lituanici.

Imagines gratiis insignes.

Qui Stanislai vitam perscripsit italice, animadvertit illud Daniel Bartolus, quod tum Socios gaudio afficiat magno, oportet, omnes, tum nostrates compleat præcipue. « Hic, inquit ille, considero admirabile divinæ Providentiæ consilium (1) : « ipsum Stanislaum e Societate omnium esse primum, qui mortuus sit novitius « (adde : isque ea sua ætatula), qui sepultus sit Romæ (isque advena); ex quo

(1) P. Adalb. Tylkovski in Vita B. Stanislai in polon. conversa.

« inferre liceat, quod existimabatur de loco illo sancto, hunc esse lapidem angu- 1568
« larem, in terram demissum, qui divino illi ædificio, ex hominibus superstruendo
« similibus, præsit locatus. Et vero, quæ Deo habenda est gratia, re idem vera
« confirmatum est; testarique potest Europa omnis, prodiisse ex eo complures
« viros fortes, planeque apostolicos. Fuerunt enim inde ex omni gente, et tantum
« non ex omni provincia in eo domicilio cum novitii tum eorum magistri sanctimonia
« præcipua; qui vel exemplis, vel doctrinis etiam, plerasque gentes ad cultum Dei
« et christianæ philosophiam vitæ erudirent. » Qua Stanislai laude lætamur enimvero, gratulamurque Poloni, ut quæ in gentis etiam nostræ decus manet: iste quippe angularis, felix adeo beati ejus domicilii, de agello Rostkoviæ nostro, noster est lapis. Committere hic non possum, quin de isto, maximo provinciæ nostræ ornamento, aliqua saltem, eaque summatim, perscribam; quæ maxime post Julium Facium rectorem novitiorum, Stanislaum Varsevicium Stanislai in tirocinio collegam, post Gregorium (1) Samboritanum, hujus nostri adolescentis paternæ olim domi præceptorem, doctorem illum philosophiæ in academia Cracoviensi clarissimum, post Joannem Polancum Societatis secretarium, Petrum Skarga, Franciscum Sacchinum, Carolum Mussantium, Petrum de Orleans, Stephanum Binetium, aliosque scriptores, elegantissimus Bartolus noster celebravit.

Primitiæ dormientium e Novitiis Societatis Stanislaus.

Scriptores vitæ Beati Stanislai.

Natus Stanislaus an. 1550, mense decembri eunte, Rostkoviæ in diœcesi Plocensi, parentibus Joanne et Margarita, in amplissima cum paterna tum materna familia; materna quidem Kryskiorum, paterna Kostkarum, multis utraque præclaris meritis, opibus, muneribus publicis, ac tantum non regiis (quod ipsum quoque Joanni Kostka, Sandomiriensi palatino, candidato ad regnum Poloniæ, et corrivali principis Transylvaniæ, paribus fere civium offerebatur suffragiis) ornatissima; et, quæ Kostkarum præcipua laus est, antiqua religionis catholicæ professione ac fide, quam Christo aliquot abhinc sæculis sancte obligarat, servata adhuc integre; in utraque, inquam, natus familia, magnis laudibus commendabili. Splendorem gentis domesticum augent affinium præclara familiarum decora : in primis Austriacæ domus cæsarea : Jagellonum et Sobieskiorum regia in Polonia : Bathoriorum et Rakocciorum in Hungaria et Transylvania : magnorum alibi procerum, si patrias etiam omittam familias, multiplex amplitudo et claritas.

Amplitudo familiæ et fides integra.

Nondum in vitam puer venerat, cum in Societatem jam videretur adscriptus;

Natus offerturDeo.

(1) Gregorius Vigilantius, a civitate, in qua natus, Samborius, sive Samboritanus vulgo, vir in primis eruditus et pius. Pædagogus filiorum Joannis Kostka aulicus, iter romanum Stanislai carmine descripsit. Vid. Petri Pruszcz, lib. *Forteca Monarchow*, art. 25, pag. 213.

1568 purpureo illo nominis Jesu charactere, expresso mirifice in pectore Margaritæ, hoc puero gravidæ. Itaque monita parens, nascituram ex se prolem impense Deo commendare : invitare familiam suam ad comprecandum. Natum, mox susceptum e sacro fonte, Prasnisii, in templo beati Adalberti, Adamus Andreas Radvanovskius, vir ex ordine senatorio, ante aram deposuit ; beneque precatus puerulo, præcipua pietate Deo infantem obtulit; comprecante aula et populo frequenti. Superesse adhuc ejus templi et oppidi Kostkani cineribus, aliquoties ab hostibus Cosacis exusti, ajunt, felix illud Stanislai lavacrum, et in honore esse præcipuo apud memores. Domi educatus honestissime : primum habuit litterarum magistrum Gregorium Vigilantium, virum doctrina et pietate in primis academicis Cracoviensibus nobilem ; deinde Joannem Bielinskium equitem polonum, S. Theologiæ doctorem, Plocensem et Pultoviensem canonicum. Hoc pædagogo usus Viennæ in Austria ad supremum tempus, quo denique Romam se abstulit. Sed ingenium et mores ipsa formasse visa, altrix pueri ab incunabulis, ac præceptrix assidua, Dei gratia.

Educatio domestica.

Formido noxæ in puero.

Hæc primis statim annis animum Stanislai horrore noxæ omnis sic imbuit, ut, si quid, se præsente, vel leviter dictum esset, quod oleret Fescennia, ad pestilentem velut afflatum, perhorresceret continuo, et interdum repentino solutus languore concideret. Ita purus animus pulchrum quoque, seque dignum hospite, nactus domicilium. Forma juvenem fuisse, ajunt, honesta præter cæteros et liberali : facie decore rotunda, colorem lacteolum roseo integri sanguinis in genis distinguente ; inter hunc tenui internitente cyaneo : capillo subnigro : oculis perlucidis, sæpe madentibus ; æstu divini amoris ciente lacrymas : statura ad ætatem commoda : tota specie ad dignitatem apposita. Quæ sua exterior pulchritudo index erat felicis animi, perlucentis prodentisque se quasi per velum tenue, floremque castimoniæ integerrimum, in vultu expictum, animis intuentium commendantis. Fiebat itaque, ut ipse Stanislai conspectus, castis quidem amorem virtutis majorem et diligentem commendaret sensuum custodiam ; salutaris vero pudoris et verecundiæ commoneret. Tam elegans juvenis ipse Paulo, germano suo, placere non poterat ; tametsi hunc infimis etiam obsequiis studeret demereri : abalienabat scilicet voluntatem fratris morum et studiorum ratio omnino dissimilis. Quæ domi quæ et Viennæ immerens pertulerit Stanislaus, nota jam nimis, multisque Pauli abolita lacrymis, leviter perstringemus.

Pulchritudo animi et vultus.

Viennensis convictus.

Jam institutus grammaticis, anno 1564, ætatulæ suæ quinto decimo, poeticis et rhetoricis excolendus, Viennam cum Paulo et pædagogo Bielinskio tri-

busque ministris honorariis mittitur, inque seminario (1) scholasticorum juvenum collocatur. Frequens id erat nobilissimorum ex Italia, Germania, Bohemia, Hungaria, Polonia, pulchreque a nostris Viennensibus ad litterarum et pietatis studia institutum, convenarum juvenum Collegium. Gentiles ex Polonia, præter alios, nactus ibi Stanislaus convictores, adolescentes egregios, divino consilio ad insignia in Ecclesia munera destinatos : Bernardum Maciejovskium, et Joannem Tarnovskium ; hunc archiepiscopum Gnesnensem, regni primatem : illum hujus successorem in munus, ac præterea sacræ Romanæ Ecclesiæ cardinalem. Horum omniumque in eo contubernio sodalium amorem sibi conciliavit præcipuum conspicua Stanislai pietas, probitas, moresque summa temperati suavitate ; tantumque auctoritatis ea suæ virtutis maturitas habuit, ut exempla Stanislai cæteris essent pro magisterio, ad eaque ingenui libenter se fingerent. Quæ hoc magistro didicissent Viennæ contubernales, narrabant longo etiam post tempore memores. 1568

Ex his Antonius Mierus, antistes, in aula imperatricis Mariæ viduæ sportulis præfectus, in sacra Rituum Congregatione (2) testimonium dedit : « Primo « statim tempore, quo Stanislaus in seminarium Viennense ingressus, lucem « quandam mirificam cum ipso illatam : tantum ex illo effulgere splendorem, « ut hunc omnes maxime suspicerent ; ex ipso virtutis dignitatem clarius cogno« scerent, pariterque ad studium pietatis, amorem castimoniæ, usum Sacramen« torum, ad imitationem frugalitatis et omnem honestatem hortatu quodam intimo « moverentur. » Confirmabant idem cardinalis Bernardus et Joannes archiepiscopus, Stanislai olim convictores, imitatores viventis, laudatores demortui, et referendi in divos procuratores cupidi. Doluisse vehementer, ajebant, cum sibi tum suo toti sodalitio ne annum quidem totum eo beati juvenis convictu frui licuisse : nam, Ferdinando imperatore anni 1566 septimo kalend. quintiles mortuo, aliquot post mensibus a Maximiliano, hujus filio et successore in solium, nobile illud collegium, converso alios in usus domicilio, dissipatum.

Mutare cogitur diversorium.

Aliis alio commigrantibus, Paulo, adolescenti tum vano, placuit ædes, magnificentior illa, domus civis consularis, Kemberkeri, in foro Kiermark, loco mercibus celebri, sita ; sed cujus ipsæ lautitiæ fastidium afferrent Stanislao : quod ejus dominus homo foret improbus, isque e secta luteranica. In eam se Paulus cum pædagogo et famulis intulit, fratremque compegit. Hic puero suo Deus exercendæ virtutis voluit gymnasium, et quosdam velut carceres ; unde in duobus germanis

(1) Seminarium hoc ab imperatore Ferdinando conditum. — (2) Proces. Rom., p. 741.

1568 fratribus, fugiente altero, altero persequente, admirabile ederetur deinde spectaculum. Difficile hic Stanislao cum fratre et pædagogo diuturnumque certamen : isti, jam sine arbitris, sibi vivere : ex arbitrio suo diem disponere : ad scholam et templum itare, quando liberet : invitare poculis congerrones : lusitare alea. Amare istos Stanislaus mores enimvero non poterat : ferebat utique patienter, suis ille semper occupatus Deo placendi studiis : in meditandis rebus divinis, et precibus : in percolenda Dei Parente Virgine et Cœlitibus : in illo animi divino ardore et lacrymis, perdius et sæpe pernox ; « ut mirum proinde foret sodalibus, « qui tam bene paratus ad scholastica experimenta esset semper, tam facile dicta « magistri conciperet, ut nemo magis otiosus, atque in his ipsis attentus ; qui « tamen condiscipulorum unus omnium omnia ejusmodi videretur negligere ; qui « non tam in scholis et libris quam in templo et cœlestibus mente et cogitatione « habitaret. Scire se ex Laurentio Pacifici, Stanislai cubiculario, aliisque domesticis arcanorum suorum proditoribus, quantum operæ daret litterarum studio. « Confirmari idem suo ipsius exemplo ; quem viderent quotidie tantum temporis in « templo exigere. »

Studia fratrum dissimilia.

Litterarum et pietatis felix conjunctio.

In morbum incidit.

Quod æqui pietatis æstimatores admirabantur in Stanislao et amabant, id Paulo erat dividiæ : hinc illa convitia, injuriæ, verbera ; quæ amplius biennium juvenis constantia et mansuetudine toleravit incredibili. Inter eas ærumnas, anni 1566 mense decembri, delapsus in morbum. Levius malum principio visum ; revera sonticus fuit morbus, neque ope humana medicabilis : idque, opinor, ratus ater genius, suas ille experturus fraudes, si quibus noceret inviso jam diu puero, tentare, conversus in belluam formidabilem. Species visa molossi nigerrimi, horrentibus perfusisque cruore villis, scintillantibus oculis, rictu ad aures dehiscente. Sed vanas hostis iras, fretus Deo, irrisit puer ; ter assultavit bellua, ter signo crucis rejecta, cum fraudibus iraque disperiit. Stygia quidem pestis abiit, sed febrilis increvit. Nulla interim sollicitus æger nisi ea re, uti ne discedat a vita, non sacro refectus viatico ; id unum ille suos domesticos cupide diuque orat frustra, hero diversorii impio precibus adversante. Quid agat æger, jam sua etiam fame sacra contabescens ? Commeminit in tempore, sodalem se cultorum beatæ virginis Barbaræ, nuper aggregatum : beneficam in suos esse clientes divam, et opitulari moribundis : ei se animi devotione præcipua pridie nonas decembris commendasse ; hanc ergo ille gemitibus invocare, hujus opem lacrymis petere. Gratæ fuere cœlitibus Stanislai preces. Sensit mox, palamque fecit (1) adesse sibi divam

Æger territantem profligat orcum.

Divino cibo reficitur.

(1) Process. Posnan. p. 380.

virginem, cœlestibus comitatam geniis. Refectus itaque divino cibo. Erat vero in eo virium languore mentis plane compos, et ad res discernendas experrectus; idque, ipse rogatus, claris religiosisque viris, animi sui cognitoribus, patefecit. Istuc quoque narrant : in eodem articulo beatam Dei Parentem spectabilem se obtulisse juveni ; filiolumque suum in ulnis jacentis deposuisse : monitum se ab ea, gratum sibi Filioque futurum, si Stanislaus in familiam Societatis Jesu se dicaverit. Ita recreatus, quæ in morbo divinitus accepisset, P. Nicolao Donio, animi sui arbitro, aperuit; dolenter suam accusans verecundiam, per quam idem, monentis jam diu se, totum scilicet abhinc annum, Dei consilium adhuc distulisset. 1568

A B. Virgine recreatus in societatem aggregari cupit.

Orabat inde infimis precibus cum Donium, ejus negotii procuratorem sui, tum Collegii rectorem Viennensis, tum Laurentium Magium, in Austria provincialem Sociorum præsidem, ut, quod monuisset Deus, perficere sibi liceret. Rem Stanislaus rogare difficilem visus Magio; qui sciret id peti, invito suo parente Castellano, viro inter Polonos præpotente; qui propterea turbas Sociis facile conciret etiam in Austria. Idem censuit, consultus, cardinalis Joannes Commendonus, Viennæ inter hæc præsens, legatus Pii V ad Cæsarem, Nuntius idem nuper in Polonia Apostolicus; sciens ille, quam fortunata esset ac potens Kostkarum familia. Sed quiescere, vincique difficultatibus, non potuit incensus Stanislai animus. Quandŏ ita quidem in Austria consilia sua impedita videbat, exitum illorum quærendum statuit alibi, maxime in superiore Germania. Ergo Vienna, anno 1567, mense sextili, prima diei luce, sacro refectus viatico, dormientibus Paulo, pædagogo, et famulis, ipso Laurentio Pacifici cubiculario suo monito, ne se hoc die pransuri expectarent, dat se in viam, Augustam Vindelicorum, ad provincialem in superiore Germania P. Petrum Canisium perrecturus.

Vienna clam sese aufert, aperto suo consilio P. Francisco Antonio, concionatori Imperatricis, Conjugis Maximiliani.

Quid porro aggrederetur, locorum ignarus, difficultatum hujusmodi plane insolens, itinere pedestri tamque longo, sine comite, sine viatico, ista adolescens forma, quæ facile proderet generis nobilitatem sui, ac periculum crearet profugo, probe noverat; dubitare quoque non poterat, quin suis se Paulus cum pædagogo persecuturus esset vestigiis. Hæc et alia animo certe providerat adolescens prudentissimus, a proposito tamen periculo nullo deterreri potuit; fretus ille Deo, certusque sui exequendi consilii. Stadium ab urbe progressus, nactus forte peregrinatorem mendiculum, vestes cum hoc permutat, bombycinas suas istius lacerna. Viennæ interim tota quæritur urbe; meminit denique Paulus pulsatum heri ab se, dicere cum gemitu Stanislaum : « jam ego tibi, mi Paule, denuntio : « quando tu quidem vexare me ita non cessas, fugiturum me abs te : ut tu sis

Frustra requiritur.

1568 « sciens; qui tuam apud parentes meæque fugæ dicturus sis causam. Com« meminit item, quid durus ipse dolenti responderit : abiret in malam pestem « malumque cruciatum; » amissum itaque fratrem profugisse; neque sciri posse, ubi quærendus, qua consectandus sit vita. Sollicitum eadem res habuit Kemberkerum adeo, ut hariolos etiam homo improbus quæreret, atque inventam alicubi veratricem consuleret; ex ipsa cognito, Stanislaum Augustam recta contendere; nocte proxima in certo, quod nominasset, diversorio quievisse, rem suis narrat domesticis. Nec mora : postridie, primo statim diluculo, Paulus Bielinskius, et Kemberkerus cum famulis prorsum Augustam præcipitant, ac fugitivum quidem illi assequuntur; sed, miro quo nescio divinitus obtectum velo, pro ignorabili homulo prætervolant. Jam ubi denorum plus millium decurrissent spatium, tum denique ad speciem viatoris præteriti animum adverterunt : « tum Stanislaum « omnino visum relictumque inter se jurant : eam esse staturam, eum oris habi« tum, hunc incessum; neque frustra præ se sic puerum festinasse. » Ergo retro majore etiam festinatione agitantur quadrijugi; sed agitantur jam frustra : ita repente consternatæ, ut ne de vestigio quidem clamoribus possent verberibusque commoveri, generosæ cæterum et aliorsum alacres, belluæ. Qua re in religionem versa, metuere sibi veredarius vectoresque, portento conterriti, et persequendi desistere consilio.

Fugitivarii obtorpescunt.

Stanislaus ab ipsis Viennæ mœnibus sic festinavit, ut Augustam octavo die aspirarit, hinc postridie Dilingam ad Canisium. In hoc itinere refecit mirifice servuluum suum Deus. Supplicaturus ille, animumque sacro recreaturus viatico, divertit in ædem; quam putarat catholicorum esse templum, fanum comperit Luteranicum. Hic cum objectum errorem videt doletque, ecce Stanislao, jam bene ab illo morbo cogniti, cœlites genii, rursus illi convivio suo recreant juvenem. Dilingæ acceptus a Canisio, in seminario juvenum nobilium, dicto S. Hieronymi, experiendæ virtutis causa, collocatur. Duas ibi hebdomadas in ministeriis humillimis tanta cum modestia et diligentia versatus, ut omnibus non exemplo tantum fuerit, sed etiam miraculo; edoctis maxime de nobilitate peregrini et opibus paternis. Tentata satis adolescentis constantia, quo longius absit a parentibus, Romam Stanislaum promovet Canisius, cum duobus e Societate comitibus : Reinerio Leodiensi, rhetoricæ magistro, et Jacobo Levanto, Genuensi. Anno tandem 1567, toto ab urbe Viennensi itinere pedibus confecto post ærumnas et pericula, voti compos 8vo kalendas novembres triumphavit gaudio, deductus in portum voluntatis suæ (1)

Reficitur ab Angelis viator.

Dilingæ in seminario probatur.

Dilinga Romam pergit.

(1) Psal. 106. v. 20.

Romam : acceptus in Collegium novitiorum quinto kalendas novemb. die Simoni et Thaddæo Apostolis sacro (1). Nactus in tirocinio collegas, homines lectissimos : Claudium Aquaviva, non multo post Præpositum Societatis generalem et hujus nepotem ex fratre, Rudolphum, Stanislaum Varsevicium, Franciscum Turianum, Alexandrum Valignanum, rebus post in Indiis, Japone, Sina, gestis inclytum, Gonesium, celebrem laudibus doctrinæ theologum, Franciscum Leonium, Hieronymum Olavium ecclesiastici juris consultum, Prandonem, philosophiæ nuper in Bononiensi academia doctorem. In istorum Stanislaus numerum a Præposito generali Francisco Borgia aggregatus. Respiranti adhuc a desiderio, metu persequentium et lassitudine, litteræ a parente allatæ ; querelarum illæ, irarum, minarumque plenissimæ : « quasi eo facto suo contumeliam nescio quam « Stanislaus insanabilem in totam familiam suam edidisset. Ultum se eam teme- « ritatem ire : parata vincula ferrea, quæ pro torquibus aureis ferat perfuga, mina- « tur. » Excussit juveni lacrymas pietas sua, miserantis conditionem parentum ; qui perituris æterna, suo sensu imprudentes divina metirentur, idque parentem monens, hunc in modum rescripsit :

1568 Socii Novitii, viri prænobiles.

« Quod me Deus O. M. in famulorum numerum suorum accepit, nihil est, quod « animum parentis pii sollicitum habeat ; quin imo oportet, uterque hoc nomine « gratulemur ; cum id commodi in parentem etiam manet : ut qui filium jam « habeat in aula Regis regum, idque nullo suo negotio, impendio nullo, id quod « apud profanos principes non ita facile obtingit parentibus, filios suos ultro « etiam commendantibus. Indignus equidem sum, qui Jesu Christi Domini mei « causa patiar ; quod si vero obtigerit, nihil mihi fuerit eo munere carius, nihil « optatius : amore scilicet ejus ferre tam levia, qui amore nostri tam dura, tam « multa pertulisset. Quare, quod mihi, Domine mi parens, minaris, tantum abest, « ut ego timeam, ut cupiam etiam vehementer. Mihi certum est, Deo, cui me « mancipaverim, servire, atque in hoc famulatu perseverare, quoad vixero, in au- « reis illis vinculis paupertatis, castitatis, et obedientiæ ; quam fidem nulla vis « infirmaverit. Consultius omnino futurum fuisset, parens ac domine mi, si me Deo « servum de manu, voluntate tua, tradidisses ; precatus, ut me ipse in hoc statu, « tanto suo ornatum beneficio, ad exitum vitæ conservare velit. Jam ire aversum « me ab hoc proposito, atque ita refragari Deo, vanum omnino atque adeo « noxium est ; morem vero gerere, et perseverare in bono, utrique nostrum fuerit « salutare etc.

Respondet ad litteras irati parentis.

(1) Romæ in Societatem accipitur an. 1567.

1568 Inde, quasi longa ex navigatione ac tempestate in tranquillum tutumque receptus portum, respicere mente ac remetiri itinera, totque tam magna, tam facile superata a se pericula : admirari benignitatem divinam, et ad collaudandam socios precibus invitare. Sic animo erat affecto ex illo deinceps tempore, ut sibi jam acceptus in cœlum videretur. Prima se statim incessit cura instituti Societatis cognoscendi, ad cujus leges exigeret sua omnia ; eo consilio communium regularum capita, inspicienda a se identidem, perscripsit accurate. At ille tum suis se pingebat litterulis ; sic ad ista jam olim divino institutus magisterio, ut, quæ scriberet, jam suis in moribus expressa cernerentur. Pervidebant id spectatores morumque censores præsides sui ; atque hunc illi observandum diligenter et imitandum proponebant tironibus. Trifariam divisum erat Romæ novitiorum sodalitium : pars in domicilio professorum, pars in Collegio scholastico, pars loco suo in monte Cavallo ad ædem Andreæ Apostoli, imbuebantur religiosæ vitæ studiis. In singulis aliquantisper Stanislaum commorari oportuit ; idque eo præsidum consilio, ut ex isto perillustri exemplari unaquæque Sodalitas morum et pietatis caperet documenta : Nam, tametsi in egregia illa sobole eadem omnes recte actitarent, ac pro se quisque satagerent ; discrimen tamen in eisdem erat præcipuum et splendor quidam mirus, quæ hic gereret communiter. Quemadmodum oratio, si quam in consessu narrator percurristi, e superiore loco orator, legis et decori observans omnis, pronunties, plus habet lucis illa et gratiæ : ita in hujus oratione, actu et gestu omni decus inerat magis conspicuum, et lux singularis. Id vero huic afflabant maxime : amor Dei ardens et illibata mentis pulchritudo. Hinc quoque illa constans vultus amœnitas : hinc in omni actione ardor animi, prudentia modestiaque temperatus : hinc comitas, et sermonis lepor amabilis.

Amor instituti.

Novitiis imitandus proponitur.

Modestia et ardor animi.

Odiosus interim sibi erat adeo, ut se in humilitatem asperitatemque omnem abjectum iret. Torrere flagris tergum, ferreis succingi catenulis, hirta subucula corpori ægre facere, somnum in duro capere, parce vesci, ipsamque cibis obsonare famem, humilia sociis atque coquinaria præstare officia, ad pedes fratrum abjici, laborem et inopiam tolerare, leve ac familiare sibi videbatur ; durioribus etiam, quam ista forent, uti exerceretur, præsides rogitabat. De laudibus suis aut sui claritate generis nullum sermonem poterat sustinere. Si quid horum inferretur, laudatores alio scite detorquebat : objectis maxime, quæ Dei benignitatem et amorem commendarent. Reversus Vienna Romam, cardinalis Joannes Franciscus Commendonus visere venit Stanislaum : ille, ut erat in ministerio coquinario sordidatus, hoc pacto daturus se in ruborem, recta ad principem. Amavit juvenis

Humilitas et vexatio sui.

animum, generosum nobilitatis suæ contemptorem, gavisusque eo conspectu, 1568
prædixit hospes, fore, isti sui panniculi ut majorem, quam sit in regum purpuris, genti suæ splendorem afferrent. Humilitatem obedientiæ laus illustrabat; hanc virtutem excelsam adeo in Stanislao animadvertit rector etiam novitiorum, Julius Facius, ut diceret, se non videre, qui jam in ea superior sit gradus, quem non ascenderit hic juvenis. Hujus virtutis modum docuit, præter alios, collegam in ministerio suum, Claudium Aquaviva. Jussu præfecti culinæ uterque ligna comportabant. Certi fasces assignati; quod singuli leviores erant, pluribus se Claudius alacer onerabat. Observavit id Kostka, atque: « equidem, inquit, committere non possum, plus ut vectem quam sit imperatum, arridens leniter dixit, eaque, qua semper erat, suavitate. » Sed Aquaviva sensit se recte monitum; itaque, exemplo prudentis collegæ, alacritati suæ temperavit; doctior inde, gratiora esse Deo, quæ obedientius fiant, quam quæ laboriosius facias, tua ipsius voluntate.

Obedientiæ studium.



Quidquid præceptum, quod aliis arduum etiam videretur, nihil huic difficile: ad omnia expeditus ac potens, ut idcirco a Sociis vocaretur omnipotens. Ea vero submissio et facilitas tanto erat illustrior, quanto indoles juveni lætior, animusque generosior. Semper ille hilarulus, et, cum in rebus agendis serius, tum in sermone cautus prudensque; interdum, cum apte in rem caderet, etiam argutulus: quale suum dictum illud in familiari inter Socios de mittendis ad Indos operariis colloquio. Quæsitus a præside, si navigandum quidem Stanislao esset ad Indos, quibus se rebus muniret maxime; respondit: « tria curarem ante omnia: petasum patientiæ, amoris divini penulam charitate juvandorum subsutam, firmorum par calceorum, quod ipsa mihi fortitudo conficeret. Ita instructus, currerem trans maria. » Jucundum erat audire de Beata Virgine disserentem. Quoties de hujus laudibus foret sermo (erat vero Stanislao creberrimus), dulcior melle ex ore suo manabat oratio. Mirum erat, unde huic adolescentulo ea de mysteriis Divæ scientia, tantaque laudum foret copia; multis nimirum de Matris dulcissimæ dignitate cogitatis animum imbuerat: itaque promptum erat, amanti loqui præclare de Matre amabili. Quidquid agendum erat, nihil inceptabat, nisi prius, conversus ad ædem Beatæ Virginis, dictam S. Mariæ Majoris, proclinato capite, ipsam salutasset; quam consuetudinem, exemplo Stanislai commendatam, ajunt, hodieque ibidem inter novitios retineri. Illud quoque memorant, quod Patri Emmanueli Sa, viro jam tum doctrina et pietate insigni, in pectus demisisset. Die quodam, Divæ Virgini sacro, ibat cum

Indoles amœna.

Pietas erga B. Virginem.

1568 Stanislao Emmanuel ad ædem illam visum ; ex re quærit, quantopere ipse Beatam diligeret ; dictum ardenti animo fuit pro flabello. « Ah ! quid, inquit, dicam ? Mater hæc, Mater ipsa mea est. » Quæ sua vox ita Emmanuelis affecit animum, ut a præsente nescio quo cœlesti genio non ab homine emissa videretur. Quantum porro apud hanc Matrem suam valeret ipse gratia, experti sodales sui novitii. Si quid orandum erat, quod maxime non suis putarent precibus impetrabile, utendum hic, ajebant, « oratore Stanislao, apud Reginam cœli gratioso. »

Amor Dei. Commendabiles Superis preces suas faciebat amor Dei præcipuus ; quo Stanislaus magis quam anima spirare videbatur ; atque interdum sic exardescebat, ut ardor pectoris ingesta foret gelida temperandus. Meminit hujus, scribens de amore Dei, beatus Genevensium episcopus, Franciscus Salesius (1) : « Stanislaus, inquit, adolescens tanto Dei Salvatoris sui correptus erat amore, ut sæpe in eum casum deductus esset, ut anima per æstum deficeret, foretque necesse, linteola tincta in frigida, pectori applicari, quo suus temperaretur æstus. »

Sed vis tanta, illabens sæpius, totoque mentem agitans pectore, superior omni cœpit tandem esse remedio ; quare corpus, ardentis ita domicilium animi, dissolvi oportuit. Sensit suum ipse periculum, idque diserte prædixit, diemque assignavit,

Quies suprema. decimum octavum kalend. septembres, triumpho assumptæ Beatæ Virginis sacrum, sibi mortalis vitæ supremum. Festo beati Laurentii martyris, oblati per sortem sibi in mensem sextilem patroni, ministrantem in culina pietate et animi fervore præcipuo, incessit febricula ; quæ tametsi levior videretur omnibus, ipse tamen hac se consumendum affirmabat ; nihil ergo a primo statim articulo omittendum putavit, quo se maxime pietas sua Deo commendaret. Omnia rite diligenterque executus, bene Sociis, bene Societati, carissimæ Matri suæ, precatus, hora ab umbilico noctis tertia ad triumphum Beatæ Virginis propius spectandum evolavit. Mors levissimo visa somno tranquillior, integrum oris, quasi renidentis adhuc, habitum venustatemque reliquit. A morte, primo fere diluculo, tantus populi factus undique concursus, ut, præter alios, miraretur Franciscus Toletus cardinalis, conversusque ad Socios diceret : en adolescentulum advenam ! ut ad hunc tota concurrit civitas ! ut quisque videre, et vel fimbriam avet contingere ! Flosculis, corollis, iconculis tergendis obtegitur ! carpitur ab his et illis, pie amantibus ! Nobis senibus mortuis quid fiet? Quo dicto monuit, futura post mortem præmia meritis cuique suis non annis metienda. Obitus Stanislai, adeo ipsi lætus, amantibus Sociis dolori fuit omnibus, in primis caro gentili suo Stanislao Varszevickio. Magnum in hoc juvene

(1) Parte prima, l. 6, cap. ult.

columen nascentis modo in patria provinciæ cecidisse sibi visum : spes illas omnes, quas adeo felix indoles sua fecerat patriæ, ablatas secum dolebat. 1568

Sociorum pietas erga Stanislaum.

Desiderabant collegæ vivum illud pietatis exemplum, quo præcipue ad virtutis studium movebantur; quare aliquam utique insignem Stanislai particulam, caput maxime, in loco, quo ad meditandum convenirent, proponendum sibi, rogitabant; idque demum anno 1570 per Rudolphum Aquaviva, Nicolaum Oborskium et Simonem Vysockium, hujus negotii procuratores, impetrarunt quidem; sed, quia integrum adhuc omnino esset corpus, partesque bene secum cohærerent omnes, res ipsa facultatem non habuit. Aliquot deinde annis, soluta artuum compage, ossa plumbeam in urnam collecta, decenterque locata; caput vero in oratorio pietati Sociorum expositum. Miris exinde signis Stanislai dignitas inclaruit (1).

8. Varsevicii Stanisl. in Societate tirocinium.

Jam Stanislaus mensem inter novitios exegerat, cum se inferret eodem Varsevicius. Hic antequam acciperetur, quia non civilibus tantum sed sacris etiam magisteriis impeditus esset, expedire atque adeo opus esse existimavit præpositus Societatis, vacationem ecclesiastici muneris veniamque ipse a Summo Pontifice ut peteret. Accepit benigne Pontifex supplicem, testatus diserte : « etsi quidem « idoneos ita viros, sacris in Ecclesia addictos officiis, cuperet esse quam plu« rimos; probari tamen deprecantis ea munera consilium : quando maxime ani« mum ad illud vitæ institutum appulit, quo si deinde uti voluerit, præclare cum « sibi tum adamato Ordini tum Ecclesiæ profuerit. » Itaque fausta cum prece dimissus, cum aliquot suis comitibus, quos suorum ipse imitatores studiorum adduxerat, in cœtum novitiorum colligitur. Pulchrum in hoc etiam viro Societatis scholæ Deus exemplum despicientiæ rerum caducarum, modestiæ, aliarumque virtutum proposuit.

9. L. Magius provincial. nova visit Collegia Brunsbergæ et Pultoviæ.

Tam illustrium parens virorum, Polonia, digna visa est Generali Francisco Borgiæ, cujus utilitati iret consultum impensius; quare dat negotium, diligenterque commendat Laurentio Magio, præposito provinciali per Austriam, iret in Poloniam, tradita sua rectori Collegii Pragensis Henrico Blissemio ad tempus provincia, et, si quid in Sociis vel Brunsbergæ desideraretur vel Pultoviæ, cognitor dis-

(1) Vid. in Vita hujus conscripta a P. Adalb. Tylkowski lib. 2. Stanislaum Clemens VIII in suis litteris Beatum appellavit. Concessu Pauli V imago Stanislai ad cultum proposita an. 1605. Clemens IX diem 13 novemb. sacrum Beato assignavit 1670; in patronos Poloniæ Beatos idem retulit an. 1673. Innocentius XIII, rogatu regis poloni Joannis III, festum Beati cum octava celebrandum concessit : Benedictus XIII in Sanctos retulit an. 1726, d. 3 decembris. Benedictus XIV decemdium absolventibus in honorem sancti hujus plenariam concessit peccatorum indulgentiam anno 1756.

1568 piceret. Angustior res Collegii visa Brunsbergæ, quam ut Sociis, triginta illis, alendis sufficeret; neque hæc ipsa tabulis legitime a conditore Hosio firmata. Ut nunc perficeret utrumque cardinalis, inductus est Laurentii consilio, viri propter humanitatem præcipuam et sapientiam gratiosi. Donatio rerum confirmata ex formula, missa a Præposito generali ; aucti tum canonis nummarii tum frumentarii redditus, disciplina cæteraque domus ordinata. Varsaviæ visit regem Laurentius et proceres tum frequentes, benevolentiam omnium erga Socios dexteritate conciliavit præcipua : carus ipse, quibusquibus cognitus esset, acceptusque a cunctis benigne. Quantopere vicissim ipse Polonicam adamarit gentem, testatum satis reliquit tum litteris (1), tum officiis. Omnibus inde studiis amplectendos nostrates, et, tanquam nobilissimam carissimamque gentem, in salutaribus negotiis juvandos esse statuit. Hortabatur Brunsbergenses Socios ad bene merendum de civibus. Hosii benignitatem etiam admirabatur ; qua princeps hospites, homines e nationibus variis accitos, dissimiles illos moribus, plerosque ad hæc tirones non bene subacto ingenio (neque enim tam facile poterant, iis statim initiis, ad omnem conformari honestatis regulam rudes juvenum animi) non aliter curabat, atque pater amantissimus : horum ille ægritudines leniebat, illorum sustinebat levitatem ; interdum, si quid erroris humani incidisset, auctoritatem obtendens suam, pusillum gregem suum pastor bonus charitate et constantia singulari tuebatur. Pultoviensis quoque lætus videbat incrementa Collegii. Fovebat orbam ibi ab obitu conditoris Andreæ Noskovskii familiam Sociorum, Andreæ olim adjutor in munere pontificio, deinde in cathedram Plocensem successor, Petrus Myszkovskius; tanto is deinceps beneficentior, quanto id minus ante polliceretur de se : ut qui officiorum etiam nostrorum fastidiosis videretur.

Brunsbergæ Collegium stabilitur.

Pultoviense Collegium fovet episcopus Myszkovski.

Laudes hujus antistitis multas sic Hosius cardinalis complexus est paucis : « sive generis, inquit, claritatem spectes, sive prudentiam et magnum rerum « usum, sive lenitatem et affabilitatem, sive linguæ donum dicendique facul- « tatem, virum fuisse in paucis, testamur. » Hujus procuratione, Cracoviæ, templum beati Mathiæ domicilio Sociorum attributum. Istorum antistitum exemplis excitatus, Valerianus Szuszkovskius Protasevicz Socios, datis tum ad cardinalem Hosium tum ad Collegium Brunsbergense litteris, Vilnam ad se invitabat. Non omisit utramque epistolam in universæ Historia Societatis Franciscus Sacchinus : neque nos in nostra omittendam putamus. Varmiensem ergo Vilnensis antistes de advocandis Vilnam Sociis ita convenit :

Cracoviæ templum S. Mathiæ concessum Collegio.

(1) Vid. Epistolas ejus in Appendice hujus libri, [ad annum 1569].

« Partim officii mei memor, quo Ecclesiæ Christi et meipsum et omnia mea « debeo, partem illius sanctissimi ac saluberrimi consilii haud oblitus, quo illu- « strissima ac reverendissima Paternitas vestra, pro sua singulari erga me bene- « volentia, amicissime dignata est commonere, ut, sanctis et piis vestigiis vestris « insistens, omnem meam operam darem, quo fratribus Societatis Jesu Vilnæ ali- « quod certum domicilium quam primum posset, constitui : ostendens, brevi tem- « pore futurum, ut res christiana, quæ his temporibus infelicissimis in hoc magno « ducatu Lituaniæ admodum vehementer nutat, hæresibus in dies aliis atque, « aliis pullulascentibus, eorum opera, Deo optimo aspirante, in tranquilliorem « statum posset redigi : etsi is non sum, illustrissime ac reverendissime antistes, « qui me, tantis angustiis interclusum, amplitudinem et majestatem clarorum « gestorum et factorum illustriss. ac reverendiss. Paternitatis vestræ, quibus jam « pene toti orbi inclaruit, sperem vel aliquam saltem similitudinem posse assequi ; « tamen, dictis causis permotus, pro ea rerum mearum tenuitate, in quam sum « per milites et hæreticos maximis injuriis redactus, quod potui, præstiti. Emi in « primis domum cæmentitiam, olim illam Dom. Lasinskiorum, cum multis aliis « commodis Collegio piorum istorum virorum satis aptam, tum vel eo maxime, « quod eo loci sita sit, ut et episcopi Vilnensis curiæ sit proxima, et ab omni stre- « pitu opificum longe semota. Habeo jam et prædium ære meo ibidem coemptum ; « unde singulis annis centeni aliquot floreni polonici in eorum necessaria redire « potuerint. Nunc illud mihi reliquum est, ut ill. reverenda Paternitas vestra, pro « suo in me valde propenso animo, unum atque alterum virum prudentem ex hac « Societate Brunsbergensi dignetur ad me Vilnam mittere. Et quia sic afflicta sum « valetudine, ut in dies impendentia pericula timeam ; cuperem tales mihi mitti, « qui ad capessendam possessionem bonorum omnium essent idonei : ut eos statim « dominos et hæredes omnium constituerem. Quod ut illustriss. ac reverendiss. « Paternitatem vestram pro sua in Ecclesia Christi vigilantia facturam spero ; sic « ego præter hoc, quod tot ac tantorum beneficiorum semper sum futurus gratus, « etiam Deum optimum maximum continuis votis sedulo orabo, ut illam ad suæ « Ecclesiæ Sanctæ incrementum in multos annos servet salvam et incolumem. Va- « lere illustrissimam ac reverendissimam Paternitatem vestram quam diutissime feli- « cissimeque percupio. Vilnæ ex curia mea episcopali, vigesima die augusti 1568. »

1568
10.
Protasevicius episc. Vilnensis Vilnam invitat socios epistola ad St. Hosium cardinalem.

Allata pariter ejusdem epistola ad Socios Collegii Brunsbergensis.

1568 Epistola Vilnensis Episcopi ad Socios.

« Cum pro meo pastorali officio subinde mecum cogitarem, reverendi Patres, « quibus modis res ecclesiastica in hoc magno ducatu Lituaniæ ob infinitas fere « hæreses valde labascens possit quoquo modo erigi et attolli; venit mihi in men- « tem, Deo sic procul dubio volente, reverenda hæc et celebris Societas vestra; « quæ cum pro suo instituto et eam vitæ rationem sit complexa, et verbis facta « valde cohæreant, et omnium disciplinarum optimarum tam divitem scholam ape- « riat, ut ex ea, tanquam illo divite cornu, quilibet in usum suum necessaria queat « facile depromere; in eam spem sum adductus, ut credam, his vestris sanctissi- « mis armis, quibus vos audio satis abundeque esse instructos, omnes has pestes « grassantes ab ovili, mihi a Christo commisso, depelli posse. Quo vero hoc per « vos Christi operarios strenuos commodius agi possit, primo domicilium satis « commodum vestro instituto jam curavi; deinde et prædium, unde necessaria « Societati vestræ non aspernanda esse possint. Verum ut de his, quæ sunt jam « parata, et de cæteris, quibus præterea opus esset, tanto melius et certius possit « constitui, reverendas Paternitates vestras obnixe peto, ut, pro vestro in Eccle- « siam Christi zelo sancto, unum alterumve virum doctum ex Collegio vestro « ad me Vilnam ad certum tempus quam primum mittere dignentur : qui quasi « prodromi una mecum omnia præparent, quæcunque ad professionem Societatis « vestræ videbuntur requiri; simulque eorum bonorum, quæ jam sunt parata, « possessionem capiant. Quod ut vos pro vestro in Ecclesiam Christi amore fac- « turos non dubito; sic ego dabo omnem operam, ut hi viri boni, quos mittetis, « satis abunde habeant omnia : et de reliquis ex eorum consilio sic instituam, « ut venerabili Societati vestræ satis commodum domicilium hic figi possit. De « qua re etiam ad illustrissimum dominum cardinalem episcopum Varmiensem « scripsi, Dominum meum observandum. Qui etiam, pro sua in me benevolentia, « non dedignabitur, quod possit huic rei usui esse, in commune consulere. De « reliquis hic meus famulus, qui reverendis Paternitatibus has litteras reddet, « vobiscum aget. Valere vos diutissime felicissimeque percupio. Vilnæ ex nostra « curia episcopali, 20 die augusti, anno Domini 1568. »

Heilsbergæ, ubi tum hospitio apud cardinalem utebatur Magius, utrique pariter oblatæ litteræ : reliqua per internuntium explicata. Orabat is etiam atque etiam, ut ne gravarentur Patres, sed, quanta festinatione possent, obsecundarent desideriis boni antistis, pene immensis : « nimiam sibi fore, quamlibet parvam, in « eo moram negotio; quod ætas sua ingravescens plura sensim in dies de vitæ « officiis amitteret, hæreses interim aliæ ex aliis nascerentur, ac firmitatem

« roburque per ipsum tempus sumerent, nimium quantum eas pestes gliscere « per Lituaniam. Vilnæ in urbe, vetere illa religionis arce, fœdam passim sacro- « rum cerni stragem, moliri sectarum magistros artibus suis pestiferis gymnasia, « inque eam rem conferri pecuniæ vim, alibi excitatas ab ipsis patere jam male « imbuendis juvenum animis scholas; festinarent igitur pii conatuum suorum « adjutores, senemque optimum, desiderio etiam adventus sui tabescentem, re- « crearent. Currus, commeatum, omnia ituris præsto esse. Sperare antistitem, « si catholicæ academiæ spatiis, quam impigre moliretur, occupatus fuerit locus, « proclivius fore, ut hinc tum ipse, tum rex Augustus, tanquam ex propu- « gnaculo reprimant hæreticorum vim, conatusque prohibeant. » Magium interim, quod accidit incommode, non levia nescio quæ Pragensis Collegii negotia revocabant. Dolenter ille tulit, eam obsequendi benevolo antistiti occasionem occursu difficultatis domesticæ oppressam esse; veniam ergo ejus temporis sibi dari a benevolo petiit submisse; prolixe de sua voluntate pollicitus, se in Austria etiam provincia non defuturum antistitis optimi desideriis : quidquid statuisset ipse, id apud Ordinis sui Magistrum fideliter se transacturum. Et vero obsecutus est diligenter, tum per litteras (1) tum per internuntium Petrum Skarga; quem Romam expediebat, aggregandum in numerum Sociorum (2).

1568

Magius tardat in colonia Vilnam deducenda.

12 Elbingæ domicilium, anno proximo collocatum, Socii ipsius patientiæ armis obtinebant, nequicquam hæreticis invisos hospites exturbare conantibus. Expertum violento nuper certamine virum, P. Petrum Phäe, fraudibus emovendum et maleficiis tentant omnibus : jam injectis clam in cubiculum aliis super alias litteris, proborum minarumque plenis ; « jam per subornatos monitores; qui per officium quasi « amicitiæ certis hominem deterrerent periculis : vicenos scilicet amplius esse, qui « pestem hospiti molirentur, patrandi certos facinoris ; male Petro, male sibi ami- « cisque cæteris metuere; jam natalem Christi diem nuperum reliquo vitæ suæ « fructui decretorium futurum fuisse ; nisi Petrum qui nescio genius monuisset, ut ne « hora illa, ad quam armati convenerant, sed paulo maturius suum fecisset sacrifi- « cium. Confirmant dicta scripto callide subjecto : ut ne triumpharet propterea, « quod caput, suis devotum securibus, nuper subduxerat : et se invidiosum et ul- « tores domi esse. Effugerit tum supplicium cautus; aliquando utique subeundum « esse, idque tanto gravius, quanto pertinacia sua fuerit cunctantior. » Ita hæretici Petrum, leonem scilicet vulpeculæ, territabant. Contempsit vir fortis ea Elbin-

Elbingæ oppugnatur fraudibus hæreticorum P. Petri Phäe constantia.

(1) Vid. Epistola ejus in Appendice. — (2) 11. Petrus Skarga Romam mittitur probandus inter novitios; acceptus Romæ anno 1569.

1568 gensium mostellaria. Nulla hunc deinde maleficia, non jactati in caput de plateis lapides, non morticina ante fores arasque etiam sæpe templi projecta, non sordes, obscœnæque imagines, carminaque in papistas dira, non aliæ crudeles injuriæ de statione depulere. Adversus vim fraudemque virtute obnixus, malignitatem hominum superabat; effecitque ea viri constantia, ut religio catholica Elbingæ convalesceret insigniter. In eo conatu Petrus, omnibus frustra tentatus aperte maleficiis, veneno denique sublatus est (1). In hujus vicem operarii e Brunsbergensi Collegio, Philippus Vidmanstadius, germanus, et Lucas Krassowskius, polonus, successere.

P. Phäe sublatus veneno.

1569

13.

Vilnam Socios deducit in coloniam novam P. Sunner.

Quo anno Lituania (2) conjuncta cum regno Poloniæ ita coaluit per comitia utriusque gentis Lublini habita, ut et ratio eligendi regis ac potestas utrique communis esset, et rex Polonorum idem magnus Lituanorum dux haberetur : eo Societatem illa nostram accepit Vilnam per suum episcopum Valerianum Szuszkovskium Protasevicz. Duos ex Olomuciensi Collegio sacerdotes, Baltasarem Hostovinum et Andream Frisium (3) cum totidem adjutoribus laicis, qui tantisper Vilnæ, tanquam in statione, Collegium exspectarent, provincialis deduxit Franciscus Sunnerius. Statim ut de adventu proximo accepit Valerianus nuntium, obviam et rhedas et comitatum ex aula mittit lectissimum. Sunnerio eam, ut quæ non suæ religiosorum hominum apposita foret modestiæ, deprecante a se pompam, armatorum insuper advolat turma; ab antistite contracta ad vim, siquam hæretici cum suo Vilnensi Palatiuo ingredientibus afferrent, vi repellendam. Suboluerat nimirum illis hominibus, quid episcopus adversus partium castra suarum, religionis defensor acer, moliretur. Itaque Socii, qui se pedibus, quemadmodum inter se condixerant, inferre maluissent, asseclarum illi nobilium militumque comitatu septi, in urbem via consulari invehuntur; effusis undique urbicis, studio videndi advenas, dissipato jam ante rumore celebres, ultro citroque occursantibus. Mense septembri urbem domumque præparatam subiere. Qui religionis fuerit in civitate status adhuc, narravimus; quid porro oppidi ipsa sit Vilna, non prætereundum silentio : est enim urbs Lituanicarum omnium caput, cujusque civitatis insignia sunt in Societatem beneficia.

Quatuor hodie ipsas frequentes Societatis domos ambitu suo complectitur professorum, academicorum, novitiorum, et juniorum, qui Societatis ritu tertium

(1) V. Joan. Leo in Hist. Pruss. pag. 436.— (2) P. Kojalovicz, Miscell. pag. 96.— (3) De adventu plurium Sociorum vid. num. 22.

1569

14. Vilnæ urbis descriptio. Vid. et append. l. 5, Domicilia Sociorum.

Tempus conditæ urbis, hujus situs et celebritas, templa, et cœnobia.

probantur, sacerdotum; duo insuper seminaria scholastica : alterum clericorum, qui aluntur impensis Romani Pontificis; alterum convictorum nobilium. Urbs annos abhinc quadringentos amplius a Gedimino magno Lituanorum duce condita : hinc ad Viliam fluvium, mercibus Baltico mari transmittendis opportunum, illinc ad multæ utilitatis confluentem, diminuto nomine Vilijkam, inter clivos nemorosos montesque arduos, salubri sita cœlo et loco amœno : a meridie septemtriones versus planitie leniter devexa, inter perennium scaturigines fontium, ad perpurgandam etiam urbem natas. Arx e jugo summo medio fere impendet oppido; hanc infra jacet altera, et basilica magnorum Lituaniæ ducum ædes; olim amplissima atque omnino regia, hodie ipsæ parietinæ. In longitudinem urbs ad leucam prope porrigitur. Intra mœnia ædes cæmentitiæ et palatia principum magnifica. Templa amplius triginta, pleraque augusta ornataque. Domicilia religiosarum familiarum plus vicena; in his Augustiniana Eremitarum, Canonicorum Regularium, et Fratrum de Pœnitentia, Basilianorum, et institutarum ejusdem Ordinis monialium; Benedictinarum B. virginis Scholasticæ, Calassantinorum sive clericorum regularium Matris Dei piarum scholarum, clericorum diœcesis Alumnorum, clericorum Missionis B. Vincentii a Paulo, Carmelitarum antiquæ observantiæ cœnobia tria; præter hæc Excalceatorum ejus B. Eliæ aliud, aliud monialium Beatæ virginis Teresiæ; Dominicanorum item tria; in urbe unum, duo extra : alterum in agro suburbano, in collibus Vercarum alterum; Franciscanorum domus quatuor : Conventualium, Fratrum Minorum de Observantia, monialium B. Claræ, et monialium Tertiæ Regulæ; præterea Fratrum Hospitalitatis, B. Joannis de Deo sodalitium; Marianitarum Congregationem, Parthenonem B. Joannæ Fremiot de Chantal, Gynæceum puellarum a Charitate nuncupatarum, instituti B. Vincentii a Paulo; familiam Ordinis Sanctissimæ Trinitatis a Redemptione captivorum, Congregationem a B. Rocho dictam Rochitarum, templa præter hæc aliquot curialia, domusque curionum, Divi Joannis Academicum, B. Stephani proto-martyris, Sanctæ Trinitatis, sanctorum Josephi et Nicodemi, B. Mariæ Magdalenæ : templum cathedrale archiepiscopi metropolitani Ruthenorum; et, quæ civitatis ac diœcesis Vilnensis caput est, ædem basilicam Divi Stanislai M., cathedram Vilnensis episcopi, a Vladislao Jagellone Polonorum rege anno circiter 1387 conditam : hæc, inquam, Vilna hodie complectitur. Sunt ibidem aliquot, quæ civitas ægre sustinet, alienarum fana sectarum : Græcanicum Photianorum monachorum et frequens cœnobium, Luteranicum, Calvinianum, Tartaricum et Synagoga Judaica. Satores religionis christianæ primi : B. Vitus e

Fana sectarum ibidem.

1569 sacra Divi Dominici familia, Mendogo Lituanorum principi, sacris christianis per
15. Christianæ relig. initia in Lituania. Albertum archiepiscopum Rigensem initiato, ab eodem episcopus Lituaniæ potestate Romani Pontificis creatus (1), magister datus est anno circiter 1255. Hunc Hiacynthus Pruszcz, Dominicanus, rerum patriarum scriptor, nominat Lubszczanskium. Expulsus est antistes pius ex Lituania ab eodem Mendogo, jam perfido; anno deinde 1397 archiepiscopus Rigensis Joannes de Zitten Livo, Lituanis a Bonifacio Pontifice Romano IX impositus patriarcha : apostolus vulgo Lituaniæ dictus Hieronymus Pragensis, ex Ordine Beati Romualdi, in constituenda hic Christo vinea conatu pari desudavit (circa annum 1430). Ante hunc, annum circiter 1333, Olgerdo magno Lituanorum duce, Petrus Gastoldus, præses Podoliæ et Podlachiæ palatinus, viros e familia Beati Francisci, Conventualium dicta, religiosissimos ad lustrandam excolendamque gentem Lituanicam a Podolia advocavit. Hi malignum hunc agrum non sudoribus tantum operarii, sed sanguine etiam martyres irrigarunt. Ex eodem Ordine sacro primi fuere Vilnensium episcopi : Andreas Vaszilo, nobilis Polonus (2), et hujus in cathedram successor Jacobus, gente Lituanus, laboribus anno 1399 immortuus. Sed ab his ad rem Vilnensium civicam redeamus.

16. Frequentia civitatis et ædificia Vilnæ. Frequentem adeo civitatem hanc aliquando fuisse ajunt, ut ex ipsa ad centum millia tironum, armis utilium, legi facile possent. Domus urbicas non ejusmodi videas, cujusmodi putant quidam, a scriptoribus rerum nostratium ignaris non recte docti ; nam ædes Vilnæ complures cernas e cocto lapide, quales alibi in urbibus inclytis, prææaltas illas, imbricibus tectas, impendiis constructas multis
17. Mores Lituanorum. Vid. et appendicem l. 5, de apotheosi Casimiriana secunda. ornatasque. Mores Lituaniæ, agrestibus rustici, oppidanis civici, nobilibus commodi. Fuerint his quondam ritus etiam ejusmodi, cujusmodi Gallis etiam Germanisque fuisse, meminit Julius Cæsar (3) ; serius sed jam venerant huc Socii, quam ut illis Italis, Germanis, Hispanis, aut Belgis esset, quod in civilitate Lituanorum rebusque nobilium præ gentium munditiis aliarum fastidirent. Quin plures etiam tibi numerem, qui cum Laurentio Magio (4), Sunnerio, Possevino, Lituanos multis, quæ tum inter cultissimas haberentur, gentibus humanitate, beneficentia, aliisque laudibus, existimarint antecellere. Unum hic e multis accipe, eumque Italum, Romani rectorem Collegii, scriptorem in primis Italis nobilem (5), Danielem Bartolum. In vita ille Beati Stanislai Kostka: « nobilitati, inquit, Polonorum, « ac gentibus in Europa cæteris, neque in sese, neque in rationibus agendi tam

(1) Vide superiori numero primo. — (2) Creatus episcopus anno 1387, mort. 1399. — (3) Lib. I et 6, de Bello gallico. — (4) Vid. epistolas horum in appendice hujus libri. — (5) Scripta hujus vid. in Bibliotheca scriptorum Societatis P. Nathan. Sotuelii.

« magnificis peræqua est portio. Rex Polonis ex arbitrio : suis scilicet lectus suf- 1569
« fragiis; quique præsit civibus, non imperet. Itaque haud scio, utrubi suæ plus « genti laudis : quod regem sibi eligant Poloni, an quod ex ipsis electoribus quivis « rex esse possit. Electo a se principi ea exhibent officia, quæ media sunt obse- « quentiam inter et servitutem; utque ei subdunt se sponte sua, sic imperium, « quod tyrannicum, quod regium sit, pati haud possunt : nihil itaque rex potest « decernere, quod civis Poloni immunitati officiat. » In eam rem constituta Senatorii et Equestris Ordinis consilia; in quibus quidlibet negandi aut statuendi unicuique, qui ex concilio sit, potestas integra; rex caput est, corpus senatus; hujus pars princeps episcopi; atque hi quidem pauci, ut qui sint præpotentes; secundum hos palatini, iique plures, tot scilicet, quot majores provinciæ, in quas universitas regni dividitur. Palatinos consequuntur castellani, certis regionibus præpositi; hos denique ministri status etc.

18. Laus Polonorum civium.

His adde, quæ de Polonis (1) P. Nidendorf germanus noster in opere suo geographico : « generosos, inquit, spiritus ab ipsis pene cunabulis hauriunt Poloni « nobiles; quibus precaria vita mors quævis potior; libertas et vita eodem passu « ambulant. Nusquam nobilitas honoratior, nusquam liberalibus disciplinis magis « exculta, nusquam potentior. Quos ipsa creavit, regibus jura præscribit. Una vox « omnium : servire, ignavorum animalium est, et sub jugum mitti. Non sortimur « libertatem, sed communiter accipimus. Quam fortiter stent pro fide catholica, « testatur districtus sub Evangelio gladius, etc. » Ita scilicet superiores ævi nostrates religionem catholicam solebant profiteri. Et Sfortia Pallavicinus, e Societate cardinalis (2) : « ecquid Polonia, Polonisque regibus vectigales provinciæ huic « sodalitati propitiæ? Dispice Academiam præclarissimam Vilnensem, a nobis « administratam : dispice tot insignia Collegia, tot magnifica templa, quæ inibi « possidemus. Quære, num Stephanus Bathoreus, Stephanique successor Sigis- « mundus III, antiquæ pietatis in amplissimo Poloniæ regno, hæretica supersti- « tione discerpto, reparatores eximii, per alios milites frequentius aut felicius « novatorum agmina profligaverint. An non ipsi, an non reginæ, an non regalis « Sigismundi soboles ex nostra Societate sibi legere consueverunt conscientiæ « moderatores, ac divini verbi præcones? Quid multis opus est? faustissima ejus- « dem progenies Casimirus (cujus nuper inauguratio Poloniæ pacem, religioni

Laus Academ. Vilnensis.

19. Laus Regum Poloniæ.

(1) V. in Appendice lib. 5. Vid. præterea ejus generis apud Thomam Bozium, Eugubinum, Congregationis Oratorii presbyterum, de Signis Ecclesiæ tomi secundi, partis alterius lib. 21, cap. 7. — (2) In vindicationibus Societatis Jesu, cap. ult. pag. 401.

1569 « securitatem restituit) paucos ante annos in nostro panno victitare, ac dextra « sceptro debita emendicare, gloriosum duxit; suspiciente tum Roma grandius « aliquid pariter ac felicius, quam mendicatum, victa Carthagine, panem a Mario : « ille civili manu, hic regali : alter contemptum fortunæ ludibrium, alter dilectum « plausori cœlo spectaculum. In istam tam illustrem caramque gentem advenæ « accepti sunt Socii. »

1570

20. Vilnæ perficitur ac stabilitur domicilium.

Jam Valerianus pontifex, novæ in Lituania e variis gentibus familiæ conditor, loco in urbe percommodo, e regione curiæ suæ, domum, quæ facile habitatores, homines religiosos, triginta complecti posset, utensilibus omnibus instruxerat : jam et prædia, unde vectigal quadraginta prope alumnorum victibus annuis proveniret, attribuerat ; hæc tamen omnia, quoniam Collegium frequens et academicam litterarum universitatem moliebatur, tanquam rudimenta et pignora quædam suæ beneficentiæ, amplioribus confirmandæ muneribus, offerebat ; comparare interim se et domui amplificandæ et templo construendo necessaria ; nihilque magis metuere, quam ne telam, quam, Deo bene juvante, exorsus esset, quando jam ætatis annum quintum supra sexagesimum agebat, valetudine nequaquam firma, mors præcideret ; tametsi præoccupasset jam omnem casum, ut qui mature testamento cavisset, quo Brunsbergensi Collegio Vilnensis condendi potestas omnis delata esset.

21. Varszevickius cum Magio revisit Poloniam.

Ex urbe Stanislaus Varszevickius in Germaniam ad Provincialem Laurentium Magium, cum hoc deinde in patriam, primum quidem ad tertium kalendas junias Posnaniam, inde 4to nonas julias Vilnam (quo Roma a Præposito generali Francisco Borgia mittebatur), auctus ille jam et pietate et litteris, pervenit. In Polonia, qua ibant, hospitalitate præcipua a viris principibus accepti, maxime Posnaniæ a procuratoribus episcopi Adami Karnkovskii, ejusdem commendatione (nam ipse tum aberat, ab Sigismundo Augusto ad Romanum imperatorem legatus), a vicario item episcopi, a collegio canonicorum et civitate ; omnibus omni officiorum genere concertantibus ; ut, ejus benevolentiæ suavitatem regustando, affirmaret Magius :

Posnaniæ humaniter accipitur.

« Nusquam sibi gentium visam humanitatem tantam, quantam experiretur in « Polonia ; eorum etiam, qui se ab Ecclesia segregassent : homo ille alienigena, « hæreticis Papista, Jesuita. » Non est dedignatus homines peregrinos palatinus etiam Posnaniæ, Martinus Zborovskius ; homo alias, ut religionum novarum studiosus, sic fastidiosus in sacerdotes catholicos. Invitavit ad se viatores, habuitque in suo suburbano cum laute tum modeste ac benevole. Permovit ea viri humanitas Magium, ut diceret : « si tantum princeps iste de casta religione haberet, quantum « urbanitatis et suavitatis a natura accepisset; dignum profecto fore, in quo omnes

« amando et colendo certarent. » Ad mensam opportunum tempus sermonis de religione sincera inferendi nactus, non omisit, quæ convivatori salutaria forent, scite suggerere. Sed opinio præjudicata plus valuit in homine, quam ut illa, tantulo præsertim tempore, et loco controversiis non suo, evelli posset ex animo. Affectam utcumque rem esse, tentatumque animum satis habens, herum, amiciorem jam paulo catholicis, valere jussit. In urbe interim sermones de Jesuitis inter cives et consilia : quando civitati suæ ipsa Dei providentia homines e Societate desiderabiles obtulisset ; quibus eos rationibus apud se retinerent, pluresque inde ex eadem familia haberent domesticos : excitandam in primis domum invitandis, ædificandum templum, nummos in rem conferendos. Hæsisset hic jam cum Socio Magius, si profectionis in Lituaniam maturandæ leviores his causas habuisset. Quando quidem teneri non poterant, viatoribus caris senatus urbicus prætoriano suo consilio liberale decernit viaticum ; idque per consules offert cum præfatione honorifica. « Gratam sibi adeo eam humanissimæ civitatis esse voluntatem, ita « Magius, ut cum ipsa nullum, quamlibet pretiosum et utile, munus sit conferendum : « superflua omnino esse cætera ; modum, rogat, animis definirent prolixis ; neque « rebus, quæ sibi festinanti impedimento essent, viatorem onerarent. » Pecuniam itaque aliaque munera cum gratia remittit. Sed amantes, voluntatem suam modestiæ Patrum concedere, non passi : dum hospites occupati sunt, illi currus clam onerant viatico.

1570

Posnanienses Societatis cupidi.

Quo die venerat Pultoviam, eodem perrexit Varsaviam, cum Sunnerio et Varszevickio Magius ; a pontificio apud Polonos internuntio Vincentio Portico vocatus ad comitia regni generalia. Benevolentia procerum accepti sunt insigni, a rege etiam Augusto, patrocinium suum prolixe, quacumque in causa opus foret, pollicente. Jam principi Magius notus erat ; Varszevickius eidem dudum etiam domesticus : cum hoc se oblectat princeps, de se suaque Societate amanter percunctatur. Denique, quid Romæ in sua Societatis schola novus Jesuita didicisset, « velim, « inquit, aliquo die festo tu mihi concionator populoque probes. » Concionatus est die proximo. Regi, senatui, episcopis, populo placuit orator mirifice ; in primis Annæ sorori regiæ, virgini pietate singulari, Ordinis nostri amantissimæ. Hanc die postero invisit Varszevickius, obtulitque Roma litteras ; per quas Pius V Pontifex hortabatur, sororis suæ maritum, regem Sueciæ Joannem, ipsa quoque, quæ sua esset pietas, ad Romanam Ecclesiam revocandum curaret. Societate sua Magius regi et principibus commendata, Pultoviam se cum suis retulit comitibus ; inde P. Vujeko Wangrovickio in Roxolaniam misso exploratum, Premisliæ an Leopoli

Regem visit et Reginam Varsaviæ.

Ibidem concionatur.

1570 collocando Sociis domicilio, utra in urbe, locus foret opportunior : quando quidem optio eligendi dabatur ab invitantibus; Vilnam ipse ad Valerianum episcopum, jam diu Sociis præstolantem, cum lecto de collegis Pultoviensibus manipulo diu noctuque festinavit. Quarto nonas quintiles urbem subeunt, cum solis ortu pariter; eo ita matutini consilio, benevolentiam antistitis apparatamque ad excipiendum pompam ut occupent. Primo statim, quo foret commodum, tempore hospites filii parentem sui collegii salutarunt. Ad eum conspectum incredibilis utrinque coorta lætitia : hinc, quod principem carissimum, desiderio sui luculente affectum, spectarent incolumem; illinc, quod filios, peregre accitos, tandem pater in suum gremium acciperet.

22. Magius Vilnæcum Sociis Valerianum ep. salutat.

Itaque Valerianus, sacerdotum atque antistitum frequenti stipatus senatu, pontificio ornatu fulgens, hospitibus facit audientiam. Sociorum causam sic orat Magius : « Tandem aliquando, illustrissime præsul, homines expectatissimi tibi, et « cupidissimi tui, divino beneficio adsunt. Ambigebam ego, undenam hæc verba « ordirer : et cogitabam, excusare principio adventus nostri tardidatem; ut statim « (quod præcipiunt rhetores) quidquid primam hujus congressus minuere posset « gratiam, amolirer. Sed, ut primum frui tuo conspectu datum est; tua singularis « humanitas, et summa benignitas, quam vultus optimi et pollicentur et exhibent, « persuasit, nihil esse salutationis officio prævertendum. Ante omnia igitur, Præ« positi nostri generalis et cunctæ Societatis et nostro, qui præsto sumus, nomine, « plurimam tibi studio tanto, quantum maximum humanus capere potest animus, « salutem dicimus : omniaque fausta, felicia, diuturna, et, post hanc vitam, beatam « æternitatem precamur ab eo, a quo omne datum optimum et omne donum « perfectum descendit; simulque tibi omnem operam cunctosque labores nostros « dedicamus et tradimus : satis gnari, vicissim in te disciplinæ nostræ defensorem « acerrimum et conservatorem studiosissimum fore. Societas quidem nostra, ut « sanctis morem gereret votis tuis, nulla importunitate temporis, nullo Collegio« rum incommodo, hunc, quem in conspectu jam et jure tuo habes, manipulum, « per injurias cœli, per viarum ærumnas, per incerta casuum ad id usque terrarum « misit. Misit autem libentissime gemina de causa : primum, quod curas omnes « atque cogitationes tuas in ea religione sustentanda atque restituenda cunctis « ipsa quoque suis viribus elaborat; deinde, quod tuorum experta, quibus præoc« cupata est, magnitudinem meritorum, cum partem assequi nullam referenda gra« tia posset, hac saltem significatione profiteri se non ingratam, curavit.

« Nos vero gratias immortales clementissimo duci Deoque agimus, qui nos tan-

« dem, per quidquid molestiarum atque discriminum fuit, incolumes huc perduxit; 1570
« ut te, quem absentem observabamus, contemplari ac venerari præsentem, atque « excelsum istum, cunctisque virtutibus exaggeratum, animum coram admirari « possimus. Tibi deinde Ecclesiæque tuæ Vilnensi gratulamur omnes ex animo, « quod pietatis ardorisque erga divinum cultum in tuum pectus summa bonitas « tantum effudit, ut singularis quædam, longe lateque per exteras quoque gentes « excitata, opinio sit apostolicæ sollicitudinis tuæ : ut in spem ubique boni omnes « erecti fore, ut catholica sacrosancta religio, per homines nescio quos novitios « et adolescentulos labefactata, brevi per sapientiam et gravitatem tuam in statum « pristinum reponatur. Quod profecto ne vel gravior ætas, vel inclinata impediat « tua valetudo, magnanime Pater, vereri non debes : aderit enim senectuti Davidis « fovendæ virgo Sunamitis : aderit ea virtus e cœlo, quæ ultra maternos annos « provectæ Saræ non modo prolem, sed et ejusmodi dedit, per quam ad universita-« tem gentium felicitas ac benedictio permanaret. Deus noster bonus est, potens « est : nunquam abest iis, qui pro ipso laborant in remigando. Si non adsit in « prima vigilia, si cesset in altera, si ne in tertia quidem appareat; at certe adest « in quarta : increpitoque vento ac mari, et facta tranquillitate magna, perseve-« rantes deducit in portum voluntatis eorum. Ad extremum, reliquum est, præsul « optime, ut et muneribus, quæ de longinqua regione adveximus, præsentiam tuam « pro nostra tenuitate honoremus. Alia præbebunt alii; a nobis, quantulacumque « sunt, accipe nos ipsos, et nostra nobiscum omnia. Accipe, qui te clementissi-« mum nobis dominum et indulgentissimum patrem exhibes, obsequentissimos « servos, et observantissimos filios. Unum est, quod vereri nobis convenit, ne eve-« niat tibi, quod olim Davidem quærentibus, qui pro homine statuam invenerunt. « Digna quidem vota Saulis fuerunt, propter immanitatem quæ frustrarentur ; et « digna tua sunt, propter charitatem quæ superentur : nam quemadmodum decuit « innocentem hominem ad exitium quærenti simulacrum offerri ; sic æquum esset « tibi, tot animarum spectanti salutem vel statuas animari. Sed id quoque merito « tuo precatuque præstabit, spero, is, qui potens est de lapidibus istis suscitare « filios Abrahæ. Jam ad tarditatem excusandam obsequii nostri inexsuperabilia « occupationum impedimenta commemoranda essent. Verum præstat simpliciter « profiteri, si quid in ea re peccatum est, jam nos abunde pœnarum dedisse ; « quibus optatissima præsentia tua interim, magno dolore nostro, carendum « fuit ; et nunc denique connisuros, ut quidquid cessatum est in itinere, compen-« setur in opere. »

1570 Gratulatur Valerianus de hospitibus

Ad orationem Magii antistes et oris habitu ad benignitatem mire compositi, et lacrymis gaudio manantibus graviter luculenteque respondit ; addidit, nunc se demum in spem optimam religionis civibus suis restituendæ revixisse : nunc se, virum desideriorum, a Deo clementissimo exauditum esse. « Videre « jam mihi, inquit, videor, tanquam cum post diuturnam, atram, luctuosamque « noctem, exorto sole, evanescunt, quos aliquis, febrim passus, formidabat, « lemures, atque alia quæ nescio mentis ægræ terricula ac tædia ; omni repente « ad primum hospitum conspectum discussa illa, plena spectrorum, caligine, lucem « quandam novam mihi urbique huic affulsisse. Jam, quod animo lætus præcipio, « vestra, Socii, heroes Christi, opera et suam templis religionem, et civibus « pietatem, et populo legum divinarum reverentiam, hodie restituta esse, « gaudeamus immortaliter. Adeste mihi, obsecro, homini per ætatem invalido, « adjutores : adeste genti huic, suopte ingenio candidæ, et ad pietatem propensæ. « Neque nos interim cessabimus. Enitar enimvero, ut ne mihi meisve opera, « consilio, et quoque potero modo, desim. » Singulos deinde paterno dignatus complexu, hoc die ad mensam suam jussit esse convivas. Discumbentes sic ille contuebatur, tam amanter compellabat, poscebatque, ut ex ore, ex omni gestu hilaritas et benevolentia præcipua emineret. Sexto post die visit Collegium, comitatu stipatus ornatissimo. Recta se cum Sociis in sacellum contulit domesticum, tum profitendæ suæ apud Deum voluntatis, tum gratiæ et opis implorandæ causa : uti se et, quam adduxisset, familiam acceptam Deus O. M. sartam tectamque adversus hostes esse vellet. Decantatum subinde sacrum divinæ Trinitati votivum. Secundum id a Sociis et a juvenibus scholasticis oratione latina, tum poesi hebraica et græca Pontifici benefico, Collegii nascentis nomine et gymnasii, actæ gratiæ. Subinde in Lycæo a magistro eloquentiæ de utili artium bonarum studio, ejusque honestate, ad juventutem publice instituta oratio : reliqui postremo aliarum præceptores facultatum suas quisque musas ordine commendabant. Pauci initio in scholis, atque e civitate ipsa censebantur ; litteris mox per provinciam dimissis Pontifex familias admonuit, apertum esse Vilnæ gymnasium utilitati publicæ : « mitterent filios, instituendos honestissime : « præceptores esse lectissimos, viros cum doctrina tum pietate commendabili. « Appetere 8 Idus majas, diem Beato Stanislao martyri sacrum ; ad quem « cuperet videre juvenes in scholis quam frequentissimos. » Hunc quidem scholarum, Collegii autem quitumdecimum ante sextiles kalendas pro natali quot annis diem voluit observari : quod eo die a Luceoriensi in Vilnensem cathedram

Deo commendat suam Pontifex coloniam.

A scholasticis in domicilio novo salutatur.

Apertum gymnasium.

Dies natalis Collegii et gymnasii.

ipse erat anno 1555 translatus. Primus Collegio præfectus Stanislaus Varszevickius 1570
idem hic domus rector, idem concionator in templo Divi Joannis curiali. Collegium jam tum constabat e Sociis sex supra viginti. Menses prope duos commoratus Vilnæ Magius; institutis rite novelli rebus Collegii, ibidem, quamdiu maneret, diebus quot festis ad Italos, urbis hujus incolas, concionatus; Sextili exeunte, in Varmiam, inde Augustam Vindelicorum rediit; eo usque carpento, quod viatori donarat episcopus, vectus, a re viatica largiter ab eodem munitus; præter famulos, uno ex honorariis aulæ pontificiæ asseclis comitante. Non omnia, quæ domi, quæ in templo, et quæ in scholis instituenda essent, hospites Vilnenses dispexerant, cum ab hæreticis, quid isti doctrinæ et artium Lituanis attulissent advenæ pertentantur.

Primu Collegii rector Varsevicius.

Magius redit in Germaniam.

Primus id periclitatum venit, homo cerebrosus, pugnax, sectator Calvini perditus, Andreas Volanus; quo palatinus Vilnensium præses in aula sua familiarius utebatur. Hic cum Andrea Tricesio, audaci æque versutoque rabula, et Calvinianorum Luteranorumque multo grege, Collegium adit : superbe nescio quid statim in limine iracundeque præfatus, hospites provocat ad scholasticum certamen de religionis catholicæ veritate; objectis certis, in primis de sacramento altaris quæstionibus. Non ignavos offendit ille, neque ab armis imparatos. In eodem vestigio quærimus : « an boni novæ theologiæ magistri, in his utique, quæ sancti Ecclesiæ « Patres docerent, fidem habendam putarent? affirmant utique. » Ergo proluditur; afferuntur libri; sententiæ patrum, Augustini in primis et Ambrosii, proponuntur. Objecta res argutulis, quam ipsi vellent, luculentior; eadem argumentis confirmatur. Obloqui quædam illi more suo, et ex alio in aliud saltitare. Confusa, et ipsis versutiloquorum strophis perplexa, ac sine arbitris velitatio. Provocandos inde omnino censebant socii gladiatores istos in arenam; tum infringendæ ejus suæ audaciæ causa, tum populi fidelis, quem isti lacesserent, confirmandi. Selectas itaque ex universa theologia, interque eas de vera corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini in sacramento altaris præsentia, sententias, omnibus palam propugnandas, e foribus templi appensas, invitamentum prætereuntibus objiciunt. Ea provocati dica, octavo die inde se commovent hæretici, atque ad pugnandum suis succincti armis conglobantur. Joanni Haio, gente Scoto, artis rhetoricæ magistro, propugnandarum thesium datum negotium, Stanislao Varsevicio et Baltassare Hostovino præsidibus. Ad propositum certamen frequentissimi cives, complures hæretici, quasi dies si dicta foret omnibus, convolarunt. Sed controversia omnis inter ipsos Socios, hos oppugnantes, defendentes illos, transacta; nemo hæreticorum unus se ingerere, ac ne hiscere quidem est ausus : ita sua au-

23. Vilnæ certamen primum cum hæreticis.

1570 dacia repentino quo nescio metu obtorpuit. Totum itaque triduum, nullo interpellante alio, hæreticis periculum recusantibus, inter ipsos Sodales nostros disceptatum. Pars interim utraque rem suam agebat strenue : ut hæc pro religionis veritate certantium, sic illa, ex persona jam Calvini, jam Arii, jam Luteri et Zvinglii oppugnantium. Fjusmodi controversiis, institutis sæpius, effectum denique, ut in hæreticis quidem hebesceret sensim acies auctoritatis et opinionis præjudicatæ; in populo autem fideli erigerentur animi, et confirmarentur in studio tuendæ veritatis, inde illi adire nostros frequentius : consilia petere familiarius, fidei Patrum commendare se et credere. Amplissimum consilii sui fructum cepisse jam se, existimasset Valerianus, si colligendo ad Socios populo templum quoque condidisset. Sed condendo nec locus intra domicilii ambitum assignari poterat idoneus; et impendiis facultas nummorum erat non maxima. Illinc vero Petrus Roisius, Hispanus, homo difficilis. ad ædem Beati Joannis, Collegii domicilio proximam, curio, usu templi atque aditu etiam Socios prohibebat. Oderat, nescio quid ita, Socios hospites : tantumque valuit invidia, ut conciliari homo nulla ratione posset. Sacerdotium huic a Pontifice offerebatur multo amplius, ut templum illud suum repurgandum relinqueret. Recusat senex obstinate; idque eo tantum consilio, Jesuitas a templo ut arceat. Valeriano id secum anxie diuque reputanti succurrit denique : nihil in re aut certe parum negotii fore, si facultas templi a rege, penes quem jus esset, peteretur : adhibito interim nuntii apostolici et Annæ regiæ filiæ patrocinio. Itaque res processit. Obtentum facile a rege diploma. Continendum id in sinu putarunt Socii; curabant interim, ut Roisius sua potius sponte, officiis delinitus, quam subactus concederet. Nec diu ille abusus patientia : paucis diebus, posteaquam Varsavia perlatum est privilegium, anno 1571 extinctus. Itaque sine lite Socii templum cum jure patronatus domumque Roisii, commeantibus a domicilio suo nostris ad templum objacentem, occuparunt; inde archipresbyteri officio, quod penes parochum Vilnensem erat, in officium vicarii perpetui commutato.

*Fructus certaminis et victoriæ*

*Tricæ cum Parocho Roisio.*

*Templum Divi Joannis Collegio attributum.*

Brunsbergensem coloniam postridie natalis B. Virginis visit Magius. Rectori sex annos exigenti Christophoro Strombellio suffecit Philippum Vidmanstadium, virum pariter doctrina et sanctimonia nobilem. Cooptandis in Societatem novitiis et exercendis discretum a veteranorum contubernio locum intra domus ejusdem ambitum assignavit. In tironum collegium præter alios acceptus 4 kalendas maias Martinus Laterna, annorum undeviginti adolescens : natus Drohobiciæ in Russia, institutus litteris partim Calissii partim Brunsbergæ, narranda de isto Christi heroe offeret annus, quo interiit, 1598us.

*24. Brunsbergæ Martinus Laterna novitius.*

LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER SECUNDUS

(1571-1580.)

Exeunte vero tempore 1571 revisit ab Austria Poloniam Laurentius Magius, 1571
a Pio V missus ad regem Polonorum Sigismundum Augustum; apud quem
scilicet ipse gratiosus foret. Negotium legationis erat, in quo honestatis publicæ, prodendique exempli non optimi, et famæ causa regiæ agebatur, si Augustus perseveraret in proposito. Statuerat ille, prima conjuge, Maximiliani imperatoris sorore, quia sterilis esset, per repudium dimissa, sororem hujus Catharinam ad thalamum invitare; idque jam non obscure per suos apud imperatorem internuntios agitabat. Ab eo principem revocaturus consilio Pontifex, Laurentii opera uti voluit; litteris per eundem ad Sigismundum, ad proceres Polonos, ad suum in Polonia nuntium Vincentium Porticum, dimissis. Nuntius interim, adhibita celeritate, prius rem conficit, quam ut aliqua præterea opus sit opera. Proposita liberatus cura Magius, ad res Sociorum in Lituania, nuper a se institutas, lætus se vertit. Vilnæ prospere rebus Collegii procedentibus et studiis, imminuta multis partibus visa est hæreticorum insolentia. Repurgata ornataque Divi Joannis ædes: disposita altaria: reparata supellex sacra: institutæ catechismi scholæ: ordo sacrificiorum, æra campana, musica, aliaque invitamenta populi ad pietatem curata. Allectabant animos maxime orationes ad concionem sacræ, quæ a Stanislao

1. Magius a Pontifice Rom. ad Regem Poloniæ nuntius.

2. Vilnæ a Sociis res bene institutæ.

1571 quidem Varszevickio ad Polonos patria, ab aliis ad alios latina, italica, germanica, linguis quot diebus festis habebantur. Varszevickium terna minimum hominum millia concionantem celebrabant, insigni Sociorum operæ pretio, commodo auditorum salutari; magno redibant numero, hi a caligine hæresium ac tenebris ad lucem veritatis, illi a corruptis moribus ad bonam frugem revocati: ante alios Ruteni, quos Photiani errores abstulerant, popellus simplicior, neque ita animo a sacris Romanæ Ecclesiæ alieno. Gaudebant isti præcipue, lucem tandem suis tenebris allatam; gratulabantur propterea incrementis novi Collegii, execrati errores pristinos, homologeses et synaxes obibant alacres: quæ res, dici nequit, quantis Valeriani antistitis animum lætitiis perfunderet. Ludum ibi philosophis litterarium ibat apertum provincialis Sunnerius. Vilnam propterea magistros discipulosque per autumnum adduxerat; at id non successit: coorta mox

Varsevicii conciones Vilnensibus perutiles.

3. pestilentia; hujus metu scholæ et civitas majorem omnino partem dissipata. Statim atque se suis indiciis malum in urbe prodidit, tres in villam secum antistes conditor subduxit Socios: tres et viginti avertit alio; utrobique, uti ne quid commodi desideraretur, per se suosque administros curavit. Qui civibus salutarem hoc suo tempore navarent operam, cum Varszevickio sacerdotes duo, novemque adjutores,

Vilnense Collegium peste distractum.

4. domi residerunt. Inter eos P. Lucas Krassovskius, dum conflictantes pestilentia impiger curator animorum visit, contactus malo, duodecimo kalendas novembres interit, felici provinciæ et gentis suæ auspicio: ut qui primus Polonorum fuerit in Societatem cooptatus, primus idem e provincia Lituana ad supernam, quod sperare licet, beatorum civitatem, successuris suis popularibus præivit, nono a suo Vilnam adventu mense. Paulo ante comes fuit visenti Poloniam et Lituaniam Sunnerio, linguæ interpres patriæ, et rerum agendarum adjutor. Vilnæ diebus festis a meridie concionator divina populum, profestis grammaticam in schola pueros docebat; idem, dum per sua munia liceret, aderat confitentibus peccata arbiter assiduus. Nullum a se laborem ille unquam deprecatus; tametsi valetudine uteretur incommoda, tabe lenta sensim deficiens. Triduum leviore febricula tentatus, statim atque sensit malum ingravescere, nihil omnino neque animo neque vultu commotus, rectori suo Varszevickio de noxis vitæ confitetur. Professus denique, nihil in omni vita mortali esse, quod non expedito atque alacri dimitteret animo, obtutu in imagine servatoris Domini passi et mente fixa, suspirans crebro, et animum Deo abiturum commendans, inter pias Sociorum precationes extinctus.

Krassovskii luas et obitus.

5. Eodem mense ac die de Collegio, pariter distracto pestilentia, Pultoviæ desiit Mathias Dembinskius, operum famularium minister, vir navus, religiosus: et, ut

Pultoviæ pestis.

verbis rectoris, Stanislai Rozdrazevskii utar, de Mathia Romam perscriptis, totus sanctus hic erat frater. Jam operam Sociorum principibus aliis aliisque a Præposito generali flagitantibus, regina etiam Suecorum Catharina, Sigismundi regis Polonici soror, cultrix religionis avitæ constantissima, et civium et sua et sui filii causa, Sigismundi, post regis Poloniarum hoc nomine tertii, institutores desiderabat quam religiosissimos, duos utique de Societate sacerdotes, auctoritate Pontificii etiam Nuntii Vincentii Portici, et Annæ regis Poloniarum filiæ, sororis suæ, interposita. Exhiberi statim id obsequii piis reginæ desideriis non potuit, perpaucis in provincia Sociis, eisque occupatis aliunde distractisque; executio proinde in annum dilata insequentem : quo demum numerus Sociorum auctus est insigniter, compluribus se aggregantibus viris omnino egregiis. Horum erant e numero Stanislaus Grodzickius et Adrianus Jungius; hic patria Ploscensis, in Posnaniensi diœcesi natus, ille genere ortus illustrissimo : ætate uterque florente in Societatem cooptatus. De Adriano Petrus Ribadeneira in suo scriptorum Societatis catalogo : est, inquit, helluo librorum, et in legendo scribendoque assiduus, et concionandi peritus artifex. Hujus et P. Stanislai scripta in catalogo scriptorum Provinciali nostro numerabimus.

1571

6. In Sueciam a Regina Socii invitantur.

7. Grodzicki et Jungius Socii novitii.

Vide ad calcem operis.

Collegium Vilnense, quod superioris autumni pestilentia distraxerat, anno 1572 coaluit, neque his tamen ex ea tempestate reliquiis licuit esse omnino integris. Primo statim mense, quo domum Socii revenerant, 13 kalend. februar. Vincentium Kaskovium, Masovitam, domesticorum adjutorem operum, tirocinio necdum decurso, juvenem cum aliis laudibus tum caritate et constantia, quam suo ægrotis ministerio, in primis P. Lucæ Krassovskio, et Gregorio Boskievio laico adjutori, peste infectis, probavit insigniter, nuper Brunsberga advectum, amisit Collegium : 17 deinde idus februarias adolescentem nobilissimum Stanislaum Mieleckium, in familia natum illustrissima, morbo item pestilenti oppressum, altero, quam decubuerat, die extinctum. Ad nuntium mortis, tam sibi repente ingruentis, adolescens animo minime conturbato : « quando quidem, inquit, ita Domino Deo placet, in nomine ejus fiat ; » cum quinto ante hac die animi devotione præcipua vota religiosa instaurasset, eaque ac proxima luce mature omnia, tanquam alio migraturus, composuisset, ut de exitu ab Angelo bono, Custode suo, monitus fuisse videretur, rebus mortalibus lætus nuntium remisit. Haud multo ante, propinquus hujus, Podoliæ palatinus Joannes Mieleckius domi suæ juvenem, obtentu negotii nescio cujus, gratum sibi hospitem, morabatur. Ille profani convictus et lautitiarum fastidiens, et sua et Sociorum, suorum comitum, ne quid ipsis etiam tædii in

8. Vilnam Socii redeunt. Amittuntur C. Kaskovski, C. Boskievius et C. Mielecki.

1572 hospitio afferretur, rem transigendam festinanter conficit, prudentia singulari, Sociosque secum, sui Vilnensis Collegii tecta respectantes, tricis ejus hospitalitatis expedit. Viennæ in Collegium novitiorum Societatis acceptus, deinde Vilnæ philosophiæ ingressus spatia, ad præparatam sibi a Deo laureolam properavit. Hunc sexto idus apriles, discipulum suum magister, P. Thomas Zdelaricius, anno vitæ quadragesimo, in Societate octavo supra decimum nondum exacto, consecutus : honesta pariter ablatus morte, in illis Divi Stephani verbis : Domine Jesu, suscipe spiritum meum. Vir omnium existimatione, qualem rector Collegii describit Varszevickius, pietate præcellens : exempli probatissimi, obedientiæ filius, consolatio et requies præsidum. Adeo expedito ad obsequendum erat animo. Multis pro merito laudibus ornabatur ab omnibus, seu latinas ille seu græcas litteras seu philosophiam, quam etiam in Austria tradiderat, profiteretur : sive linguis sermocinandum esset gentium aliarum, sciens multarum : græcæ, latinæ, germanicæ, hungaricæ, polonicæ et quæ sibi, nato in diœcesi Zagrabiæ Dravum inter et Savum, erat patria, sclavonicæ.

P. Zdelaritzius. Vid. de hoc Professore ad discipulos epistolam P. Sunneri in appendice hujus libri.

9. Cum Socii sua Vilnæ inter se percensent damna, Poloniam interim gravi luctu afficit universam mors Sigismundi Augusti Regis, nonis quintilibus (1) Knyszini, in oppido Podlachiæ, anno ætatis secundo supra quinquagesimum, regni ab obitu parentis sui Sigismundi I, vigesimo quarto demortui ; ab ipso parente regno impositus erat consiliorum particeps et muneris anno 1539 ; regnavit itaque annos 33. Extinctus nonis julii (2), feria secunda, sacramentis omnibus ritu catholico præmunitus. Princeps hic, ut laudat regius olim aulicus, Lucas Gornickius, præditus erat virtutibus præcipuis ; quarum præclara posteris reliquit exempla, quibus dominatui suo, in liberis maxime civitatibus, docti moderentur (3). Ea erat clementia, ut regia sua decreta, capite etiam damnati, probarent ; neque civium ullus esset, qui pro salute principis offerre se quibusvis periculis dubitaret, etc. Sed facilitate regis abusi sunt ad suam libidinem et gentis perniciem hæretici. Dissimulante clementer hoc principe, quatenus profuderit se mortalium petulantia, præter alios narrat Christophorus Hartknochus, Passenheimensis (4), Toruniensium pastor, homo e schola Luteranica.

Augusti I Regis obitus.

(1) Apud Joannem Leonem in Historia Prussiæ mortuus kalendis junii. — (2) V. Lucæ Gornickii *Dzieje w Koronie Polskiey*, pag. 195. — (3) De libro Magico Tvardovii, post mortem Augusti in Bibliothecam Collegii Vilnensis translato, vid. apud P. Adam. Naramovski lib. *Facies rerum Sarmaticarum*, pag. 52. — (4) Christoph. Hartknochius lib. 1, c. 2, pag. 9, de *Republica Polonica*.

1572

10. Comitia regni et consilia de rege eligendo.

Extincta in Sigismundo Augusto regia Jagellonum familia, de principe eligendo cives per comitia generalia Lublini disceptabant. Invitabat eo legatus a Romano Pontifice Gregorio XIII, post felicem beati Pii V obitum, hujus anni 3 idus majas electo, Joannes Commendonus cardinalis Rectorem Collegii Vilnensis Varszevickium : viro, qui et rerum patriarum gnarus in primis esset, et apud gentiles suos per munera olim publica auctoritatem comparasset, usurus consultore. Recusavit officium modestus vir, veluti rem ab Instituti sui rationibus alienam : metuens ne, si publicis interesset negotiis, aliqua sermunculis hominum de Jesuitis daretur occasio.

11. Varsevicius vocatus ad Comitia recusat. Labores ejus domi utiles.

Reses ille domi, non rerum tantum suarum Rector satagebat, sed Sociorum etiam munera adjutor obibat alacer. Toto verni jejunii tempore ipse conciones habuit ; populo illas omnes omni admodum salutares. Effecit id in complurium animis, ut, qui in salutis negotio æternæ nihil pensi habebant adhuc, hujus concionantis hortatu expergefacti, ad salutaria accurrerent remedia ; atque hi a quinquaginta, illi a pluribus etiam annis, quæ aliquando fuissent non rite confessi, novis per sacramenta piaculis detergerent. A prima concione tantus deinde populo fiebat concursus ad templum Collegii, ut ad confessiones excipiendas aliunde etiam sacerdotes essent invitandi. Multis ad hæc tragicum exemplum pro hortatore fuit. Die parasceves sacra, in æde Divi Stanislai pontificia, sacerdos e Collegio Sociorum, idem, opinor, Varszevickius (de nomine viri in monumentis nihil) concionem habuit de nece Salvatoris. Commovit auditorum animos gravis vehemensque oratio ; maxime in explicatione eorum de Christo verborum prophetæ Regis : *funes peccatorum circumplexi sunt me*.

12. Flagitiosi hominis, concione commoti, tragœdia. Hanc Petrus Skarga luculentius describit in appendice ad Vitam B.Macarii, 11 jan.

In his cum immanitatem peccatorum deformat orator, et ostentans interea extenti in cruce Salvatoris imaginem, animo ipse inflammatus et vultu, mentes auditorum ciet : collacrymante et singultiente populo, homo domini hæretici assecla, erumpit amens, ac voce. quanta potest, exululat : me sceleratum ! me perditum ! quid agam ? quo me vertam, tantorum auctor criminum ? Plorare ille, rugire, ac furere, nec exturbatus templo quiescere : quin vehementius etiam, tum conscientia scelerum urente, tum a malo manifeste dæmone agitari. Nam et aspectabilem obtrusit se homini, a templo amnem versus Vilijcam præcipitanti, tartareus in figura Æthiopis pueri ardelio ; suam ille homini veterator exprobans ignominiam, revocat furentem, impellitque ad suum ejecti dedecus ulciscendum. Anhelanti scelus, quæ sua infelicitas alterius, in ipso templi vestibulo ille ipse fit obviam, qui amentem extruserat, curator ædilis sacerdos ; cujus quoque fama in vulgus erat non optima : in hunc ille præceps morsu et districto ruit gladio, introque se auferentem in medio mactat templo multis icti-

1572 bus, cupiditate insatiabili. Illud mirum, sic illa nece attonitos in frequentia populi magna fuisse omnes, ut ne clamore quidem ullus homicidam sacrilegum exceperit. Patrata nece, latro tradit se ipse lictoribus. In quæstione fassus, inductu æthiopis tartarei et suorum se impulsum esse magnitudine peccatorum; quibus expiandis remedia vecors septem abhinc decemque annos neglexisset. Compactus in ergastulum, ipse quoque scelerum accusator suorum et judex, monebat, atque rogabat etiam, ne sibi parceretur : « nullum esse genus supplicii, quod suo merito foret « acerbius; unum se orare, sacerdotis catholici, quo magistro et patrono divinam conciliaret clementiam, copiat fieret. » Forte nescio evenit, an consilio factum, ut concionator idem oblatus sit reo ad necem præparando. Quidquid salutaris consilii præstare poterat misero, magna ille charitate exhibuit ad supremum usque tempus supplicii. Decretum mortis reus excepit plenus animi, quin e ferali etiam pegmate contenta voce hortatus est populum : suo mortales docti saperent exitio : « homologeses sacras, maximum salutis remedium, ne imprudentes negligerent. « Sacerdotes pro Dei ministris haberent amarentque; aliter graviores multo, « quam subiret ipse, daturos pœnas divinæ justitiæ. » Multis id exempli profuit ad receptum a malis vitæ consiliis, diversarum etiam sectarum hominibus.

Emerserunt inde complures, et ad frugem se receperunt bonam, adlaborante in primis eodem Varsevicio. Hujus opera subinde centum amplius ad Romanæ communionem Ecclesiæ rediere, inque illis nobilitate etiam generis insignes. Præter alios Ulricus Hosius, Hosii Cardinalis Varmiensis episcopi germanus frater; quod nullis adhuc effici potuit consiliis : Bystrzycensis item præfectus, dignitate vir pollens et opibus, sic a catholicis sacerdotibus hucusque alienus, ut eorum fortuitum etiam occursum abominandum putaret. Incidit ille in morbum insanabilem; nihilque propius aberat, quam animam ut ageret. Deficientem excitat ad supremam utique, dum liceret, salutis æternæ curam Varszevickius. Valuit suasoris oratio. Reconciliatur homo Deo et Ecclesiæ. Quo se ad mortem, et dicendam suam apud judicem supremum causam accuratius compararet, inducias dierum quindecim moribundo idem hortator creditur a Deo impetrasse. Neque æger deinde sibi defuit : toto illo reliquo tempore pie exacto, multis rebus in familias religiosas distributis, confirmata spe de salute sua æterna, desiit. His multo plus lætitiæ, commodi, et ornamenti reipublicæ attulit ad Ecclesiam catholicam reditus Joannis Caroli Chodkiewicz, supremi tum in Lituania mareschalli, præfecti Samogitiæ, administratoris Livoniæ. Huic Varsevicius non modo notus erat, sed præcipua etiam familiaritate conjunctus ex eo jam tempore, quo ambo, juvenes

13. Varsevicii opera conversi hæretici.

14. Caroli Chodkievicii redi-

olim, Vitembergæ, famoso illo litterarum et hæresis suæ magistro, Philippo Me- 1572
lanchtone usi essent. Is Vilnæ, anno instituti Collegii primo, Varsevicio et Balta- tus ad Ecclesiam.
sare Hostovino ad se invitatis, in consessum procerum et doctorum aliquot, sermonem de religione sincera, maxime de Sacramento altaris et Ecclesia ejusque capite visibili, excitavit. Quinque continenter horas de rebus propositis disputatum, Chodkievicio deinde rem catholicorum probante magis, audientiamque nostris theologis benignius faciente. Dogmata religionis catholicæ nostri sententiis sanctorum Patrum : Irenæi, Cypriani, Augustini, Chrysostomi, quorum libros quoque afferri sibi jusserant, confirmabant. Perattento ille animo miraque cum alacritate auditos, libris Patrum apud se retentis, Socios dimisit honorifice. Postridie iisdem nostrorum argumentis, quæ memoria tenebat bene, sic Luteranos Calvinianosque ministros agitavit disputator, ut ruborem, maledicta in Jesuitas, et prope lacrymas miseris elicuerit. Tantum quidem ea cum hæreticis velitatione profectum, ut inde princeps, missis spretisque ministris sectarum, cum nostris familiarius agitaret, eorumque scripta, inter ea Petri Canisii catechismum, et Hieronymi Torrensis Confessionem Augustinianam lectitaret diligenter. Sic affectus, eodem 15.
anno Varsaviæ consiliis animi sui cum P. Francisco Toleto, tum Pœnitentiariæ, Toletus ad Polonos
ut vocant, prætorii, et Sacræ Inquisitionis consiliario, Pontificio Gregorio XIII Legatus.
ad Polonos Legato, anno post 1593 in Collegium Cardinalium cooptato, communicatis,coram cardinale Commendono religionem catholicam professus est; atque ejus professionis diploma a se conscriptum voluit etiam publicari : daturus omnibus documentum, quid ipse de sectis alienis deinde judicarit; ex eo die religionis catholicæ propugnator acerrimus. Roganti aliquando præsidi Vilnensium palatino, hæreticorum patrono principi, quid esset quam ob rem a sectatoribus Luteri, cujus et ipse laudaret nuper, et tot alii hodie probarent instituta, defecisset : « quin imo, inquit, resipui; ab ea enim recessi, in quam, cum salutaribus initiarer aquis, dixeram sacramentum. » Tantum profuit Carolo ea familiaritas et disputatio Varsevicii. Hic qualem se præstaret aliis etiam, præter alios testatus est Stanislaus Rozdrazevskius, nuper ille a gubernaculo Pultoviensis Collegii Vilnam traductus, his Romam perscriptis : audivi Patrem Varsevicium concio- 16.
nantem, et exhortantem fratres, et cum principibus actitantem, Deus bone! quam Varsevicii laus.
beatam puto Societatem, cui tantum virum in his partibus dedit! quam beatam Poloniam, quæ nunc eo fruitur viro! Deus sit benedictus et Beatissima Maria! Petri quoque Skarga virtus majora in dies capiebat laudis incrementa; ut pro- 17
pterea carior venerabiliorque etiam atque etiam fieret principibus. In luctu erat P. Skarga

1572 in aula Regia. ex obitu fratris sui Sigismundi Augusti regis Anna Sigismundi I filia, princeps Societatis nostræ amantissima, hospes illa tum Plociæ. Solaturus mœrentem Nuntius Romani Pontificis Vincentius Porticus, adduxit eo Petrum Skarga. Adhibita et dolori principis remedia, et aulæ regiæ opera impensa utiliter. Alibi per id tempus Sociis exercendæ virtutis occasionem dedit pestilentia. Longe

18. Pultoviæ pestis. lateque malum populabatur civitates; major quam alibi strages edita Pultoviæ: plena ibi cadaveribus compita vicique subita morte perculsorum. De Collegio unus ipse, adjutor domesticorum operum, frater amissus; cæteros mira Dei benignitas inter funera servavit incolumes. Contraxerat malum, ministrans oppi-

Manna S. Andreæ salutaris. danis, P. Nicolaus Sendkovskius, sed morbus depulsus est divino medicamine; potu laticis, quem manna vocant, manantis e tumulo Divi Andreæ.

1573 Varsaviæ per comitia generalia cives de rege, suæ præficiendo Reipublicæ (quandoquidem stirps Jagellonum masculina in Augusto I defecerat), præsentibus pontificio Gregorii XIII, Cæsareo Maximiliani, Turcico imperatoris Selymi, Suetico et Galliarum duobus regiis legatis, disceptabant. Consensu omnium

19. Valesius Rex a Polonis electus. Henricus Valesius, Andegavensium princeps, regis Galliarum frater, ad solium deposcitur. Suffragata sunt Henrico tam facile promissa Polonis optabilia: « omne « scilicet alienum æs, nomine Polonorum a Sigismundo Augusto contractum, ex « Andegavensi ærario dissolvendum: apparandum adversus Moschos bellum, « suisque Gallorum impendiis sustentandum: recuperanda omnia quæ hostes « Polonis ademissent: juvenes e gente polonica nobiles centum instituendos in « gallicis seminariis. » Joanni Carolo Chodkievicz, de cujus in Ecclesiam catholicam receptu proxime narravimus, unum promissis omnibus erat potius: regem scilicet patriæ suæ ex ea offerri familia, quæ religionis catholicæ esset tenacissima. Electus itaque concorditer Valesius, magnoque civium studio per Legatos ad coronam invitatus.

20. Vilnæ instituta Sodalitas S. cultrix Eucharist. Pietatis officia in Sodalitio Vilnenis. Vilnæ cura Petri Skarga sodalitas, quæ pietate præcipua sanctissimum Eucharistiæ colat sacramentum, instituta; certa huic idem privilegia a Sede Apostolica per cardinalem Commendonum impetravit. Coivere in cœtum cum prætore suo civium lectissimi, per commentationes patris nostri Ignatii ad istorum diem initiorum instituti. Consulum exemplo excitata plebes, et ipsa sodalitatis sacellum frequentare; colere impensius Salvatorem in suo pendentis e cruce simulacro, et divina referre beneficia; deferentem ad sodales ægrotos sacrum viaticum tanta sacerdotem assectari frequentia, ut virorum et mulierum celebritate plateæ complerentur. Ægre ab animo erat obtuentibus istam catholicorum pietatem

hæreticis, inferioribus jam illis et potestate et numero. Quiescere utique inviden- 1573
tia non poterat. Quandoquidem aggrediendi palam recta non erat via, incommodatum ibant transversis malefici itineribus. Unum hic de multis facinus non omittam. Pegma conservandæ et ad cultum populo proponendæ hostiæ sacræ magnificum parabatur. Adire illi artificem et ab opere dehortari. Verbis quia nihil proficerent, facto opus. Exustum eunt opificem injectis tecto malleolis. Deprehensi a vicinis in ipso facinore, abreptique in vincula, auctores ejus consilii religionum suarum magistros prodidere. Collectis in unum sodalibus leges certæ, ipsis eas rogantibus, latæ; ad suscipiendum Sanctissimi Sacramenti cultum, et ad officia christianæ charitatis præstanda miseris, appositæ; unde sodalitas cultorum divinæ Eucharistiæ et misericordiæ, sive miserentium, nuncupata, idque alterum primo adjunctum est anni 1589 quarto kalendas sextiles officium. Dicta Salvatoris Domini effigies a Petro Skarga in sacellum illata ejusdem anni quinto kal. septembris, Valeriano episcopo celebritati præeunte. Sodalitatem Gregorius XIII, nuper post obitum (anno 1572 kalend. maii) Pii V electus (anno 1575) pontifex, privilegiis impertiit; hæc Innocentius X anno 1646 confirmavit. Sacellum collectis ornarunt cives; in his Czarnousius redditus etiam certos attribuit.

Hæretici incendiarii.

Electus nuper, invitatusque e Gallia ad regnum Henricus, ornatissimo stipatus 1574
comitatu, venit in Poloniam (1574). Jam præter alias hæc quoque erat causa, cur Societas Collegia sua in regno Poloniæ ab Austria provincia abjungeret, una inde communi Polonis et Lituanis constituta : ne scilicet per eam Gallorum cum Polonis conjunctionem invidiosis in Germania interpretibus sermonum daretur occasio. Quanquam hæc causa mox sublata, Henrico in Galliam revocato ad coronam patriam, relictam sibi per obitum fratris Caroli IX; provincia tamen Polona eadem ac Lituana sejuncta est ab Austria. Collegia Sociorum in Lituania lustrabat Franciscus Sunnerius, hucusque ille vicarius provincialis Austriaci, deinde jam præses Lituanicæ et Polonicæ provinciæ, 18 kalendas februarias 1575 creatus a Præposito Societatis generali, nuper 1573 electo, Eduardo Mercuriano. Jam Vilnæ, in illo multiplicium receptaculo ac domicilio hæresium, victrix religio moderabatur civium animis et commendatæ amor honestatis. Quod reliquum erat ad incrementum religionis maximum, ut principes Radivilli, quorum auctoritas in Lituania etiamnum valet plurimum, reconciliarentur Ecclesiæ, effecit id pietatis in primis Nicolai Christophori Radivilli, Mareschalli Lituaniæ. Hic, nuper ipse studio P. Petri Skarga ad Romanæ auctoritatem Ecclesiæ revocatus, minores natu fratres, Georgium, Albertum, et Stanislaum, Nicolai Nigri

Henricus Valesius Rex Polon. a die VI Kal. Martii sexto d. Mensis tertii redit in Galliam.

21. Divisa Provincia Lituanica ab Austriaca. Primus novæ Provinciæ Præses P. Sunnerius.

22. Radivilli Principes reducti ad Ecclesiam.

1574 Palatini Vilnensis filios, in errore adhuc patrissantes, exemplo suo a Calvini secta reduxit Professionem exceperunt Stanislaus Varszevickius et Petrus Skarga ; « gratulante interim fideli populo, sic irritos cecidisse conatus Nigri « illius Palatini, ut qui nuperrime ab Ecclesia Catholica aversum ibat omnes, « ejus familia omnis eam impietatem suam palam omni populo condemnaret. »

23. Varsevicius a R. Pontifice mittitur ad regem Sueciæ.

Lætus eo in Lituania fructu, Romanus Pontifex Gregorius, periculum facturus, quid in Suecia, an pariter Sociorum opera profici possit, ac primum quidem exploraturus, quo esset, et an, uti ferebatur, ita propenso erga Romanam Ecclesiam animo rex ejus gentis Joannes III, Gustavi Vasæ filius, anno 1569 Erico fratri detruso in regnum suffectus, rectorem Collegii Vilnensis mittit Varszevickium. Septimo idus junias Vilna profectus est, relicto muneris sui vicario Petro Skarga. Emensus, quam longa est, Livoniam, venit Revaliam : inde, transmisso Sinu finnico, ad littus Stockholmiæ die quadragesimo navim appulit, per multa salutis discrimina, impeditis videlicet per scopulos viis : Moschis hostiliter circum Revaliam ferro et igne omnia populantibus : piratis insuper toto sinu infestis ; in quos cum turbinis impetu ageretur, præda barbaris certissima, repente ventus, ac si jussus, divino certe imperio, fractus finitusque : navis itaque impulsa remigio elabitur præter ipsa cessantium ora piratarum ; quorum videlicet myoparones cœlo tranquillo agi hoc loco nequeant. Stockholmiæ regina, regis Poloniæ Sigismundi Augusti I soror, Catharina, in studio religionis catholicæ inter hæreticos etiam pertinacissimos remissior illa nihilo, legatum a suis Polonis gaudio excepit magno ; curavitque hospitium assignandum in arce, quo aditus nuntio ad se esset propior. Hic Varszevickius regi hospes principio non gratissimus ; timenti, ne quid turbarum inter cives, aliis omnino religionibus addictos, ex eo Pontificii adventu internuntii conciretur, vigilante maxime ad omnem sui occasionem ulciscendi Erico fratre in custodia. Accersit tamen nuntium. Salutatus, auribus oculisque agnoscit hominem esse minime aspernandum : afferri per eum oportere quidpiam momenti non levis. Proluditur quæstionibus interim hospitaliter, in primis de sui instituto religiosi ordinis, ex quo is demum primus sibi esset oblatus. Cognita pristina hominis istius conditione, mirari princeps eam rerum humanarum despicientiam ; « qui ex eo « gradu (quod aliunde inaudierat) in quo et regum gratia, et pro sua dignitate ho- « noribus, et amicitiis floreret procerum et opibus : in eam se humilitatem, quæ « huic pauperum ordini esset propria, sua voluntate submisisset. Non Phænicem « Societati se obtigisse : plerosque in ea viros esse nobilissimos, respondente « hospite, atque jam inter ejusmodi sermones ad mensam regiam conviva ; admi-

Periculum navigantis.

Accipitur benigne.

« ratus princeps, suosque subinde aulicos contuitus, per jocum quærit: » esset eorum aliquis, qui fieri vellet pariter jesuita? Duplex Varsevickio apud regem tractandum erat negotium : alterum partium regis hispanici, de quo nihil in nostris provincialibus monumentis ; alterum religionis catholicæ. Atque de hoc quidem, conciliata principis benevolentia, narrat : « se a Romano Pontifice missum, cui « spem religionis in Sueciam recipiendæ facerent, celebrata clarissimis præconiis, « sapientia magni regis, et voluntas ad bonum propensa: nimirum videre princi- « pem, quantum et suæ dignitatis, et commodi publici, et sempiternæ salutis ea « in re sit positum ; idque sibi Dei benignitate offerri non obscure, jam rerum « prosperitate invitantis, jam admonentis adversis : cui si morem gesserit, consu- « luerit enimvero non sibi tantum, sed tot suis etiam civibus et posteritati uni- « versæ. Nam quam ob rem sapiens non probaret religionem catholicam? utrum « sibi pronius ad fidem : quod homuli isti perfugæ, proletarii, per studia rerum « novarum laudis miseræ et sui lucelli aucupes, structis clam inter se consiliis, « heri inter se natum, sermunculis scriptisque callide dissiparunt ; an quod per « Apostolos et Ecclesiæ Doctores et tot Concilia Patrum traditum, in hunc usque « diem constanter profiteatur tantus per orbem terrarum cœtus fidelium? » Ea de re plures inde dies horis ternis, interdum quaternis, semotis arbitris, disputatum, rege interim ingenio plus suo quam veritati propositæ indulgente. Quod attinet ad supremam in Ecclesia potestatem, non ille quidem omnino inficias ibat, Romanum Pontificem esse Christi in terris vicarium, summumque christianæ principem Ecclesiæ; sed arctioribus tamen censebat finibus potestatem suam circumscribi oportere. « Auctoritati sanctorum Ecclesiæ Patrum suas et ipse tribuebat partes, « affirmans: facere eum indignissime, qui non omnes cujusvis sectæ magistros « ducesque illis posthabeat. » Quin reliquias etiam Sanctorum honore et cultu aliquo dignandas non negabat. Denique affirmate pronuntiat: « daturum se « quidem operam, uti ritus pristini ex commodo, et quasi per occasionem, leni- « terque, ne contumacia sentiat, revocentur; scire tamen certo, profecturum se « nihil tam diu, quoad Pontifex synaxis sub utraque specie usum populo, et sacer- « dotibus conjugii veniam negaverit. » Responso isto præcisa spe, Varszevickius, ut ne diuturna commoratio sua ingratum se regi et genti suspectum reddat, reginam reliquosque catholicos solatus, ad navigium se refert, cum insigni munere Sociis Vilnensibus offerendo : reliquiis Sanctorum e templo divæ Birgittæ Vastenensi, a sacerdote reginæ theologo aulico oblatis. Deo, quemadmodum ait noster Sacchinus, transferente amicorum suorum ossa in ea loca, ubi in honore, suis me-

1574

Negotium legationis.

Regis animus in religionem catholicam propensus.

Reliquiæ SS. e Suecia Vilnam allatæ.

1574 ritis debito, haberentur. Sub exitum mensis sextilis Dantiscum, inde Brunsbergam ad natalem B. Virginis Mariæ diem venit: eo plane tempore, quo annis abhinc octo per sacras divi patris commentationes a Deo illustratus, contemptis rebus mortalibus, animum ad religiosæ vitæ disciplinam in Societate applicuit; inde Vilnam ad suum rector Collegium. Pro Varszevickio interim regenti domum Petro Skarga

24. P. Skarga in contumelia virtus.

oblata insignis occasio virtutis suæ populo approbandæ. Primus erat ille, in quem hæreticorum odia arderent maxime; hoc caput jam furiis omnibus per eos devotum. Ex hoc grege Albertus Slepowronskius, homo audacior, isque temulentus, inciderat in P. Petrum, domum, a transacto sui muneris negotio, vesperascente cœlo, redeuntem. Commodum sibi visus offendisse invisum hominem hæreticus, vino maxime bilem commovente. Nihil ille moratus, jactare sacerdotem convitiis: jumento eques ad parietem urgere senem venerabilem: premere: atroces Jesuitis omnibus minas intendere; appetiturum scilicet illum brevi diem, quo Jesuitarum capita ipse velleret a cervicibus. Deprecante modestissime eum a se furorem Patre, nihilo quietior ille, nunc insultat probrisque onerat omnibus, nunc districto gladio capitis intentat periculum, infracto ad extremum colapho, jumentoque concitato, præcipitat ad corvos. Paucos quidem ea indignitas ex compito habuit spectatores, eosque plebeios: rumoribus tamen illico tota civitate percrebuit, nemine enimvero probante hominis amentiam, ne ipsis quidem hæreticis; solo Patre excusante factum, et impunitatem homini precante, ut qui pro beneficio haberet, aliquid sibi nomine catholici ejusque jesuitæ obtigisse; quod alioqui viro tam honesto, eique immerenti, gravis diceretur contumelia. Rumor is præter alios Valerianum episcopum commovit vehementer. Indigne tulit idem palatinus etiam Vilnensis, in cujus erat famulatu percussor. Vindicaturos se omnino maleficium uterque polliciti. Conturbatos eadem hominis amentia tenuit hæreticos; veritos maxime, ne ipsi auctorem facinoris subornasse viderentur. Anteveniunt propterea judicium, culpamque omnem a se avertunt. Postridie adit Patrem reus cum lecto ex aula palatini sodalitio, et aliquot indidem vel aliunde invitatis deprecatoribus, hominibus catholicis, ebrietatem excusat, delicti veniam orat suppliciter. Skarga hominem perinde, ac si non malo sed honoribus mactatus esset, benigne accipit, monetque: « se quidem gratiam culpæ, « quam ita ipse cum sodalibus suis vocaret Albertus, libenter facere: si tamen « culpa et revera gravis illa populo, maxime catholico, esset offensio; videret « prudens deprecator, qui exempli factum non optimi corrigeret, quibusque idem « aliis inde melioris famæ documentis aboleret. » Ea viri ad ignoscendum faci-

litas et concitas facinore catholicos inter et hæreticos sedavit turbas, et virtutis suæ existimationem populo confirmavit. Observare inde nostros studiosius, adire frequentius. consiliis regi facilius hæretici, quorum e numero septem supra sexaginta, inter eos sectæ luteranæ annos duodecim præco, in templo Collegii sub ferias Paschatis orthodoxis rite sunt additi (1575). Præierunt his exemplo S. Rom. Imperii principes, germani fratres quatuor : Nicolaus Christophorus, Georgius, Albertus et Stanislaus, Radivilli ; hi nuper a calviniano revocati cœtu, die Cœnæ Domini ad mensam divinis sacram mysteriis, gratulante fideli populo, accesserunt ; deinde alio die per episcopum Vilnensem catholico ritu confirmati. 1575

25. Radivilli in sacramentis communicant cum fidelibus.

Res Polonorum publica, cunctante in Gallia Henrico Valesio factionibus perturbata, ad interregnum venit. Orabant per legatos Poloni regem, ne se, gentem jam suam, « in sui desiderio et rerum perturbatione esse pateretur : diem reditui « suo quartum idus majas hujus anni præstitutum esse ; ad quem nisi venerit, « ipsum sibi abrogaturum esse regium in Polonia magistratum ; desiderium principis diutius ferri non posse. » Sed Valesio, Gallicis rebus implicito, festinare erat non integrum. Itaque indictis in idus quintiles comitiis, Poloni, regem ea ipsa cunctatione se magistratu abdicasse pronuntiant. Competitores regni erant : hinc Maximilianus, qui paulo post, lite non omni inter Polonos dirempta, e vita excessit ; Ernestus et Carolus, Austriæ archiduces : illinc Joannes III Suecorum rex cum suo filio, principe Finlandiæ, Sigismundo : aliunde Alphonsus Ferrariensium princeps : Stephanus Bathorius de Comlio Transylvaniæ : Joannes Basilides M. dux Moscoviæ. Multorum primo, deinde omnium suffragiis Bathorius eligitur ; et Poloniæ ille et Societati nostræ oblatus benignitate divina. Statim hic, atque delatum est sibi regnum, Collegiorum Societatis possessiones jussit esse immunes. Vectigalia, quæ exigerentur a Sociis, de fisco suo pensitabat. Secundo regni sui anno has ad Societatem Lituanam dedit litteras :

26. Interregnum in Polonia.

1576

27. Stephan. Bathorius Rex eligitur. Coronatus Kalendis maji.

Stephanus I, Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ etc.

Venerabiles, devoti, nobis dilecti.

« Significatio præclaræ voluntatis vestræ erga nos, quam partim ex litteris « vestris, partim ex prolixa Joannis Zamoyskii secretarii nostri relatione cognovimus, gratulatio item et preces pro universo successu rerum nostrarum fuere « nobis et sunt gratissimæ : talibus enim præsidiis potius, quæ ex divini auxilii « fonte promanant, res nostras communiri, quam ullis humanis viribus, quæ fluxæ « et caducæ sunt, optamus; quæ ad hoc usque tempus, Dei benevolentia, non 1577

28. Stephani Regis litteræ ad Socios Provinc. Lituanæ.

1577 « mediocri rerum nostrarum profectu, magno nobis adjumento fuisse, est quod « Dei clementiam laudemus, illique gratias agamus. Quod vero Ecclesiæ Dei atque « universæ reipublicæ christianæ causam nobis diligenter commendatis : id, quem- « admodum a pio laudabilique vestro affectu proficiscitur, ita nobis præcipuæ « curæ semper fuit, ac longe majori in posterum futurum erit : nam nobis quidem « et existimationi nostræ, ultra etiam merita nostra, jam olim divino munere « satisfactum est ; nunc eo labor omnis conferendus erit, quo ornamenta hæc quæ « liberalissima manu in nos Majestas Divina contulit, ad eum fontem, cui in primis « debentur, relabantur : divini scilicet nominis laudem et propagationem, et « reipublicæ christianæ incrementa. Ad quam rem melius ex animi sententia « conficiendam cum vester Ordo vel in primis nobis apprime sit necessarius : « merito nobis et est et erit semper gratissimus, quod tum re potius quam verbis « declarabimus, ubi primum regni hujus nostri negotia composuerimus, ac ad « optatam quietem omnia perduxerimus. Quod ut quam primum fiat, piis precibus « vestris effici debet ; quibus nos etiam atque etiam diligenter commendamus. Bene « valere devotiones vestras cupimus. Ex castris ad Gedanum die 24 mensis junii, « anno 1577, regni nostri secundo. »

29. Stephan. Rex Gedanenses domat. De victoria Regis et pertinacia rebellium vid. Historiam Prussiæ Joannis Leonis lib. VIII, a p. 450.

Ex castris apud Gedanum rex litteras dedit; ubi scilicet cum exercitu consederat, perduelles ejus urbis cives perdomiturus. Eo ducturus copias Rex voverat, si effecisset propositum, profanata a Luteranis ejectaque catholicæ religionis sacra in suum dignitatis locum et possessionem restituturum se, coloniamque Societati Jesu collocaturum in urbe. Damnarunt votis principem suæ res gestæ prospere. Decimo sexto kalendas majas expugnatum Gedanum : cæsi perduelles : cives ad officium revocati. Neque tamen omnino parta est pax, rege scilicet victoriam clementius exercente ; reliqui magnam partem ex conflictu et fuga perduelles, receptis per autumnum viribus ferociores, comparant mari classem ; ex eaque maritimam rem suam propugnant : terra vero hostilem in modum proximos urunt agros Poloniæ : Varmiæ ferrum ignemque minitantur ; quo certe malo Brunsbergenses etiam mactasset perduellium furor, nisi cives fortunas suas, irrogata sibi multa, redemissent. At Jesuitas residere Brunsbergæ, nullo pacto passi sunt Dantiscani hæretici : hoc maxime pugnatum, ut ex urbe ejicerentur continuo, nisi mallent cives, jam nunc signo dato, omnia sua ire pessum. Non multo ad id hortatu opus erat Sociis, ut caræ civitatis res præ sua etiam ducerent salute : collectis in unum, quanta poterat festinatione, reculis suis, uno ex adjutoribus et altero ad custodiam domus relicto, ex oppido in pagos se auferunt.

30. Brunsbergam Socii deserunt pauloque post redeunt.

Exacto quatuordecim dierum ejus ostracismi tempore, rege victore in perduelles 1577
jam animadvertente severius, exules in urbem revocantur. Castigatos a rege Gedanenses diximus; causam perduellionis, id quod ordine perstringendum utique erat, omisimus. Maximilianum Dantiscani ad regni gubernacula deposcebant; Stephani 31. Causæ Dantiscanæ perduellionis.
partibus non amicissimi, huic itaque repugnaturi, cogebant copias : regem, armis illi suis mœnibusque confisi, aditu urbis suæ prohibebant. Gedanenses propterea Stephanus pro perduellibus habendos declarat; ejusque rei admonet eos primum, contractis copiis sub mœnia Grebini, oppidi Dantiscanorum permuniti; hoc expugnato, excisoque castelli præsidio, Gedanum subit. Regiis adhuc Grebini agentibus, firmam evocatorum manum, oppidanis suis suppetias, expediunt ipso primo Paschatis die Gedanenses, at illi sero jam id, neque Superis probantibus. Vix dum Gedano se moverant, cum repente concitata est tempestas tetra, ventis, fulgure, tonitribus cœlum terramque permiscentibus : ut perduellibus nihil manifestius esset, quam se, irato Deo, arma capere; adversus delatam scilicet a superis potestatem. Quatuor continuos dies, nunc egredientes, nunc e vestigio se conversantes domum, ea Gedanenses procella continuit; neque tamen, ita moniti, quievere. Clades perduellium.
Prælio apud Dersavam placuit decerni cum regiis, suo id ipsis infortunio : pars cæsi in acie ad quinque millia, pars fugati et in flumina acti præcipites; de 14 universi exercitus millibus perpauculi sua cædi capita subduxerunt, Polonis de suo peditatu quinquaginta gregarios, triginta equites non amplius, desiderantibus. Deo exercituum Domino, non suæ virtuti aut fortunæ, eam rex victoriam assignabat : non nobis, ajebat, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Duriora inde veriti Gedanenses, principibus Saxone, Brandeburgo, et Hassiæ Landagravio, deprecatoribus apud regem utuntur : Conditiones Gedanensibus propositæ.

Horum interventu reliquum veniæ punitis datur, idque ipsum legibus certis : « primum, uti regibus Poloniæ deinceps fideles semper se fore promptos- « que ad imperia, solenni jurejurando confirmarent : copias, quas contraxissent, « dimitterent continuo : ducenta nummum aureorum millia ad fiscum regni multæ « nomine conferrent : viginti præterea æris polonici millia templo, quod ipsi per « suas turbas Olivæ exusserant, excitando penderent : Jesuitas intra urbis suæ « mœnia placide acciperent : » Cum Gedanensibus rege negotium transigente, 32. Bellici turbines adversus Polonos cooriuntur.
fœda in Poloniam aliunde cooritur tempestas; hinc septemtrionibus Moscovitico bello exarsit Livonia, Joanne Basilide arces urbesque occupante : illinc ab oriente Tartari cædis et vastitatis metum inferebant. Ita orcus undique ibat regia erigendæ religionis consilia per omnia suorum genera administrorum impeditum.

[1578] In Sueciam interim religio catholica videbatur reditura. Jam hanc aperte Joannes III Suecorum Rex per conciones suas de ministris hæreticis, ut qui essent rerum novarum propolæ, cæcorum duces cæci, sæpius habitas, commendabat. Inclinavit in id consilii animum regis Laurentius Norvegus, e Societate Jesu sacerdos, vir doctus, atque in primis strenuus. Gratulabatur eo tanto Sueciæ bono
33. [Sueciam A. Possevinus cum Sociis visit.] regina Catharina Jagellonia, Joannis pia conjux; indeque fidentius ab Anna sorore sua, Poloniæ regina, sacerdotes e Societate Jesu postulabat. Jam noto Suecis viro, Stanislao Varszevickio revisendæ ejus principis negotium datur. Maturius eo se contulerat, superiore autumno expeditus Roma, Antonius Possevinus; anno 1578 ineunte Stokholmiam appulsus est. Hic, revocato ad Ecclesiæ gremium [Vilnæ salutat Stephanum regem.] confirmatoque rege, in Italiam iter relegens, navim apud Gedanum Varsevicio, cum Sociis, Simone Wyssockio, Laurentio Rydziskio et Valentino Luskio, revisuro Sueciam, relinquit. Non diu Antonio licuit Romæ ex itinere quievisse; mox ille in Poloniam, atque hinc in Sueciam cum Pontificiis litteris ad regem, reginam, Sigismundum regium principem, et ad Collegium sacrarum virginum Vastenis in Vestrogothia. Ac regem quidem Pontifex, addens principi animos, hortatur, « religionis causam, aperte fidenterque, adversus malevolorum civium « contumaciam, suscipiat tuendam ac propagandam; opem divinam haud dubie « experturus, suspensosque virtutis suæ expectatione tot principum catholicorum « animos ingenti gaudio completurus. Reginæ constantiam laudat; obtestatur « hanc, ut filios quam religiosissime educandos curet. Principi Sigismundo de « optima, qua præditus esset, indole gratulatus, constans pietatis studium com-[1579]mendat. Sacrum denique Vastenensium virginum Collegium, quæ solæ in officio et amore sponsi sui Salvatoris Jesu, deficientibus circum se aliis omnibus, fideles adhuc perstitissent, laudibus et gratiis Sedis Apostolicæ impertit. Cum ejusmodi [Cracoviæ relinquit Socios.] ad principes tabellis Possevinus, Cracoviæ, ubi tum pariter inclinabat religio, duobus ad curam civitatis relictis Sociis sacerdotibus, Aloysio Odescalco Novocomensi, Romæ nuper annos plures philosophiæ magistro, et Basilio Cerino, qui biennium Lovanii theologiam tradiderat; duobus aliis in comitatum sibi e Collegio Germanico adjunctis, Joanne Ardolpho et Nicolao Milonio, quorum opera uteretur in Suecia; anno 1579 Varsaviam, inde negotiis, quæ sibi Pontifex Romanus dederat, apud reginam et nuntium apostolicum expositis, Vistula [Brunsbergam visit et Vilnam.] Gedanum vectus, illinc Brunsbergam venit. Confectis denique in Varmia rebus, virisque Collegio Brunsbergensi idoneis præpositis, ad Stephanum regem, Vilnæ tum commorantem, pergit. Commodum hic adfuit Possevinus. Emiserat Andreas

Volanus, inter ministros Calvini coryphæus, adversus Franciscum Turrianum et 1579
Petrum Skarga, a quibus ante in aliis refutatus erat, librum convitiorum et pestis diræ plenum : opportunitatem nactus ille figendorum maledictis Jesuitarum, hæresisque suæ celebrandæ; in maxima videlicet procerum, consilii bellici adversus Moscos causa Vilnam convocatorum, frequentia. Probantibus consilium sui ministri hæreticis, quo regis quoque animum ad benevolentiam erga se veterator alliceret, librum ei inscripserat, prolixa in eo de laudibus regiis oratione id eblandiri conatus. Non indormiit causæ suæ Possevinus, conscriptum ocius a se libellum de fraudibus Volani regi offert. Longior est ea epistola, versa in linguas varias, edita cum sua pariter auctoris *Moscovia.* Lecta rex epistola, jubet continuo in Volanum inquiri : scripta sua, quæ dispersisset, colligi ac supprimi; pollicitus de se, si liber hujus auctoris in suas venisset manus, in rogum opus confestim se conjecturum. Proceres interim catholici benevolentia erga Possevinum concertabant; in primis Collegii Academici parens piissimus, Valerianus 34.
de Szuszkovo Szuszkovskius Protasewicz, antistes Vilnensium. Ante abitum suum Possevinus decumbentem ex podagra Pontificem carissimum visit. Orat, ingredienti sibi longinquum et difficile terra marique iter ut fausta precaretur; caritate plane paterna acceptus, monetur ab eo, ad suum lectum hospes se applicet; illo in genua procumbente, depromit sanctus senex chartam, ipsis faustis precibus conscriptam, atque eam tanta pietate, quanta parens amantissimus, e vita migraturus, filio precaretur dilecto, super inclinati verticem recitat. Adjutum se hac precatione in periculis et difficultatibus Possevinus, quæ sibi tum viatori tum hospiti in regno Suetico superanda erant multa, affirmabat. Paulo post piissimus Collegii academici parens, morbo senioque confectus, anni hujus extremo die, magno universæ diœcesis, maximo Sociorum luctu, desiit; Collegio Vilnensi usquequaque perfecto, præsidiisque omnibus communito, in primis Pontificio Gregorii XIII diplomate (1); quo Academia et Universitas scientiarum est instituta, deinde reipublicæ et regum Poloniæ, in primis Stephani I privilegiis confirmata. Corpus pastoris boni, magnifico elatum funere, in pontificio divi Stanislai M. templo quiescit; ubi vitæ quoque suæ elogium, incisum in marmore, subter suum simulacrum marmoreum legitur (2).

Volani hæretici scripta refutat.

V. librum Possevini sic inscriptum.

Valeriani Episcopi Vilnensis pietas.

Funus.

Pontificiam Vilnensium cathedram his Valerianus ascendit gradibus : primum in hac diœcesi munus decani in Collegio canonicorum præstabat : deinde notarii

(1) Obitus ejusdem. Vilnæ academica Universitas instituta, et confirmata. Vid. Bullar. Cherub., constit. 102 Gregorii XIII incip. *Dum attenta* etc. — (2) Vid. elogia in appendice hujus libri.

1579 M. ducatus Lituaniæ : tum Luceoriensis episcopi, denique anno 1555 ad Vilnenses infulas meritis per omnia officia suis promotus. Adfuit præses, Vilnæ conjugium rite ineuntibus, Joanni Finlandiæ tum principi, deinde Sueciæ regi, et Catharinæ filiæ Sigismundi I regis Poloniæ. Hæreticis turmatim a Germania et Prussia in Lituaniam irrumpentibus, eorumque ducibus ac patronis, viris principibus, omni conatu, ipso Deo fretus, resistebat. Laudabat ex animo istud in Valeriano religionis studium, præter alios, Varmiensium antistes cardinalis Stanislaus Hosius. Documenti causa unam hic ejus ad Valerianum alteramque epistolam recitamus : prima quidem laudat consilium episcopi, quod cadaveri hominis hæretici sacro in loco sepulturam negaverit : « Pergrati, inquit, rumores « ad nos afferuntur de eo, quemadmodum Dom. Vestra forti atque magno animo « satanismum a suæ diœcesis finibus propulsare conatur, neque potentiam cu- « jusquam reformidat, quo minus suo pastoris officio strenue fungatur ; et quos « viventes nobiscum et cum Ecclesia Dei communicare noluisse intelligit, illos « mortuos, ita, ut jura præcipiunt, quin et ipsa ratio præscribit, a communi « piorum hominum sepultura arcet. Quid enim potest esse æquius, quam ut, « qualem se quisque facit, pro tali habeatur ? Est aliquis, qui suo ipsius judicio « se condemnat : qui semetipsum a piorum cœtu ejicit : communicare cum illis « recusat : quin seorsum sibi altare contra altare erigit : cathedram contra « cathedram constituit ; neque dubitat idem illud patrare facinus, quod in « Core, Dathan, et Abiron gravissimo supplicio vindicandum esse Deus censuit. « Quid habet is quod queratur, si qualem se ipse fecit schismaticum et hære- « ticum, talis a piis omnibus, et mortuus a communi sepultura fidelium « omnium arceatur ? Non opus jam excommunicationibus et interdictis : ipsi sibi « sacris omnibus interdixerunt ; executione tantum opus est, ut pro talibus « habeantur, qualem ipsi contra se sententiam tulerint. Id si ab aliis fieret, « etiamsi nulla gravior aliqua animadversio sequeretur, credat mihi Dom. Vestra, « non difficulter plerique ad officium sanitatemque redirent. Quamobrem non « possum non vehementer laudare Dom. Vestram, quæ vere nunc episcopum « agere videtur, dum ovium suarum saluti per disciplinam etiam ecclesiasticam « prospicere conatur. Non deerit Deus sanctis Dom. Vestræ conatibus ; qui « etiam cor principis jam eo inclinasse videtur, ut magis atque magis se a sepa- « rationis consiliis abhorrere ostendat. Et certe si nobis omnia adversa forent, « prius tamen omnia et ferre et facere et pati nos oporteret, etiam si exilium « subeundum, vel mors ipsa foret expetenda, quam ut officium a nobis requiri

Res ab eo gestæ.

Religionis studium.

Laudatur a Hosio cardinali.

« permitteremus. Cum essem Varsaviæ, dominus legatus apostolicus, mentione 1579
« facta de Dom. Vestra, tantum illi tribuit, quantum vix cuiquam episcoporum,
« me quoque judicium illius de Dom. Vestra approbante. Postea quam is, quam
« fortem se nunc gesserit Dom. Vestra, agnoverit : magis etiam judicium de illa
« suum confirmabit ; modo, quemadmodum cœpit, pergat. Videbit Dom. Vestra,
« Deum non defore suis piis conatibus ; et qui nunc minime quidem ferenda au-
« dacia et arrogantia in omne genus impietatis præcipites feruntur, eos demissu-
« ros esse cristas, ac fortasse etiam, si Deus mentes eorum inspirare dignatus
« fuerit (quod sperandum nobis et optandum : ne idem illis, quod aliis post
« mortem accidat) in viam esse redituros. Utinam autem et illud efficere possit
« Vestra Dom., ne quis deinceps sacrilegum altare contra veritatis cathedram con-
« stituere audeat. Efficiet autem cum Dei auxilio, si conspiratione cum aliis do-
« minis episcopis et catholicis senatoribus facta, ascenderit ex adverso, ac murum
« se pro domo Israel opposuerit, et prælia Domini fortiter dimicaverit. Non
« deerit etiam regis catholici consilium; modo plurium consensus adsit. Hæc
« ego pro meo erga Dominat. Vestram studio et observantia, quin Dominationi
« Vestræ scriberem, tenere me non potui. Fuit autem et hæc non minima ratio,
« quam ob rem id facerem, quod, quamdiu schisma permissum istic fuerit, in
« oculis regiæ majestatis, rationem video nullam, qua nos illud, longius ab illius
« majestate remoti, prohibere queamus. Quibus illud subinde occinitur : fert hoc
« regia majestas in suo conspectu ; et tu putas futurum, ut in nos, tam procul
« dissitos, animadvertendum esse putet ? Hæc una est res, quæ in Polonia et in
« iis terris Prussiæ animos multis facit ad audendum omnia, ad quodlibet sectæ
« genus amplectendum, quod impune talia fieri vident, inspectante regia maje-
« state ; quæ dum non resistit, approbari illud ab ejus majestate interpretantur.
« Expeditiora nobis hic forent omnia, si, quod semel et iterum coram dixi regiæ
« majestati, manifestis aliquibus documentis planum faceret majestas illius, se
« abominanda ista schismata aversari ; quod eam facturam non dubito, si diligens
« Dom. Vestræ studium et sollicitudo non deerit ; quam et ipsum minime defutu-
« ram, omnino persuasum habeo. Datum ex castro Heilsbergensi 4 martii 1557. »

Idem eundem laudat antistitem, quod hæreticos e quodam domicilio, ipsius religionis causa, ejiciendos curaverit :

« Quod Dom. Vestra tanto studio curavit, eos ex ovili suo propulsandos, qui Ejusdem sui studii laus.
« nulli rei magis student, quam ut Christi gregem, quem ille pretioso sanguine
« suo collegit, dispergere possint, magnam est ex ea re laudem et gloriam con-

1579 « secuta. Jam eorum eo progressa dicitur impietas, ut etiam contra Christi « divinitatem libellos, et quidem vulgari lingua conscriptos, edere non dubitent; « neque paucos in hanc suam sententiam pertraxisse feruntur. Bona spe sum, « quæ pietas est illius et religio, quod has in Christum Dominum nostrum blas- « phemias non feret; et qui sunt illorum auctores, ut in illos exemplum aliquod « edatur, modis omnibus contendet et elaborabit; neque spargi latius pestiferum « hoc virus patietur. Utinam autem similes Dom. Vestræ plures episcopos habe- « remus : non adeo nunc religio laboraret. Servet te Deus, optime vereque catho- « lice præsul, qui tam bonum pastorem agis, atque omni felicitatis genere cumulet, « et ad imitationem tui ceteros etiam regni episcopos accendat; ut neminem « sibi, præter unum Deum, timendum existiment; et in cujusvis potius mor- « talis hominis quam Dei immortalis offensionem incurrere, se paratos ostendant, « dum præsertim, non valde valentibus nobis, aliquid melius Deus providerit pro « nobis, dato nobis Rege, qui christianæ fidei se propugnatorem acerrimum fore, « multis jam argumentis declaravit. Vale. Datum Romæ 24 octobr. anno 1577. »

Hæreticorum impietas.

Quo pluribus documentis confirmetur, quanta sollicitudine religionem catholicam in sua diœcesi pius idem pontifex curaverit, tertiam his ejusdem cardinalis epistolam, ad Cracoviensem episcopum Petrum Myszkowskium datam, apponimus.

« Mitto Dom. Vestræ litterarum exemplum, quas ad palatinum Vilnensem dedit « regia majestas, ut ejiciendos ex domo quadam curaret satanæ ministros; qui « sua non sacra, sed sacrilegia in illis ædibus exercebant, ita ut jam in illa « civitate locus illis amplius non sit. Et factum est ope advocati Vilnensis Augustini « Rotundi, viri cumprimis pii et eruditi, ut, omni cunctatione semota, mandatorum « illorum executio fieret. Curam hanc et vigilantiam antistitis illius optimi, « vereque boni pastoris laudare satis non possum. Fatebor autem peccatum meum, « quod ei civitati non nihil invideo felicitatem hanc ; quandoquidem, in qua primum « lucem hanc aspexi, ea simili pastore fuit jam per multos annos destituta. « Sed bona spe sum, quod nos oculis misericordiæ suæ Deus aliquando respiciet; « quod etiam fecisse jam, persuasum habeo ; quandoquidem pastorem illius consti- « tuit Dom. Vestram, quæ non patietur, in officio suo pastorali recte obeundo, se « ab illo superari. Est caput magni ducatus Vilna ; est caput totius regni et om- « nium adjunctarum regno provinciarum Cracovia. Cur, quod illi præstitit regia « majestas beneficium, idem non huic quoque præstet? cur majorem illius, quam « hujus curam et sollicitudinem gerat? Mihi quidem dubium non est, si modo velle « Dom. Vestram intellexerit, quæ pietas illius et religio, quod pio Dom. Vestræ

Laus boni pastoris Valeriani.

Hosius Vilnæ natus.

Vilnæ commendatio.

« desiderio satisfaciet e vestigio. Est enim princeps hic magno quodam et excelso « animo prædītus ; nec a quoquam sibi, præter quam a solo Deo, metuere dicitur ; « ut certa spe simus, si modo voluerit Dom. Vestra, quod nullo negotio voti sui « compos efficietur. Quid autem velle magis debet, quid majore studio contendere « et elaborare, quam ut saluti sui gregis prospiciat ; nec ei pestiferum virus afflari « permittat ? Quæ potest major esse abominatio, quam quæ est in templis Deo « dicatis ; ubi pie Deus patrum nostrorum colitur, et ei sacrificia, quæ debentur, « offeruntur : ut eximius ei cultus præstetur, quo possit a cæteris mortalibus di- « gnosci ? contra, in synagoga satanæ, quam acervum vocant, et est revera om- « nium malorum acervus, alieni dii coluntur, novi recentesque, quos ignoraverunt « parentes nostri ; Christus autem, abrogato sacerdotio et sacrificio, in ordinem « cogitur ; nullus ut ei cultus exhibeatur, quo possit a mortalibus discerni. Tollen- « dam curet, per Deum immortalem, abominationem hanc ; nec eam in civitate, « suæ ecclesiasticæ jurisdictioni subjecta, ferat diutius. Bonum illum pastorem « Vilnensem imitetur (1), ne solus pro salute sui gregis vigilare videatur. Det ope- « ram, ut ejusdem generis mandata dentur ad palatinum Cracoviensem ; qui cur non « æque sicut Vilnensis parere debeat, causam video nullam : cum æque sit uterque « majestati regiæ subjectus. Etiam atque etiam Dom. Vestram oro, det operam, ut « hæc abominatio primo quoque tempore tollatur. Deus Dom. Vestram incolu- « mem servet et felicem, et ei spiritum consilii et fortitudinis largiatur. » Datum Romæ 24 octobris 1577.

1579

Hortatur Hosius Myszkovium ad religionis studium

Hæreticor. synagogæ

Ita aliis atque aliis ista Valeriani proponebantur exempla (2). Plura multo spectabantur in eo, quæ partim ad observantiam viri, partim ad imitationem animos invitarent. Erat enimvero, ut nobilissimo, in Lituania, provincia Minscensi, genere, de familia armis gentilitiis, Drzevica dictis, insigni, sic ad summa quæque natus (3). Ab ineunte jam ætate pietatis et litterarum studiosissimus, ac propterea Augusto I regi, cujus in aula adolescens inter honorarios versatus erat, apprime carus. Paulo IV Pontifice M., anno 1555 a Luceoriensi ad principem in Lituania Vilnensem cathedram promotus, primus bellum adversus monstra hæresium suscepit, defensor religionis ad supremum usque diem

(1) Valerianum episcopum imitandum proponit. — (2) Elogium Valeriani vid. apud P. Adam. Naramowski in *Facie Rerum Sarmaticarum*. l. 2, c. 9, pag. 358 et Gaspar. Niesiecki lib. Korona Polska. — (3) Generis nobilitas et virtus. In aula regia adolescens versatur. E Luceoriensi in Vilnensem cathedram translatus. Primus in Lituania opponit se hæreticis. Adjutorem muneris adsciscit. Academiam condit, item seminarium.

1579 acerrimus. Deficientibus in dies hinc ad hæreticorum castra civibus suis, illinc se per ætatem ingravescentem curasque Ecclesiæ perpetuas, viribus, Georgium Radivillum, ducem in Olyka et Niesviez, S. R. Imperii principem, muneris sui pontificii adjutorem adscivit. Præter Collegium et Academicam Universitatem, Vilnæ, seminarium alendæ pauperum nobilium juventuti scholasticæ quod hodie Bursam Valerianam vocant, ibidem condidit; certis eidem assignatis censibus. Concionatorem (1), qui Vilnæ, in principe urbis et diœcesis suæ templo, die quoque festo doceret populum, curavit. Ibidem (2) colendæ sanctæ Redemptoris Domini cruci aram posuit.

35. Possevinus cum Sociis in Suecia perdit operam. Brunsbergæ scholastici ex Ordine S. Francisci instituuntur. Mutati consilii in Suecia causæ.

Jam ad Possevinum et cum eo ad Varszevickium nostrum revertamur. Seminario Brunsbergæ instituto, in quod, præter cæteros, religiosi e familia divi Francisci Seraphici (cujus Ordinis viros Bernardinos hic vulgo appellant) aliquot juvenes rogatu Provincialis sui accepti, insigni suo in studio cum pietatis tum litterarum progressu, educabantur : Possevinus Regiomontum in Prussiam properavit; ubi se ad navim, ab rege Joanne Sueciæ summissam, vir ex aula Suetica, principis secretarius, præstolabatur. Oblatæ ibidem litteræ, quibus rex Possevinum studiosissime invitabat. Inde legatus sine mora solvit. Delatus Stokholmiam mense quintili exeunte; atque eo quidem venit jam suæ professionis Jesuita manifestus, retento cultu hominibus Societatis proprio. Multa ille quidem Stokholmiæ, multa Upsaliæ, at nequicquam cum suis pariter Sociis agitavit, rege a sacris catholicis et prima illa salutari sententia repente ad opiniones ritusque pristinos relapso ; quo se tum regni per factiones hæreticorum amittendi metus, tum scripta Davidis Chytræi veteratoris famosi de sua Confessione Augustana, quæ princeps, ab auctore sibi inscripta, incautus lectitasset, tum legationes ad se a Lubeca aliisque hæreticorum partibus, tum negata adhuc, quæ sibi mature affutura sperabat, a principibus catholicis auxilia, aliæ denique atque aliæ difficultates hominem non usquequaque confirmatum agitarunt, egeruntque transversum. Status itaque religionis in Suecia paulo etiam, quam fuerit ante, inventus deterior. Perdoluit sane pro eo ac debuit, dejectus videlicet de optima certaque spe, Possevinus. Quid porro egerit, quanto studio rem in integrum conatus sit restituere, omitto; ut quæ in rebus provinciæ Lituanæ non omnino censeri attineat : quæque Sacchinus, Tannerus, aliique enarrarunt. Ubi vidit oleum et operam perdi legatus, neque profici ulla ratione posse, Sueciam deserere statuit; relictis e suo comitatu apud reginam Stanislao Varszevickio, Simone Wyssockio,

(1) Concionatorem in templo suo curat. — (2) Starovolski, *Monumenta*.

et tertio, nescio quo, Sociis. Ante quam Antonius excesserat, pestilentia Sueticas civitates occupavit (1) : qua plaga admonere videbatur Deus Joannem, salutaria consilia aspernantem. Araosiam regina, in locum salubrem, atque a contagione remotum, declinavit. Sequi reginam jussi Varszevickius et Vyssockius, strenue aulæ et oppidanis operam navarunt, Jubilæo maxime in Suecia inter catholicos promulgato; cujus causa regina cæterique per confessiones, a prima etiam pueritia commissorum iteratas, perque alia pietatis officia diligenter se divinæ clementiæ commendabant. Tum atque alias, hinc a pia regina matre, illinc a Varszevickio, Sigismundus princeps qua exemplis qua monitis ad pietatem excitabatur. Rex interim, ne plagis quidem divinis melior, contra : a matre filium avocare, ritus commendare juveni novos, ad fana Luteranorum et conciones traducere. « Monita ea de re princeps obtestatur natum, in religione, quam per se « accepisset, fidelis uti perstet; neque se Luteranicæ contagione sectæ conta- « minet : ne ullius sequatur exempla, quæ a disciplina sua catholica abhorreant. « Speraret, brevi fore, ut et sanctitatem ejus doctrinæ suæ Deus præclaro « aliquo confirmet exemplo, et suam Sigismundi constantiam munere afficiat « amplissimo. » Valuit salutaris apud juvenem bene moratum cohortatio. Ergo patre, se ut ad Luteranicum fanum sequeretur, monente, modeste adolescens deprecatur; diserteque inde confirmat urgenti, malle se omnium rerum mortalium jacturam facere, quam fidem suam, catholicis ritibus obstrictam Deo, cum alienis religionibus commisceri. Exarsit ira Joannes, et regii oblitus decoris, principem alapis multat indignissime. Inde furor totus vertere in magistros e Societate advenas, verbera, exilium, minas jactare diras. Posteaquam iracundia deferbuit, admonendum putarunt regem Socii per aulicorum principem, ne rex sibi innocentibus id crimini daret, quod suum paternum filius imperium abnuisset : « non eos se huc venisse magistros, qui natos, fidei suæ commissos, con- « tumaciam adversus parentes doceant; quin imo se cum pietatis tum reverentiæ, « quam et filii parentibus et principibus cives debeant, omnibus suasores esse. « Viderent tamen parentes ipsi et principes, quantum sibi sua sumere possit « auctoritas, in quibus divina res et salus subjectorum sua ageretur. » Non ista nuper Deo regem, se teste, promisisse. Ea seu Varszevickii sive alterius Socii oratio infregit animum regis concitatum.

1579

Catholicos curant Socii.

Reginæ et Principis Regii Sigismundi virtus.

Varszevickio perdurante in statione sua Suetica qui sibi successerat Vilnensis Collegii rector Jacobus Vujekus, a natali solo Superioris Poloniæ dictus Wan- 36.

Vujekus

(1) Pestilens tempus in Suecia.

1579 Vilna Claudiopolim vocatur. Ejus laus. grovickius, postulante rege Stephano ad Collegium recens Claudiopoli institutum, regendum vocatur Vilna. Vir scriptis, concionibus, prudentia ad gubernandum nata, et pietate insignis. Adolescens ab hæreticis seductus, màture se ad Ecclesiam revocavit; de suo errore admonitus lectione maxime libri, quem Hosius cardinalis de confessione catholicæ fidei christiana, Petricoviensis nomine Synodi, in lucem emiserat. Exacto Romæ tirocinio, litteris ibidem græcis etiam hebraicisque perpolitus, rediit in patriam; ubi et theologiam magna cum doctrinæ laude tradidit, et alias concionatus erat utilissime, et libros complures eruditione conscripsit eximia vulgavitque. Pie denique, ut vixit, docuit et scripsit, obiit diem suum Cracoviæ anno salutis 1597, trium ante in patria Collegiorum, in Transylvania Claudiopolitani, deinde universæ ibidem provinciæ rector.

37. Hosii cardinalis obitus et laus. Roma Varmienses Socii de suo antistite et conditore Stanislao Hosio, primum presbytero cardinali S. Sabinæ, deinde S. Laurentii in Pane et Perna, denique S. Pancratii et S. Mariæ trans Tiberim, octavo nonas sextiles mortuo, et acerbum, quod parentem carissimum amiserant, et lætum, quod optabili cuique morte ex hac ærumnarum colluvione in patriam æternam translatus erat, nuntium acceperunt (1). De obitu ejus et vitæ laudibus Stanislaus Rescius S. P. S. ad Joannem Hosium de Bezdan, Stanislai fratrem, sic Roma, idque familiariter, verbis scilicet non diligentissime quæsitis, perscripsit.

« Facere non potui (2), ac ne debui quidem, vir integerrime, quin ad te « litteris meis perscriberem de transitu et dormitione viri incomparabilis, et « Deo amabilissimi, Stanislai Hosii cardinalis, Majoris Pœnitentiarii, et episcopi « Varmiensis, domini et benefactoris mei observandissimi, fratris tui carissimi; « tum ut dolorem hunc meum, qui me acerbissime cruciat, præclarissimarum « rerum commemoratione leniam : tum ut te animumque tuum, jam, ut puto, « demissum et oppressum, ad calamitatem hanc fortiter et moderate ferendam « isto officii genere excitem, atque extollam : maxime vero omnium, ut Scrip- « turæ dicendi obediam : Sacramentum regis abscondere bonum est, opera « autem Dei revelare et confiteri, honorificum. Spero in Dei misericordia, quod « hanc animi mei contentionem adjuvabit is, qui talem eum facere dignatus « est, de quo scribimus. Qualis vita mortem hanc præcesserit, non ignoras.

(1) De nobilitate gentis Hosiæ, sive Hoss., Vid. P. Adam. Naramowski, *in Facie Rerum Sarmaticarum* l. 2. p. 449. — (2) Elogium hujus Vid. *in Historia Prussiæ* Joannis Leonis a pag. 353. l. 8, et P. Adam. Naramowski *in Facie Rerum Sarmaticarum* lib. 2. c. II, a p. 449. Andreas du Saufay de eodem Cardinale lib. 5, qui inscribitur : *Insignis libri de Scriptoribus Ecclesiasticis*, pag. 27.

« Vere de hoc plane divino viro dici potuit, quod in omni vita sua non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Ab utero enim matris suæ egressa est secum pietas, et a diebus infantiæ suæ crevit miseratio; quam per omnem vitæ suæ cursum summo semper studio animique contentione conservavit; nec unquam in via vanitatis ambulavit, nec curam suam in studiis invanitatis unquam posuit, nec se vel virum vel juvenem esse in perferendis exantlandisque pro adeunda totius pietatis possessione laboribus expertus est: quod suo tempore et loco in oculis et in auribus omnium gentium ac nationum longe clarius et manifestius innotescet. Mihi in hoc tempore nihil aliud constitutum ac deliberatum est, quam ut ad te simul cum fama obitus ejus, quæ protinus orbem universum procul dubio pervolabit, ejus quoque rei significatio perveniat; quam fuerit omnibus ante actæ vitæ studiis consentiens et consentaneus hic ejus ex hac mortali vita excessus, et quem præterea ordinem in anima sua Christo, a quo eam acceperat, repræsentanda, conservare voluerit, quamque verum sit illud, quod olim sanctus quidam pater dixit: non potest male mori, quicunque bene vixerit. 1579

« Jam aliquot menses intercesserant, ex quo languidiuscule cœperat habere, et alvi fluxu paulo vehementiori laborare; nunquam tamen adduci potuit, ut plusculum aliquid ex otio et quietibus cæteris vitæque commoditatibus indulgeret; sed in suscepta propositaque sententia constantissime perseveravit; nec de studiis nec de lectione vel scriptione cæterisque pietatis exercitiis quidquam remisit; sed omnem animi sui contentionem, sicut ii solent, qui ad metam instituti cursus accelerant, magis ad omnem pietatis meditationem incitavit. Cum autem in omni vita sua dies jejuniorum ab Ecclesia institutos religiosissime castissimeque servasset, ne in hac quidem ætate sua decrepita sententiæ suæ constantiam voluit immutare. Quam ob rem et superiorem quadragesimam summa cum animi alacritate in summa abstinentia et in usu quadragesimalium ciborum transegit; nec potuit ullis aut medicorum aut quorumcumque tandem precibus et cohortationibus, ut quos illi vocant, cibis uteretur salubrioribus, expugnari. Imo vero solitus erat dicere, propterea se jejuniorum dies ab Ecclesia institutos diligenter observare consuevisse, quod vellet esse longævus super terram. Scriptum esse memorabat: honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram: Pater meus est Deus in cœlis; Mater mea est Ecclesia in terris. Ille præcipit ut jejunem, ut his vel illis diebus, et isto vel isto tempore jejunem. Utrumque libentissime audio, certamque spem concipio, futurum, ut obedientiæ

Jejuniorum observantia.

1579 « meæ fructum hunc referam, ut sim longævus sic, ut mihi Scriptura promittit, « super terram. Ab illo itaque tempore, nescio tamen, an ex eadem causa, cœpe- « runt vires stomachi, ætate laboribusque fatigati, paulo etiam vehementius « relaxari, ita ut longe quam ante minus vel cibum appeteret, vel acceptum con- « coquere, aut retinere diutius posset.

« Paulo post diarrhææ quoque morbo correptus est, qui nunquam postea con- « stitit, cujus ille tamen molestiam semper tulit moderatissime; nisi quod ple- « rumque a studiis rerum divinarum et a plerisque officiis ejus interventu retar- « dabatur, ita ut nesciret, sicut ille dixit, quando esset cum galea domo sua « prodeundum. Sic igitur cum esset valetudine valde dubia et incerta, magis atque « magis per aliquot menses ventris illo profluvio exhauriebatur. Ac monebatur « quidem a nobis, ut antequam cœlum romanum ignibus vehementioribus, quibus « solebat vim pene totam satis languiduli corporis exhaurire, inflammaretur, ab « urbe rusticatum secederet, valetudini operam daret, seque christianæ reipublicæ, « quæ adhuc ope tam fœcundi pectoris indigebat, conservaret. Sed is a perpetuo « suo instituto revocari non potuit, ut ante festum Beatissimorum Apostolorum « Petri et Pauli, quorum venerandi cineres in urbe requiescunt, quos ille in « summo semper cultu venerationeque habuit, Roma pedem efferret; maluitque

Cultus Principum Apostolorum.

« subire valetudinis suæ periculum, quam honori tantorum Apostolorum in hoc « ipso loco deesse, in quo, profuso pro Christi fide sanguine suo, Deo spiritum « reddiderunt; quem illis ad 3 kalendas julii Roma simul cum orbe reliquo universo « solet summa cum cæremonia celebritateque deferre. Sic igitur ad 5 idus julii « (quæ fuit feria sexta, dies commemorandæ Passioni Dominicæ destinata,) ipse « quoque ad subeundam passionem suam, Capranicam versus, ex urbe discessit; « ubi cum per octo integros dies commodissime valuisset; an quod in aerem paulo « frigidiusculum ex calidissimo ardentique cœlo romano venisset, an ex alia qua- « piam causa, incertum : magis tamen atque magis profluvio ventris cœpit labo- « rare : quæ res illi et cibi appetentiam ademit, et cursum somni impedivit, et « omnes in universum vires corporis vehementer exhausit; sed invictum illud « animi robur, et inflammatum erga res divinas studium nulla calamitas, nulla « corporis incommoda frangere debilitareque potuerunt.

« Nam cum illi per omne vitæ suæ tempus fuisset hoc in more positum, ut in

Pietas sacerdotis.

« ecclesiis, ad honorem Dei et Sanctorum ejus consecratis, missæ sacrificium vel « offerret, vel offerentem sacerdotem aspiceret, a veteri suo instituto animique « inductione ne in illa quidem tanta corporis debilitate et languore sibi putavit re-

« cedendum. Quam ob rem etsi vix pedibus posset consistere, ad Ecclesiam tamen 1579
« sensim pedetentimque singulis diebus accedebat; in qua ad tremendum missæ
« sacrificium christianam rempublicam, se, suaque omnia divinæ primum Bonitati,
« deinde Sanctorum precibus et intercessionibus devotissime commendabat. Sed
« hanc illi facultatem morbi quoque vehementia paulo post abstulit, ita ut non pos-
« set, nec etiam tutum esset, extra privatos parietes pedem efferre. Quæ res etsi
« maximum illi sensum doloris afferebat, illud tamen longe gravissimum et acer-
« bissimum accidit, quod per aliquot dies ab audiendo missæ sacrificio coactus est
« abstinere : tum quod nullus certus esset ad res divinas in illa domo locus desti-
« natus, tum quod ecclesiasticorum canonum auctoritas et ipsius Concilii Triden-
« tini, in quo personam legati apostolici magna cum dignitate sustinuit, sanctiones
« prohiberent : ut ne paterentur episcopi in privatis domibus, atque omnino extra
« Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum oratoria, sanctum hoc sacrificium a
« quibuscunque tandem peragi. Sed statim succurrit piissimo ejus desiderio divina
« misericordia : cum enim de valetudine tam laudati cardinalis episcopus Nepe-
« sinus nuntium accepisset, ut virum Dei viseret, Capranicam accurrit, et cele-
« brandi facultatem in privato cubiculo, id ipsum ab ipso petenti summa cum
« humilitate, libentissimo animo concessit; neque tamen adduci vel medicorum
« consiliis vel precibus nostris potuit, ut languens exhaustum atque deficiens cor-
« pusculum in lectulo contineret : sed in aliud nihilominus offerendo sacrificio
« cubiculum destinatum ita, ut poterat, secedebat, in quo genibus flexis, manibus
« in cœlum elevatis, vim lacrymarum profundens, Domini misericordiam tota
« mentis animique contentione implorabat. Accidit autem, ut a quodam ex suis
« moneretur, ut in sella potius sedens, quam in genua provolutus, et in pectus
« incumbens, offerentem sacerdotem observaret. Huic paulo, et præter morem
« suum, concitatius respondit : ne jam me facias delicatulum : sic par est, ut ego,
« quem debeo, cultum et reverentiam Deo meo exhibeam. Sed neque hoc passus
« est, ut, sacrificio durante, flabello quisquam ventum excitaret, refrigerandi gra-
« tia. Cum ad cibum sumendum esset illi accedendum, non ad refectionem, sed
« tanquam ad pœnam se vocari dicebat; ac sæpe coram medicis de suo patre-
« familias (stomachum ita vocabat) quæstus est : quod perperam munere suo fun-
« geretur, et alimentis, quæ ad illum, reliquorum membrorum sustentandorum
« gratia, transmittuntur, abuteretur. Conati sumus nos quoque illi persuadere, ut
« in eodem lectulo divinum missæ sacrificium audiret; sed is nobis cum quadam
« ignorantiæ et præcipitis consilii exprobratione, minime convenire respondit, ut

1579 « ad cibum sumendum e lectulo surgeret; ad Deum laudandum prostratus in lectulo « jaceret. Et quoniam summa debilitas omnia corporis membra magis magisque « affligebat; operæ pretium judicabant medici, ut subinde cibo reficeretur : quem « ut bene mane sumeret, quoties a nobis rogabatur, suam ille vicissim infelici- « tatem deplorabat : quod in sua inque tum numerosa familia nemo inveniretur « qui ad recitandas preces vel ad missæ sacrificium invitaret; sed omnes, quasi « conspiratione facta, cibum istum corporalem obtruderent; seque vellent facere « helluonem, et in eo summam recuperandæ valetudinis esse constitutam existi- « marent : se vero spem suam omnem non in medicorum artibus, non in Galieni « præceptis, nec in phasianorum ac perdicum cadaveribus, sed in gratia Dei ejus- « que infinita misericordia reponere : cui si placeret longiorem vitam concedere, « potius id esset a spirituali cibo, qui in sacrosancto missæ sacrificio proponatur « quam a quibusvis carnalibus epulis expectandum. Sic ergo aliquando contigit : « dum canonicas preces recitat, dum et missæ sacrificio adest, dum se consuetis « suis vestibus in illo corporis languore induit, ut ad meridiem usque et ultra « prandium extraheretur. Cæterum D. N. Gregorius Pontifex, cum intellexisset, « divinum hunc virum, quem ab ipso jam Concilio Tridentino in summa veneratione « semper habuit, et cum jam esset Pontifex designatus, omnibus humanitatis offi- « ciis semper prosecutus est, majorisque Pœnitentiarii munere exornavit, in eam « corporis imbecillitatem incidisse : misit e vestigio D. Georgium Ticinium came- « rarium suum, qui suo nomine paternam illi benedictionem impertiretur : utque « totam animi contentionem atque suum illud acre et intensum studium ad tuen- « dam valetudinem converteret, quam diligentissime hortaretur : ante omnia vero, « ut Romam primo quoque tempore rediret; in qua major esset futura rerum neces- « sariarum copia, et omnis omnium medicorum industria ad reprimendam istius « morbi vehementiam converti facilius posset, nec ullius medicinæ facultas esset « illi defutura; se quoque nullam occasionem esse prætermissurum, qua posset, « quocunque tandem officii atque pietatis genere, afflictam ejus valetudinem suble- « vare. Hoc tam benigno Pontificis nuntio, atque ista plane paterna sollicitudine « fuit non parum recreatus cardinalis; sed cum dejectas esse ac prostratas prorsus « omnes corporis sui vires sentiret, nullam sibi facultatem reliquam esse respondit, « ut ex eo, in quo manebat, loco pedem posset efferre : tum et ipsum anni tempus, « quo minus ad urbem accedere liceret, et sanos et infirmos vehementer deter- « rere. Quod ad reliquas commoditates et victus et medicinarum opportunitates « attinet, se in media plane urbe versari. Nam Illmus D. cardinalis Farnesius

Existimatio viri et amor.

« (quem in omni sermone suo summa cum honoris præfatione, et patriæ et valetu- 1579
« dinis suæ protectorem appellare consueverat) ex Caprarola sua, in qua ipse
« quoque menses æstivos duceret, omnia ad victum et curandam valetudinem ne-
« cessaria et abundantissime et animo liberalissimo suppeditabat; imo et sui quoque
« medici operam et industriam ad studium recuperandæ valetudinis convertit.
« Erat enim et extra urbem et in ipsa urbe præstantissimorum ac doctissimorum
« quorumque virorum de tuenda conservandaque viri, tam salutaris Ecclesiæ Dei,
« valetudine maxima quædam sollicitudo ; ut passim non solum vota publica per
« urbis ecclesias viri, conservandæ religionis catholicæ studio inflammati, face-
« rent : sed etiam operas suas et res et fortunas libenti animo offerrent ; modo
« posset hæc tam solida Ecclesiæ Dei columna ab imminenti casu prolapsioneque
« sustineri. Inter hos autem regni Poloniæ patriæque nostræ vice-protector car-
« dinalis Sabellus, vir prudentiæ, humanitatis et gravitatis laudibus abundans,
« cum a multis annis pietatem innocentissimi cardinalis adamasset, illique omni-
« bus in rebus gratificari semper contendisset, studiaque sua et officia vultu et
« verbis sæpe significasset ; hoc præcipue tam necessario tempore admirabilem
« curam et sollicitudinem omnibus officiis præstandis re et veritate declaravit : ac
« modo non singulis horis et momentis de afflicta cardinalis valetudine laboravit ;
« et quæcunque tandem ad eam restituendam necessaria præsidia, summa volun-
« tate, pleno amicissimi desiderii animo suppeditavit : cui se hoc nomine plurimum
« debere, iterum iterumque cardinalis in auribus nostris testatus est. Interim ex
« urbe quoque venit officii causa Vincentius Laurens episcopus Montisregalis ; qui
« summa cum dignitate et utilitate Ecclesiæ Dei apud Henricum et Stephanum Po-
« loniæ reges nuntii apostolici munus annis aliquot sustinuit. Quem cum in cubiculum
« introduxissem, incredibile est, quanto cum gaudio vir divinus exceperit : sublatis
« in cœlum manibus, illacrymans ; advenisti, inquit, desiderabilis ; cujus ego præ-
« sentiam vix optare, ne dum expectare hoc anni tempore potuissem. Spero fore, ut
« per te meis malis divina misericordia succurrat. Hoc consolante, æger suspi-
« rans : paratus sum, inquit, et non sum turbatus. Fiat voluntas Domini, etc. »

Idem eundem Cardinalem in epistola ad Joannem Varmiensem canonicum præclare laudat.

« Quod a morte, inquit, sanctissimi et omnium prædicatione dignissimi cardinalis « Hosii, domini et patroni mei beneficentissimi, nullas ad te litteras dederim, in « causa fuit infinita quædam vis lacrymarum et dolorum, quæ me omnibus acer- « bitatibus interclusum tenuerunt, ac omni facultate dicendi scribendique spolia-

1579 « runt, statumque illum nostrum et æquabilem vitæ rationumque cursum contur-
« baverunt atque confecerunt. Etsi enim in amissione tam salutaris viri non ego
« solus, sed orbis christianus universus incredibilem jacturam fecerit : me tamen
« unum hæc ruina oppressisse præcipue videtur ; qui a teneris annis in illius pene
« sinu et gremio educatus, ejusque exemplis et institutis instructus, atque incre-
« dibilibus beneficiis cumulatus, in tantam ad extremum orbitatem incidi, omnibus
« vitæ præsidiis et jucunditatibus ita subito spoliatus sum, ut vitam quoque ipsam
« non ob aliud mihi reliquam existimem, quam ut præbeat sensum materiamque
« malis. Quomodo enim, quæso te, hæc mihi vita vitalis aut jucunda esse potest,
« cum ei vitam ademptam videam, qui multis vitam dare solebat ! qui multos a
« morte ac peste ad vitam sanitatemque sempiternam revocabat, qui solus prope-
« modum recte vita uti sciebat ? Quibus, inquam, oculis hanc tantam Ecclesiæ solli-
« citudinem, tam excellenti, sicut de suo Basilio ait theologus, gloria detonsæ ac
« spoliatæ, atque hujusmodi corona excussæ, aspiciemus ? Bellum hæreticorum
« imminet ; et qui ducem se nobis præbeat, non est. Laborat infirmitatibus Ec-
« clesia, et medicum non invenimus. Tempus consilii est, et consilium dare solitus
« abiit. Helias assumptus est, et Eliseus non est relictus.

« O calamitatem intolerabilem, cujus exitus non apparet ! o noctem acerbissi-
« mam, quæ lucis ortum non exspectat ! Amisit Ecclesia Dei confessorem, religio
« propugnatorem, antiquitas conservatorem, novitatis depulsorem, populus docto-
« rem, docti præceptorem, pietas tutorem, impietas persecutorem, pastores exem-
« plum, impostores adversarium, veritas domicilium, orbis in tantis hodie tene-
« bris lumen clarissimum amisit, etc., etc., etc. Interest omnium, qui pietatem
Dignitas viri. « colunt, scire Hosium, quis fuerit; erat enim singulare vivendi moriendique exem-
« plum, nobis propositum ita, ut nisi pulcherrimum sit istud τοῦ ὁσίου cognomen,
« quod a majoribus suis accepisset, id ipse sibi posterisque suis virtute sua pe-
« perisset. Bonus, inquam, et perfectus erat doctor Hosius. Agebat, quod docebat ;
« omnia vitæ suæ tempora et momenta tanta cum innocentiæ laude transegerat,
« ut nullus unquam eum diem viderit, quo cujusquam interesset Hosium mori.
« Tanta præterea contentione atque doctrina verborumque et sententiarum uber-
« tate fidem Ecclesiæ tum scriptis in omnes orbis christiani partes ferventissimis
Sapientia. « illis et admirabilibus epistolis, tum etiam libris editis propagavit ; ut, quod
« olim de Gregorio Thaumaturgo, hoc de Hosii quoque nostri lucubrationibus
« recte dici posse videatur : quod ea ipsa Dei Mater Virgo scribenti dictaverit;
« nec alia post illum scribendi contra hæreses materia scriptoribus relicta esse

« videatur. Quo actum est, ut Hosius orbi christiano valde magnus esset... 1579
« Cæterorum mortes privatos, hæc una communem quemdam luctum in animis « piorum excitavit. Ex quorum ego litteris et libris ducenta fere testimonia præ- « clara, cum animi mei voluptate, collegi; quibus illi, quasi conspiratione facta, « totius laudis et gloriæ principatum, cum in cultu pietatis tum in excellentia « doctrinæ, attribuunt. Alii columnam Ecclesiæ vocant, alii ornamentum Colle- « gii Cardinalium sacri, alii splendorem curiæ Romanæ, alii polonicum patri- « archam, alii senem vere Abrahamiticum, alii malleum hæreticorum, alii nostri « temporis Augustinum appellant.... Neque mihi in hoc prædicationis genere « pertimescendum esse videtur, ne dulcedine diuturnæ, quæ mihi cum Hosio inter- « cessit, consuetudinis delinitus, libentius hæc omnia prædicare de illo videar, « quam verius; cum ita communis, ita constans, ita perpetua sit omnium de illius « pietate opinio, ut etsi præcipuum esse meum erga illum studium esse debeat, « pene tamen æqualiter cum cæteris videatur versari. Atque his ego interim rebus « et cogitationibus in hac orbitate mea me consolor : quod amplissimi quique « atque optimi viri de Hosio nostro opinantur, non secus ac de homine e cœlo in « terram ad salutem reipublicæ christianæ delapso : voce... Me quod attinet, etsi « mihi secretarii et familiaris nomen mors ejus abstulit, cultum tamen erga illum « et observantiam et diuturnæ consuetudinis ad benevolentiæ memoriam non « ademit : quo minus eam tantam pietatem et sapientiam, tam inusitatam clemen- « tiam, tam ferventem charitatem, tam raram humilitatem, tantum denique in « magna potestate rerum omnium modum tacitus apud te præterire potuerim. Ad « extremum autem te etiam atque etiam peto; posteaquam me calamitatis ejus « acerbitate ita fractum ac dejectum esse vides, ut non solum animi sed et vultus « et frontis et oculorum hilaritatem in sempiternum tempus amiserim; ne me « consolationibus tuis orationumque destitutum præsidiis relinquas : sed has vitæ « nostræ tenebras, vel potius istum nostrum carcerem, imo mortem funus et ci- « neres, cum ad altare Dei steteris, in sacrificiis tuis illius Bonitati commendes... « Ego vicissim tibi impendam charitatis officium apud venerandos SS. Apostolo- « rum cineres. Romæ mense decembri 1579. »

Hæc de suo nostroque Hosio Stanislaus Rescius, religiosissimus vir ac perquam eruditus.

At de Rescio cardinalis Baronius in suis ad 7 mensis maii notis : « Stanislaum, 38.
« inquit, Rescium S. R. E. protonotarium, optimi illius atque doctissimi Stanislai Rescii laus.
« cardinalis alumnum, ob morum egregiam integritatem et insignem eruditionem

1579 « plurimi facio (1). » Laudat eundem commendatque tum Italis tum Hispanis in suis epistolarum centuriis Justus Lipsius; sed multo pulchrius sua suum prædicant auctorem opera. Complures scripsit libros perutiles; in his, quos scimus, sunt : de atheismis et phalarismis Evangeliorum libri duo; ubi parenesim quoque legas, qua docet polonos equites, nihil de sua libertate imminui, si potestati ecclesiasticæ obsequantur : paraphrasis in 7 Psalmos Davidis pœnitentis; de rebus, Henrico Valesio ad regnum a Polonis invitato, in Gallia et Polonia gestis; panegyricus, in quo gratulatur Polonis victoriam de Turcis partam; colloquium cum animo de morte hominis : vita Stanislai Hosii cardinalis; præter ea, quæ de obitu ejus conscripsit; spongia pro Societate Jesu, cujus opusculi mentionem grato facit animo Sacchinus in historia Societatis (2). Tractatus de majestate Sedis Apostolicæ; sermones de sacerdotio; pia progymnasmata; liber epistolarum familiarium; oratio in causa canonizationis S. Hiacynthi; liber pro augmento fidei orthodoxæ; liber apologeticus (præter dictam spongiam) in quo adversus iniquos Societati homines partes ejusdem pius defensor tuetur. Propter eam doctrinam et morum probitatem acceptus erat principibus, in primis Henrico Polonorum regi, in aulam, atque adeo in eorum numerum, qui principi a secretis erant, agregatus. Illum Valesius, post suum e Polonia reditum in Galliam, propositis amplis muneribus, ad se invitabat. Sixtus V officio Referendarii utriusque signaturæ auxit : Sigismundus III Poloniæ rex ad titulos canonici Varmiensis et Varsaviensis decani, munus abbatis Andrejoviensis, opimum sacerdotium addidit; relatoque rite in cives Poloniæ nobiles, Stephanus I rex legato sæpius, in primis ad Sixtum V, P. M., quem Poloni orabant, ut Beatum suum Hiacynthum Sanctorum honoribus consecraret; ad Venetam Rempublicam alias, alias ad Gregorium XIII, Sixtum V, Clementem VIII, Romanos Pontifices : ad Ferdinandum Hetruriæ aliosque atque ad alia plena honoris officia usus est. Divus Carolus Borromæus, decus insigne purpuratorum ipse Romanæ Ecclesiæ Patrum, in epistola ad Rescium nostrum laudat suam viri maxime animi simplicitatem in ea doctrina sua, suumque ad amplificandum Jesu Christi nomen studium.

Ejus doctrina.

Ejusdem munera.

Laudatur a S. Borromæo.

Starovolskius, scriptor inter Polonos inclytus, Rescium, sive paterno nomine Reska, ait Posnaniensem esse patria : immortuum officiis publicis, in munere supremo legati ad Neapolitanos; missum eo, censuum e provincia Barensi, fisco Poloniæ debitorum, causa, anni 1603 nonis april.; paulo ante bibliotheca sua lectissima domui professorum Societatis Cracoviæ testamento tradita. Scripsit

(1) Vid. P. Gaspar. Niesieckii lib. *Korona Polska* tom. III, p. 856. — (2) Parte 5, l. 10, n. 85.

idem oden lugubrem de obitu cardinalis Hosii, propositis in ea illis Ecclesiastici 1579
verbis : Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua : multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a sæculo.

At Cardinalis ipse libros grandes duos, doctrina præcipua et religionis studio conscriptos, posteritati monumentum ad laudes suas cæteras apposuit. Horum primus continet : confessionem catholicæ fidei christianam; confutationem Prolegomenon Brentii; de expresso Dei Verbo doctrinam; dialogos de communione sub utraque specie; de sacerdotum conjugio; de missa lingua vulgari celebranda; judicium et censuram de adoranda Trinitate; epistolam de loco et auctoritate Romani Pontificis in Ecclesia et in Conciliis, ad Stanislaum Orechovium; Fabiani Quadrantini recantationes; alter vero, de oppresso Dei verbo : de actis cum hæreticis variis; epistolas ad principes, religiosos præsides, et eruditos viros; examina confederationis hæreticorum duo; orationes denique funebres duas; quarum alteram Samuel Maciejovskius Cracoviensium episcopus et procancellarius Poloniæ in funere Sigismundi Polonarium regis, ab Hosio, tum secretario regio, compositam; alteram ejusdem auctoris Stanislaus Rescius in exequiis Sigismundi II regis Poloniæ, recitarunt. His omnibus, a Materno Cholino collectis vulgatisque, et Julio Herbipóliensium episcopo nuncupatis, testamentum, annis decem ante obitum Heilsbergæ conditum ab Hosio cardinali, additum :

39. Libri ab Hosio editi.

In nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

« Ego Stanislaus, miseratione divina, tituli S. Theodori (nam post S. Sabinæ, « deinde S. Laurentii in Pane et Perna, mox S. Pancratii et S. Mariæ trans « Tiberim, hoc denique titulo erat ornatus cardinalis) S. Romanæ Ecclesiæ « presbyter cardinalis, Hosius episcopus Varmiensis, ad regni comitia Lublinensia « profecturus, Christi præcipue in illis causam acturus, ut neque fiat novatio vel « in ecclesiasticis vel in politicis rebus, ad has præsertim Prussiæ terras perti- « nentibus, et quæ facta jam est, ut inducatur et antiquetur : tum ut jura, privi- « legia, libertates, consuetudines, harum terrarum sarta tecta conserventur, et « si quid in illis labefactatum est, id aut in pristinum statum, quoad ejus fieri « poterit, restituatur, aut saltem ne deinceps idem evenire queat, caveatur; omni « cura, diligentia, labore provisurus, in hac affecta et ætate et valetudine mea non « potui (quæ solent hominibus humanitus accidere), non eorum subinde recor- « dari : cum præsertim crebro auribus meis insonet præclara illa sapientis vox : « nescit homo finem suum : ut aves laqueo comprehenduntur, sic rapiuntur ho- « mines; nec unquam eorum verborum oblivisci possum, quibus nos ipsa monet

1579 « Sapientia, parati semper ut simus, et vigilemus; quia nescitis, inquit, diem neque « horam. Quare, quod et mentis et corporis viribus non esse videor destitutus, ut « meæ domui disponerem, et ea, quæ sunt novissima, providerem, faciendum esse « duxi. Quocirca, facultate mihi per Pium V Pontificem concessa, meam ultimam « continens, hoc testamentum condo, facio, et ordino in hunc, qui sequitur modum.

Viri prudentia salutaris.

« In primis profiteor, et præ me fero, testatum etiam omnibus cupio, quo- « cunque tempore Deus de statione vitæ hujus decedere me jusserit, quod non « nisi in christiani nominis et catholicæ fidei confessione decedere cogito : ejus, « inquam, fidei, quæ non quinquaginta his annis nata, sed ab ipsis fundatissimis « Apostolorum sedibus in hodiernum usque diem, succedentibus sibi episcopis « secundum seriem successionis, et populorum consensione firmatam, nobis est « per manus tradita; ejus fidei, quam puer didici, quam a beata matre, deinde « a nutrice mea, cum ipso quodammodo lacte suxi : quam postea justis auctam « incrementis professus orbi testatam feci : quam ex omnibus mundi partibus in « unum congregati Patres, frequenti numero, nec pietate minus quam doctrina « præstantes, in Sacro Concilio Tridentino, cui, quamvis indignus, Pii IV Ponti- « ficis nomine, cum aliis legatis S. R. E. cardinalibus, præsedi, unanimi consensu « receperunt et approbarunt : denique per longam Romanorum Pontificum suc- « cessionem sibi per manus traditam sequitur quoque Pius V Pontifex; qui nunc « in cathedra Petri sedens eandem cum illo doctrinam profitetur : quam etiam ob « causam, quod aliquando quendam a sanctis Patribus dixisse recordor, cum ad « Romanum Pontificem Damasum verba faceret : non novi Vitalem, Meletium « respuo, Paulinum ignoro; quicunque tecum non colligit, spargit : hoc est, qui « Christi non est, Antichristi est; qui papista non est, satanista est.

Fidei professio.

« Nullum itaque primum, nisi Christum sequens, tuæ Beatitudini, id est, « cathedræ Petri, communione consortior. Super hanc Petram Ecclesiam ædifi- « catam esse scio; cui si quis jungitur, meus est : huic adhærere, nec unquam « ab ea, quoad spiritus hos reget artus, avelli me velle, clara voce pronuntio. « Ac secundum illud, quo Christi censemur omnes, nullum vel gloriosius vel « salutare magis nomen mihi tribui posse, persuasum habeo, quam si papista « vocer. Si quid autem a me vel dictum vel scriptum est aliquando, quod certe « sciens et prudens feci nunquam, id pro non dicto et pro non scripto haberi volo. « Quin si deinceps etiam graviore morbo correptus dicerem tale quid, id errori « mentis potius adscribi velim, quam quod ex animi mei sententia profectum esse « judicetur. Hæc enim est ultima mea voluntas, quam Dei fretus auxilio, mutabo

« nunquam; quod sicut per omne vitæ meæ tempus ab Ecclesia catholica me 1579
« non disjunxi, sic nec moriens ab ea vel ejus doctrina disjungi cupio : ac non in
« ea modo, verum et pro ea, si res ita postulaverit, mori me paratum offero. Non
« meis ullis viribus, quas infirmas esse scio; verum Dei misericordia fretus,
« quod, qui dedit promptam hanc voluntatem, si conferenda fuerit ad rem
« aliquando, dabit etiam facultatem. Hac solemni facta protestatione, quod et
« vivere et mori cogito in Ecclesiæ gremio; in qua sola spiritum veritatis, extra
« eam vero spiritum vertiginis, erroris, mendacii : in qua sola remissionem pec-
« catorum, extra eam vero spem salutis nullam esse, mihi certum est et indubi-
« tatum : quandoquidem in illius fide permansi semper, nec ab ea me disjunxi,
« vel etiam deinceps sim disjuncturus unquam, tanto majore cum fiducia accedo
« ad gratiæ tuæ thronum, qui Pater es misericordiarum et Deus totius consola- Spes in Deo ipso sita.
« tionis, ut misericordiam consequar, et gratiam in tuis oculis inveniam.

« Quocunque tempore depositum tuum repetere a me tibi visum fuerit; in
« manus tuas commendo spiritum meum; quem si tu contempleris, qualis ipse
« est ex se, fateor, quod non est dignus, qui sub oculos majestatis tuæ veniat;
« cum sit omni sorde plenus. Cæterum si Filii tui sanguinem, quo lotus et emun-
« datus est : si cruciatus suos inspexeris, quos longe tulit acerbissimos pro peccatis
« nostris, ut nos redderet acceptabiles; digni sunt certe illi, propter quos tanto
« redemptum, facias eum participem gloriæ tuæ sempiternæ. Noli Pater clemen-
« tissime, noli inspicere in faciem meam; quin averte potius a peccatis meis faciem
« tuam : et, o Protector noster! aspice Deus, respice Deus in faciem Christi tui,
« respice in faciem Filii tui, pro peccatis meis in cruce pendentis et morientis; et
« in eorum remissionem de saucio latere copiosum sanguinem profundentis. Con-
« fiteor tibi, Pater, quod gravia sunt peccata mea, quibus iram tuam promerui;
« sed utinam appendas ea Domine in statera et quam pro me calamitatem pertulit
« innocens Filius tuus; certe multo gravior apparebit hæc et magis digna, propter
« quam effundas in me misericordiam tuam, quam illa sint, ut propter ea contineas
« in ira tua miserationes tuas. Indignus ego sum, quem oculis majestatis tuæ
« aspicias; verum tamen dignissimus est ille, propter cujus passionis et mortis
« meritum non modo respicias me, verum etiam corones. Quam ob rem venio ad
« te, Pater clementissime, venio ad te, nullis meis sed multis Filii tui Domini et
« Redemptoris mei Jesu Christi meritis onustus; qui cum pretiosa morte sua non
« modo pro meis verum etiam pro totius mundi peccatis abunde tibi satisfecerit;
« hujus mortis meritum, in quo solo meam spem et fiduciam omnem habeo

1579 « defixam, affero ad te : hæc est justitia mea, satisfactio mea, redemptio et propitiatio mea, meritum meum, est mors Domini mei. Non sum inops meriti, quam diu miserationum Dominus non defuerit. Et si multæ sunt misericordiæ Domini mei, multus ego sum in meritis meis. Quanto potentior ille ad salvandum, tanto ego securior.

« Vides igitur, clementissime Pater, quibus meritis onustus ad te veniam : iis nimirum, quibus negare nihil potes. Quam ob rem quocunque tempore repetere tibi visum fuerit, accipe Pater cœlestis, accipe spiritum meum, non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso Filii tui sanguine redemptum. In hoc pretium respice ; propter hoc pretium esse me dignum pronuntia, quem inter oves tuas a dextris colloces, et una cum aliis electis tuis exoptatam illam vocem audire facias : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quod ut consequar, Beatæ Virginis Mariæ ac Sanctorum, qui vel in cœlo cum Christo jam triumphant, vel in hac lacrymarum valle nobiscum adhuc militant, precibus adjuvari, peto. Spiritu meo Patri meo cœlesti commendato, quod circumfero, corpus mortis hujus, unde prodiit, mandari terræ volo ; si cum in mea diœcesi fuero, me contigerit æternam illam in domum ex hujus vitæ diversorio migrare, Brunsbergæ sepeliatur in templo Societatis Jesu : sin autem extra diœcesim, in eo quod proximum templum fuerit (modo sit catholicum), sine pompa quidem, sed non sine justis tamen Ecclesiæ cæremoniis, terræ mandetur. Vestiantur pauperes : detur eleemosyna : et his et sacerdotibus, qui prosecuti funus fuerint. Quoniam vero quod habui patrimonium, pridem Domino Joanni Hosio, fratri meo, natu grandiori, cessi (quam cessionem etiam nunc ratam habeo) nullum ut mihi supersit jam, quam Christi patrimonium : quidquid ex illo penes me est, quod valde exiguum est, non alios ejus hæredes instituendos esse duxi, quam N. et N. Hos etiam, ut in precibus et sacrificiis suis mei memores esse velint, rogo ; quo possim in extremo die meo propitium habere Deum, suppliciter misericordiam ejus implorent. Hæc scripsi manu mea in Ecclesiæ meæ Castro Heilsbergensi, Dominica Septuagesima, anno Domini 1569. »

*Commendatio animi.*

*Sepeliri vult in templo Societatis Brunsbergæ.*

In Collegio hujus pii parentis Brunsbergæ, annis superioribus strenue versatus, laboribus tandem finem fecit Lovanii P. Joannes Astensis. Antverpiæ pastor ante, deinde Neomagi ad ædem primariam decanus, Societati anno 1563 Coloniæ nomen dedit. Eloquentia in concionibus valebat plurimum. Brunsbergensem civitatem sub ipsa Collegii primordia excoluit. Elbingæ religionis causa passus

40\. *P. Astensis obitus.*

multa. In Belgium revocatus, multo duriora inter hæreticos eodem in negotio sustinuit : telis non raro jactis inter concionandum appetitus : aliquando per urbem Neomagensem, tanquam ursæ latro, deductus, popello Luteranico sibilis maledictisque consectante. 1579

Brunsbergæ seminarium educandis instruendisque, qui Suecis, finitimisque gentibus, ad Ecclesiæ Romanæ auctoritatem revocandis, salutarem navarent operam, hoc anno institutum a Gregorio XIII, procurante in primis P. Possevino. 41. Brunsbergæ seminarium Pontificium.

Pestilenti in Suecia tempore (1), Stanislao Varszevickio et Simone Wysockio Araosiæ apud Reginam, Laurentio Norvego Stokholmiæ, civium salutem procurantibus ; Possevinus cum reliquis Sociis, Joanne Ardolpho et Nicolao Milonio ad parvam insulam, sylvestrem illam saxosamque, Sociis nuper attributam hospitibus, se contulit. Hic loco horrido, in tugurio augusto, obnoxii undique vitæ periculis Socii, anachoretarum ritu, formidolosum pestilentiæ tempus in meditatione mortis et omni vitæ asperitate exegerunt. Magna ibi circum solitudo, perpauci rusticuli, iique suis perpetuo intenti operibus ; in agris scilicet insulæ non oppido siliginis etiam feracibus, ipsi duntaxat per otium conveniebant vocati, rudimentisque disciplinæ christianæ instituebantur. Subinde Stokholmiam, dum abesset aula, et magistratu vacante pauciores essent, qui observarent, visebant Socii, populoque catholicæ religionis dogmata, ex catechismo maxime Petri Canisii, verso in sueticum ex latino, proponebant. Laurentio Novergo, laboranti in urbe, suum operæ pretium non respondebat ; sub ipsis etiam pestilentiæ plagis otio, vino, luxuriaque civitate diffluente : præeuntibus maxime suis ad interitum ministris luteranicis. Ad extremum Possevinus, quia nihil melioris reliquum spei videret (rege de sua pertinacia nequaquam remittente) placide, atque ita ut patentem commercio viam relinqueret, cum bona gratia dimissus ; comitantibus Laurentio Norvego et Guiliemo Good, Sueciam valere jubet ; datis velis 4 idus sextiles 1580. 42. Possevinus relinquit Sueciam. Socii in diversorio per commodo. Labor eorum.

Irriti sui conatus non eadem fuit omnium sententia interpretum : hi metu amittendi per cives, Luthero addictos (2) regem salutare abjecisse consilium, existimabant : illis nihil adhuc ex animo egisse visus : ludificatum esse duntaxat lucri sui causa : « qui speraret videlicet ea via recuperatum iri hærens apud Neapolitanos « aurum, interventu maxime Romani Pontificis et regis catholici : potiorem sibi « esse amicitiam Dani, Saxonis, et civium suorum, quibus suum commune hæreseos « studium approbaret, quam religionis sinceræ rationem ; propterea beneficium « legis eum illis in rebus flagitasse, in quibus illud sciret a Pontifice negandum.

(1) Vid. n. 33. — (2) Causæ, cur Sueciæ rex tergiversaretur in consilio religionis catholicæ.

1579

Mœror fidelium in abitu Possevini.

« Argutatorem esse, quique in disputatione rerum plus sibi sumeret, quam sua « humana omnis valeret sapientia; itaque multa a se vocari in controversiam, « negari multa; novas quas nescio alias religiones velle architectari. Dolebant, « rem, tanto nuper institutam negotio, tam facile dissolutam; sic populum, sic « proceres plerosque animatos fuisse, ut, si rex ipse rem serio et fidentur com- « plexus esset, multo minore, quam sibi fingebat ipse, negotio religio sancta « templis suis regnoque potuerit restitui. Jam hodie rem omnem ivisse pessum : « redditum esse hæreticis gymnasium. Juventutem illam præclaris istis magistris, « agnos lupis, commissam. Fortunarent saltem, optabant, suas Varszevickio Superi « et Vyssockio curas; qui duo apud reginam cum duobus sacerdotibus novitiis, « Alberto et Arnulpho, restiterant; meliorisque in Suecia fortunæ nuntios suis « civitatibus hospites restituerent. Solabantur se vicissim Socii recordatione eorum, « quæ in Suecia pertulissent religionis causa, quæque Deo bene juvante, effecis- « sent : per eam occasionem institutum esse a Gregorio XIII seminarium formandis « alumnis ad opem aliquando laboranti Sueciæ ferendam, complures adoles- « centes virosque ad religionis catholicæ et pietatis studium traductos, labe- « factatam esse Lutheri existimationem et opinionem de ministrorum suorum « doctrina præjudicatam, relictos certos populo libellos et certa in ani- « mis semina pietatis. »

Vastenensium Monialium constantia.

Jucundum quoque erat meminisse incredibilis ejus constantiæ, perdurantium adhuc in fide, virginum divæ Birgittæ Vastenensium; atque ejus lætitiæ, triumpho similis, ex adventu eo Sociorum : diem tenebris suis, atque subito meridiem quendam ortum credebant illæ, visis primum nostris hospitibus. Frequentissimum erat florentissimumque aliquando virgineum illud, pluribus abhinc sæculis institutum a beata Birgitta, Collegium; jam tunc temporis numero hospitarum ad duodeviginti redacto, ipsum solum, amœni instar in horrida sylva hortuli, pulchrum Deoque gratum visebatur. Præerat huic Catharina Benedicti, virgo ætate provecta, inter sorores religiosas, quasi mater apum, magistra morum, et sanctimoniæ vivum suis exemplar : annos continenter tredecim functa officio antistitæ. Querebantur ipsas sibi relictas esse, et jam diu præstolari, qui magisteria sua religiosa tum sibi in primis, tum suæ, ut vocant, priorissæ, rite vel abrogaret, suffectis aliis, vel, nisi id fieri posset, auctoritate pontificia confirmaret; deinde septem in suo collegio sorores diu opperiri sacerdotem, apud quem ritu suo profiterentur. Atque id jam præsto erat, quod postulabant, præsente Possevino : hic pro facta sibi potestate a Pontifice et præfecturas eis confirmavit, et septem illarum pro-

fessionem excepit. Hortatus denique ad religionis et fidei constantiam, se suumque reditum piis precationibus commendavit. 1579

43. *Polociam armis Lituani recuperant.* *Urbis descriptio.*

Rebus in Suecia non prospere cadentibus, consolatus est in patria Polonos suos servulos Deus. Polociam, Lituanici jam olim juris urbem, cum sua prope universa provincia, Moscoviæ dux, Joannes Basilides, ereptam nostratibus anno 1562, obtinebat. Est ea urbs Russiæ inter Dunam, flumen navigabile, inclytum mercibus, et confluentem Polotam, sita : ampla et opulenta olim, eaque tum propugnaculis, tum ipsius opportunitate loci pro eo temporum statu permunita. Magno conatu hostes ex oppido Stephanus rex Poloniæ ejectum ibat. Rem primo tentare visus difficillimam : hinc civitate, hosticis confirmata præsidiis, pertinaciter repugnante, illinc fœda continentique cœli autumnantis tempestate castra regia consiliaque dissipante. Totum, quantus quantus est, sextilem pluebat : ut creditum sit, eam in regios pestem magicis Russorum carminibus fuisse contractam. Multam stragem tempestas edidit : intereuntibus passim, dux milites, milites jumenta sua resque, eluvione corruptas, requirebant. Hosti recenti interim et sicco de manibus et excursio facilior et impetus in metantes certior; istis vero, in loco plano et pleno uliginis jam diu permadentibus, bona facinoris spes nulla. Plerique, malis victi, tecta caldariaque respectabant. Dilabi calones et lixæ primi : alii deinde molliores post alios a tergo defluere : ægre in suis hærere ordinibus reliqui. Admonere rex duces, duces hortari exercitum : orare Deum, ut, si justæ suscepti forent belli causæ, adversam tempestatem averteret. Rex ante alios sollicitus, quod jam ante animo conceperat, vovet : si preces suas audierit Deus, domicilium Collegio Societatis in ea urbe se conditurum. Conserenat inde cœlum : redeunt ad castra milites : procedit res prospere. Receptum oppidum III kalendas septembres, divis Felici et Adaucto martyribus sacro. Cujus memoria victoriæ quot annis eodem die publica ibidem supplicatione celebratur. Quam feliciter ibi res gesta sit, nemo fidelius narraverit, quam ipse rex victor in suo ad cives de supplicationibus edicto anno eodem pridie kalend. septembres perscripserit, idque ex Joanne Pistorio, rerum Polonicarum scriptore, recitamus.

*Difficultas in expugnandis hostibus.*

*Recipitur Polocia.*

« Quod superioribus proximis omnium Reipublicæ Ordinum Comitiis decretum « fuit, ut bellum hoc anno contra M. Moscorum ducem administraremus, curæ « nobis pro regio nostro munere nostroque in Rempublicam studio esse scivimus : « et, contractis exercitibus nostris, comparatoque aliquo, partim contributionum « pecuniis, partim, quod contributionum pecuniæ minime satisfacerent, aliis ratio- « nibus belli apparatu, extrema junii die, Vilna ad copias nostras recensendas

*Rex nuntiat de parta victoria, hortaturque cives ad supplicationem.*

1579 « lustrandasque Svirum discessimus; quo quidem in loco multa nos diligensque « deliberatio tenuit, quorsum nos potissimum cum exercitibus nostris in hostem « conferremus, quidque rectissime, et quam maxima cum utilitate Reipublicæ « nobis ante omnia bello aggrediendum esset. Rebus vero omnibus in accuratam « considerationem vocatis, ex judicio et senatorum nostrorum et aliorum milita- « rium virorum, qui nobis aderant, eam tandem in sententiam descendimus, ut « primam armorum nostrorum vim ad Polociam oppugnandam conferri oportere « concluderemus : quod quidem ea arx cervicibus M. ducatus nostri Lituaniæ « atque adeo ipsi civitati nostræ Vilnensi, nulla alia firmiore munitione interjecta, « immineret; ex qua nobis in aliis remotioribus regni locis occupatis, oblata « occasione, summam non modo Lituaniæ diripiendæ, sed Vilnæ etiam adoriendæ, « facultatem hostis habiturus videretur. Faciendum præterea necessario nobis « visum est, ut, cum bellum hoc non modo rerum communis Reipublicæ recupe- « randarum causa, sed hostis etiam quam longissime removendi, graviusque « coercendi gratia susceptum habeamus; expeditionibus nostris, in his potissimum « regionibus, maxima anni parte, aut frigoribus gravissimis aut imbribus assiduis, « militiæ infestis, tum quoque ob vastitatem difficillimis, propinquiorem aliquam « sedem, et quasi officinam, quam ipsa Vilna esset, comparemus; ex qua quidem « officina quam maxime integrum recentemque penitus in solum hostile ducere « militem et belli instrumenta impedimentaque minore cum negotio ad res cum « celeritate felicitateque gerendas transferre possemus. Quanta enim cum difficul- « tate ac detrimento Vilna illud facturi essemus, brevi hoc itinere, quo cum exer- « citu nostro progressi sumus, magna cum molestia nostra cognovimus. Accedit et « illud, quod hac arce, qua firmiorem majoremque hostis nullam habet, expugnata, « de aliis retinendis hostem magis diffidere, et occupandis militem nostrum sperare « doceremus. Tantum vero abfuit, ut nos eo deterreri oportere judicaremus, quod « locus ille ab omni opere bellique apparatu firmissimus esse perhibetur, ut hoc « potius de principio nobis, recentibus militum nostrorum viribus animisque, quam « iis militiæ diuturnitate afflictis, tentandum existimaverimus. Cum igitur nihil « factu potius utiliusque judicatum esset, nos, factis ab invocatione opis divinæ « auspiciis, Sviro primum illustrem Nicolaum Radziwill Palatinum Vilnensem « cum aliquibus equitum peditumque Lituanorum copiis et certo Hungarorum « numero, cum generoso Gasparo Bekiesz Polociam præmisimus, itinerum clau- « dendorum causa; ne quid a Moscorum duce præsidii accederet; quo etsi majo- « ribus in magna etiam viæ difficultate itineribus pervenisset : tamen, cum jam

« ante nostras ad hostes litteras misissemus, biduo ante, quam nostræ illæ copiæ 1579
« ad Polociam accessissent, equitum et peditum aliquid ab hoste in arcem immis-
« sum est : adhibita vero a Palatino Vilnensi, posteaquam propinquo ad arcem
« loco consedisset, ea diligentia est, ut post nullius subsidii hostibus accessio facta
« sit. Nos, cum exercitu nostro et tormentis impedimentisque bellicis, in summa
« viarum iniquitate, quam pluviarum assidua magnitudo et horum agrorum natura
« effecit, minoribus itineribus insecuti fuimus; interea a copiis nostris, quæ præ-
« cesserant, arces tres : Kosiana, Krasne, et Sitano, per excursionem celeriter
« occupatæ, et incendio deletæ sunt. Undecima augusti die proxime Polociam
« cum copiis omnibus nostris movimus, et propinquo ad mœnia loco metati sumus,
« arcem civitatemque tribus locis obsidione cinximus; eademque die locis omnibus
« munitiones fossasque propius hostem agere jussimus. Postridie civitatem non
« mediocriter fossis et aggere et propugnaculis et parietibus densissimis, tum
« quoque præsidio firmam, ea maxime de causa, quod illo loco nos a propinquiore
« ad arcem accessu prohiberet, incendimus, ac totam paucis horis delevimus. Tum
« longius munitionibus nostris ad ipsas arcis portas promotis, omni conatu in
« arcem expugnandam incubuimus.

« Ostenderat vi sua præpotens Deus in manu sua rerum gerendarum potesta-
« tem esse, et assiduas pluvias pluribus diebus ita immiserat, ut operæ militum
« majorem in modum impedirentur, et oppugnandi ratio etiam atque etiam retar-
« daretur. Constitit tamen militi nostro maximus etiam in incommodis singularis
« animorum ad omnia obeunda tolerandaque ardor sic, ut in summa pluviarum
« iniquitate altissimoque luto nihil prætermitterent, quod ad oppugnandum per-
« tinere posset; hostibus conatus omnes nostros acerrimis animis et incredibili
« tormentorum vi ita dies noctesque propugnantibus, tanta pervicacia et flammas
« a nostris injectas extinguentibus, et vim omnem depellentibus, ut se tormento-
« rum telorumque nostrorum injuriis certatim efferrent, et succumbentibus aliis
« alii confertim succederent, ostenderentque Moscos arcium defendendarum vi
« atque ardore cæteris omnibus gentibus antecellere. Respexit tandem nos beni-
« gnitate clementissimus Deus, concessitque, ut, quæ prima nobis paulo serenior
« dies vicesima nona augusti illuxit, ea incendium a milite nostro arci illatum
« sit summa cum contentione atque discrimine, cum se miles noster in fossas de-
« mittere, et Polotam flumen superare, denique arduum clivum, cui impositum
« arduum propugnaculum erat, subire, et manibus materiem ignemque, inter
« infestissima creberrimaque hostium tela, inferre necesse haberet. Quod incen-

1579 « dium cum vehementius exarsisset, et munitionis anterioris, in quo sclopetariorum domicilium erat, aditum aliquem patefecisset; teneri jam militum nostrorum ardor non potuit, quin per ipsam flammam irrumperet, atque hostem feriret; a quo tamen cœpto cum propugnatione hostili, tum maxime flammæ vi rejectus est, parvo cum nostrorum, neque amplius viginti septem, pluribus tamen vulneratis, hostium vero ad ducentorum interitum. Dederat aliquam hostis eadem die deditionis significationem; quam non seriam fuisse animadversum fuit : cum novis se munitionibus, flammæ altitudine nostris conspectum eripiente, circumdare deinceps cognitum esset. Nulla igitur cum intermissione oppugnationis vim omnem adhibendam, nullumque hosti quiescendi aut se firmius muniendi spatium concedendum judicavimus; posteroque die ignem in alias munitionis partes intulit miles, in quo equites etiam erant, qui, misso equo, in pedes descenderant. Quo, cum iterum aliqua muri pars deleta esset, et clivum, in quo propugnaculum antea igne absumptum erat, tenuisset, ac deinde ad latus hostilium fossarum ac munitionum illa parte deleta, tumultuario opere factarum, fossas ac munitiones ducendo, præsidiarios circumire fere cœpisset, atque sic in potestate hostis esset; nos et sanguini christiano parcendum, et operam dandam rati, ut arce quam maxime integra, cum tormentorum aliorumque belli instrumentorum apparatu, potiremur; quæ hostis ipse ad extremum injecto igne delere posset : facta omnibus vitæ gratia, permisimus, ut, qui nobis militare vellent (quoniam, qui velint, magnus sane est numerus) fortunas suas omnes incolumes conservarent, atque stipendia nostra mererent. Quibus redeundi in Moscoviam animus esset, id, nobis permittentibus, atque omnem securitatem præstantibus, facerent. Palatini, Basilius Iwanowicz, Mikolinski, Telakowski, Demetrius Machatowicz, Szczerbaty Obolinski, Matthæus Iwanowicz Rzowki, Iwan Hrehorowicz Susin, Petrus Iwanowicz Wolinski, Lukian Treciakow Rakou filius scribæ; qui partim præfuere, partim fuere in arce, cum se sponte dedere, ac gratiæ nostræ permittere nollent, captos in custodiis habemus, et arcem, præsidio nostro jam immisso, obtinemus. In qua quidem arce, qui eam defendissent, et arma tulissent, ultra sex millia fuisse, compertum est. Nostri cum ingressi essent, passim magnum cadaverum insepultorum numerum repererunt, tum tormentorum, pulveris tormentarii globorumque tantam vim deprehenderunt, quanta in aliqua christiani orbis regione his temporibus instructissima posset reperiri. Quos quidem rei gestæ successus, ut in primis ad Deum præpotentem referimus, ita illi summa animi pietate agimus gratias, ac

« Sincer. et Fidelit. vestras hortamur, ut easdem pro bene gesta republica agant, 1579
« simul etiam comprecentur, ut, quæ gerenda supersunt, quæque in hostem hunc « deinceps suscepimus, itidem clementissime fortunare dignetur. Quod illum pro « sua benignitate et causæ, quæ hæc nobis arma induit, bonitate facturum, confi- « dimus. Nos quidem ad res, pro communi Republica gerendas, omne animi stu- « dium, curam, laborem, operam, sanguinem, atque adeo vitam nostram cupide « semper prompteque afferemus. Datum ex arce nostra Polocensi die ultima men- « sis augusti, anno 1579, regni vero nostri anno quarto. »

Polocensis collegii exordium.

Capto ita oppido, non prius cessavit rex victor, quam ex omni Polocensi provincia reliquisque ditionis suæ partibus hostes ejecisset, ac porro in ipsas Moscoviæ regiones arma per continentes victorias promovisset. Eo statim ipso die, quo hostes exturbavit Polocia, voti memor, ad Petrum Skarga, Collegi rectorem Vil- « nensis, litteras dedit ex castris : « adesset præses et sui secum Socii, quodque « ipse Deo pro victoria dicasset, occuparent. Ne suis illi Lusitanis Hispanisque « inviderent alios in Asia et America mundos, Deo quærentibus consecrandos : « proxime se Indos esse et Japones : in gente videlicet Polocensium Russica, « rerum divinarum rudi oppido. »

Dum Socii ituri se colligunt, Vilnam et rex adest quarto nonas octobres. Accersit ante alios Franciscum Sunnerium et Petrum Skarga ; voti sponsione se exsolvit, assignato Промociæ Societati domicilio, fundis, prædiis, et fano Rutenico, a diva Praxede, ducum Polociensium filia, olim condito ; quod hodieque a Salvatoris nomine (cui Praxedes illud dedicatum voluit) *Spas* rutenica lingua nuncupatur; rebusque aliis munifice attributis. Rem omnem, a rege oblatam, tabulisque legitime confirmatam, nomine præsidis sui Provincialis Sunnerii, in Poloniam antehac evocati, Petrus Skarga, deductis in coloniam sacerdotibus, Stanislao Leniciensi et Joanne Alando, atque adjutore Georgio Hincio, IV kalendas
julias anni 1580 occupat. Principio statim Sociis invidia multorum erat subeunda. 1580

Palatinus Sociis adversatur.

Primus omnium fuit Nicolaus Monvid Dorohostayski, Polociensium Palatinus, propugnator calvinianarum partium acerrimus. Hic, per industrias omnes negotium aggressus hospitibus facessere, non ante incepto destitit, quam vivere desiisset, anno 1597 (1) extinctus. Unus omnium Socios animo excepit gratissimo Franciscus Zuk, arcis in hoc oppido præses, vir nobilis, isque regiæ nuper cohortis ductor strenuus. Hic, domicilio in superiore arcis regione Sociis assignato, hospites laute habuit et a metu securos.

(1) V. l. III, n. 47.

1580 Ex ea statione Petrus Skarga rem cum infenso Palatino agitabat; oblatis etiam regiis illi litteris, quibus monebatur : « præstaret maximam, quam, se « judice, mererentur, benevolentiam hospitibus : traderet illis primo quoque « tempore et fanum in arce Rutenicum, et domum, quam sibi ipsi delegerint. » Plenum id homini implacabili erat invidiæ : ecquid Jesuitæ isti requirerent etiam Polociæ? « Nunquid post Brunsbergenses, Vilnenses, aliasque in Lituania cum « hominibus, dogmata profitentibus non Romana, turbas, in Russia vellent? « quibus quantis se artificiis in animum regis atque in eam ipsam causam « insinuarint, tum per coactos a se cœtus, tum in conventibus civium ejus « provinciæ, atque in ipsis etiam generalibus regni comitiis, queribundus « rogitabat. » Tergiversantem contra edicta regia palatinum nihil morati Patres, ipsi urbem circumspicere, et, quo loco possit commode collocari domicilium, observare. Festo divorum Petri et Pauli apostolorum die, ex arce compita urbis tectaque oculis perlustrans, Petrus Skarga animadvertit aream, atque in ea templum Photiano ritu beatis Petro et Paulo apostolis dedicatum, ædesque proximas; ex quibus incolæ jam tum, quasi admoniti, ac metu nescio quo perculsi, succedentibus uti cederent hospitibus, alio se impigre transferebant. Locum ita repente a suis desertum habitatoribus visum est ipsum divinum numen Sociis assignasse. Quandoquidem igitur Palatinus certissimum regis imperium per contumaciam negligeret, ipsi exequendum per sese Socii censuerunt : usi maxime in negotio opera ejus sui Francisci, Castello Præfecti. Ipse nostros in ædiculas a civibus relictas introduxit hospites, fanumque illud divorum Apostolorum eis aperuit, nequicquam Photianis cum Palatino repugnantibus. Purgato delubro, riteque expiato, primis in eo hostiis Deo VI nonas quintiles, die Beatissimæ Virgini sacro, perlitatum.

Primum Societatis templum ibidem.

Aderat celebritati sacræ præter alios Palatini conjux, materna ex illustrissima Woynarum familia, cultrix religionis catholicæ constantissima; hæc deinde clam suo marito suis ipsa opibus hospitum inopiam sustentabat. Ægre malevolentiam Palatino et Rutenorum episcopo dissimulantibus, complures mox alii ex eadem provincia coorti, cœtus suos adversus Jesuitas cogebant; omnibusque inter se consultationibus novis incolis coquebant perniciem; ne quid interim auderent, prohibebantur tantisper metu principis, cum inter hæc ecce tibi delegatum a rege proquæstorem Lituaniæ, Theodorum Skumiuum; qui nostros inspiceret, quo loco domicilium in oppido compararent : cujus opis egerent : si quicquam cœptis suis officeret. Assignatur per eundem peramplus domicilio

ponendo fundus, ædificia, areæ, horti certis finibus describuntur. Jam suis rex tabulis et agros et villas et latifundia Collegio designaverat; ut ea reddantur integra, litteris inde per provinciam dimissis, cives etiam atque etiam hortatur. Commovit ea principis liberalitas homines invidos, hæreticos maxime : ut in castris tum regiis ad millia passuum decem circiter ab oppido Polocia positis versabantur, succensere principi palamque obloqui, in primis procancellarius Lituaniæ, calvinianarum homo partium studiosior; « protestabantur, indigne « quasi atque injuriose regem agere : per eam bonorum, quæ Photianorum « essent monachorum propria, abalienationem jura infringi patria : tabularum, « quibus res suas posteris cautas majores voluissent, tolli sanctitatem : liberta- « tem religionumque immunitates præcidi. Coortos admonere princeps, viderent « porro, detersa caligine, quam sibi invidentia offunderet ipsa : ecquid non æqui « bonique in eo suo foret consilio : nam et cœnobia et prædia et templa pos- « sederint sane homines nuper ritus Græcanici, vel inscientibus vel conniventibus « rerum præsidibus ; jus tamen certe, quod vocant patronatus, penes reges Polo- « niæ fuisse semper ; atque eadem quidem, quæ ipsi nunc sibi certatim vindi- « carent, suis regiis esse consiliis recuperata et armis, ecquid non eorum « aliquis, decem illis et septem annis, quibus in potestate Moschorum erat « Polocia, sua curiosus repeteret? Facesserent invidi ; adesset procancellarius, « scriptumque suum regium sigillo publico communiret. »

1580 Fundus condendo domicilio assignatur.

Invidiam sedat rex

Eo denique tergiversante, rex, ut gladio succinctus stabat, admota capulo dextera : en, inquit, nisi, quod imperamus, actutum fiat; sigillum nobis præsto. Percussus eo principis dicto procancellarius denique obsequitur. Oblata Petro Skarga donationis regiæ instrumenta. Arcis præfecto Francisco Zuk negotium datum, fundorum pagorumque, quos Collegio attribuisset rex, possessoribus jam nunc institutis vindicandorum continuo. Neque ille quidem officio suo deesse potuit, vir scilicet religionis catholicæ studiosissimus; sed, quæ reddebantur, minora erant illa omnino hominum invidia : inculti diu per tumultus bellicos virgultisque obsiti passim agri : in pagis domus colonis vacuæ : magna, quoquo te verteres, solitudo. Quatuor omnino annos ex omni rustica re non poterat exprimi, quo vel tres Socii utcunque alerentur; domi res vestiaria nulla, nulla cibaria. Interim hinc illinc Photianorum civium malitia graves Sociis exhibebantur molestiæ. In aperto litteris ludo quinque primo non amplius instituebantur juvenes; plures deinde, atque inter alios ipsius palatini, et dicti Rutenorum episcopi filii in eum se numerum aggregarunt. Magisterii labores primus morte optima et ineuntem annum

Tenuitas rerum vindicatarum.

Scholæ apertæ

1580 Magistri primi obitus.

1581 P. Stanislaus Lanciciensis, vir commemorabili pietate, in primis obedientiæ laude insignis, mathematicæ probe sciens, initiavit IV nonas januarias.

44. Stephanus rex Moscovitas persequitur. P. Laterna in castris navat operam salutarem.

Compositis et civium et Collegii nostri rebus Polociæ, per tempus hybernum ad persequendos porro armis hostes se comparabat rex; provecturus eum longius gladium, quem sibi romanus pontifex Gregorius XIII, rite consecratum, bellaturo adversus hostes Ecclesiæ, per Belsensem palatinum Paulum Uchanskium, Romam a Polonis legatum (anno 1580), obtulerat. Appetente belli constituti tempore, secutus est regem P. Martinus Laterna. Impigre navavit ille operam castrensibus, multosque Deo conciliavit et Ecclesiæ.

45. P. Mercuriani et P. Sunnerii obitus.

Polonam interea Lituanamque provinciam lustrante Laurentio Magio, delegato ex Austria, Romæ Eduardus Mercurianus Societatis Præses generalis, in Polonia provincialis Franciscus Sunnerius, magno Societatis luctu, ex hominum vita demigrant. Hoc nuntio, quo extraordinariæ potestates in Societate cessant, incepta quoque Laurentii sunt interrupta. Ingens Polonis Sunnerius reliquit sui desiderium. Natus Barcinonæ, Perusiæ civili pontificioque juri dedit operam; inde acceptus in Societatem, Romæ multis pietatem suam officiis tum per institutas catechismi scholas, tum per conciones ad vinctos in custodiis, tum alibi ad paganos per Italiam approbavit. Philosophiam magister explicavit, magna cum laude doctrinæ, Viennæ in Austria. Primus Socios in Poloniam deduxit; eorumque provinciam inde usque ab ortu tanta charitate et sapientia administravit, tantaque cum moderatione inter externos versatus, ut et sibi amorem singularem conciliarit, et Societati existimationem præclaram gratiamque. Aliquot ejus epistolas habes; in quibus etiam, quæ morum fuerit suorum suavitas, aliqua est imago non obscura (1).

Congregationes primæ Provinciales.

Hoc præside, quatuor provinciarum, Austriæ, Bohemiæ, Poloniæ et Lituaniæ, Congregationes habitæ sunt quatuor: prima quidem Viennæ in Austria, per quam electus procurator Romam Hurtardus Perez, Olomucensis Collegii rector, 1568. Secunda ibidem celebrata 1571: electus in ea procurator Venceslaus Sturmius pro rectore Viennensi Emerico Forslero. Itidem anno 1573 Romam ad eligendum Præpositum Societatis missi, Jacobus Avellandus et Venceslaus Sturmius. Quarta denique ab ipsis octo Patribus Lituanis et Polonis Boszeviæ in prædio Pultoviensis Collegii habita 1576; in ea munere secretarii functus Stanislaus Varszevickius, Vilnensis Collegii rector; electus procurator Philippus Vidmanstadius Sociorum rector Brunsbergensium. Habitæ sunt præterea ibidem Congregationes duæ, ab eodem indictæ Sunnerio: altera 1578; per quam procurator creatus

(1) Has vide in appendice hujus libri.

Jacobus Vangrovickius rector Vilnensis Collegii; altera 1580 ab undecim Pa- 1580
tribus congregatis, officium secretarii sustinente Petro Skarga; electi electores Præsidis generalis Romani Adamus Brocus et Guilhelmus Good. Huic præficit Laurentius Magius visitator, pro Francisco Sunnerio, paulo ante vitæ jam muneribus defuncto.

LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER TERTIUS

(1580-1590.)

1581 EVERARDO Mercuriano, Præposito Societatis generali, postridie ejus diei, quo divi parentis nostri Ignatii ex hac vita ad beatam immortalitatem transitus celebratur, anno 1580 ex militante Societate translato, suffectus quarta generali Congregatione Claudius Aquaviva. Negotium ejus conventus X kalendas majas feliciter confectum. Laurentio Magio Joannes Carminata, qui Lituanica viseret Collegia, successit; commemorabili et ipse pietate vir, industrius, ac strenuus. Concionatoris munere annos plures, etiam cum moderaretur provinciam, functus : ad gubernandum plane natus. Hic, in officio aliquandiu apud nostrates versatus, Joannem Paulum Campanum, Possevini comitem, ad Joannem Basilidem M. Moscoviæ ducem ab Romano Pontifice Legati, e Brunensi Collegio cui Campanus rector præerat, assumptum, Romam cum litteris a Stephano I Polonorum rege et a Duce Moscorum Basilide ad Pontificem datis, properantem, in itinere sustinuit : jam scilicet romano imperio Lituanicæ Polonicæque provinciæ jussum Præsidem. Ancipiti distractus consilio, dubitabat Campanus, in Italiam nuntius rerum Moscoviticarum pergeret, an jussi romani sui Præsidis in regionibus nostris tantisper, dum se negotiis, hinc illinc contractis, explicasset, in officio cognitoris rerum provincialium resisteret. Eundum potius Campano Romam censebat Stephanus rex, idque fore sine incommodo; visitatore scilicet Carminata pro-

1. P Carminata visit Provinciam successor Magii.

Campanus succe-

vinciam, dum abesset ipse, administraturo; ipsum, quid interesset negotii Polonos inter et Moscos, esse conscium, ut qui rerum omnium fuisset et spectator et particeps, eundem nominatum esse in suis et Moscoviticis litteris, et coram mandata excepisse. Erat enimvero, cur anceps hæsitaret Campanus : ac potior quidem religioso viro visa est obedientiæ, quam romani Præsidis exigebat imperium, ratio; quare confestim Vilnam se ad Carminatam confert, ejus arbitrio, utrum judicasset, acturus. Disputata re, visitator commodius fore censuit, postulante videlicet negotio præsente, si Campanus, litteris principum suisque (quibus, quæ coram exponenda erant, perscripsisset) per tabellarios transmissis, in Polonia se contineret, cognoscendæ ordinandæque provinciæ causa : quo instructior, visitatore mox abeunte, totam molem subiret. Ad eam vocem, inquit Sacchinus tamquam a Deo prolatam, Pater, tametsi vel ad deprecandum onus vel defugiendum vel certe (si hoc vocabulo juvat humilitatis ministeria profanare) ad delatum jam Præsidis provincialis honorem, cum videretur gerendum, auctoritate principum, nomineque legationis gravissimæ posset abuti; simplicis tamen obedientiæ humilitatisque fructum præoptans : « Absit, inquit (sic enim scripsit ad Generalem), ut polluam « institutum meum nihil petendi, nihil detrectandi; facessat a me longissime « principum auctoritas, quæ majorum meorum derogat voluntati. » Itaque onus munusque provinciale suscepit III kalendas novembres. Eo provinciæ præposito, introducta consuetudo catechismi, in foris urbium et compitis populo exponendi; quam nostri hodieque retinent. Quid porro negotii Campano Romæ transigendi datum fuerit, jam narro.

1581 — dit Carminatæ. — Catechismi consuetudo.

Susceptum nuper ab expugnatione Polociæ adversus Moscoviæ M. ducem bellum, præliis, alia ex aliis ciens, Stephanus rex, victoriisque confirmabat. Jam expugnatis Ostrovia, Vielikolukis, pluribusque munitis oppidis; obsessis Pleskoviæ amplissimæ urbis mœnibus : aliis inde copiis ad expugnanda alia contractis, in perniciem universæ Moscoviæ incubuit. Afflictis suis rebus, quod remedii erat reliquum, pacem a rege petit Basilides. Hujus certius impetrandæ causa et stabiliendæ Joannem Severiginum legatum in urbem mittit ad Gregorium Pontificem : « orat per eam, qua Pontifex rem christianam ex munere curat suo, pietatem, « infestum in urbes suas omnes, ab omni regione imminentem, Polonorum regem « auctoritatis interventu suæ (quam Christianos omnes revereri par sit) ut avertat : abstinerent Poloni ab insignibus nomine christiano gentibus manus : arma « secum in tyrannum potius Turcarum, hostem illum reipublicæ christianæ com« munem, strenui pariter piique converterent. »

2. — Dux M. Moscoviæ Legatum mittit ad Gregorium P.M.

1581 Spem optimam revocandæ per eam occasionem Moscoviæ ad Ecclesiæ communionem ea legatio injecit Gregorio. Per litteras primo, regem conciliaturus Basilidi, putavit tentandum Pontifex ; re ita non procedente, Antonium Possevinum, e Societate sacerdotem, virum in paucis navum et sapientem, legatum destinat ad Polonos. Septimo ille kalendas apriles exiit, Severigino Basilidis legato, qui adhuc Romæ hæserat, comitante. Præcipuus honor utrique, quacunque iter facerent, a civitatibus Italicis est habitus, admonitu maxime Pontificis : quo magis legati, et per eum principis sui in suscepta benevolentia ac fide confirmarentur animi, aditusque ea opportunitate præconibus religionis catholicæ, cum in Moscoviam ipsam, tum per eam in regiones Asiaticas, in quibus videlicet nulla, aut

3. Possevinus Pontificis ad Polonos legatus visit Reginam.

certe modica lux veritatis evangelicæ affulserat, aditus facilior patefieret. Severigino Lubecam Praga ad mare Balticum declinante, quo vela ocius daret in patriam; Possevinus, recta contendens, acceptis a Rudolpho Cæsare ad M. Moscoviæ ducem litteris, Varsaviam, inde Annam Poloniæ reginam ex mandato sui Pontificis de rebus Sueticis allocutus, lectis ex Austria Sociis, Joanne Campano, de quo diximus, et Stephano Drenoccio, sacerdotibus, ac duobus laicis, Andrea Modestino et Michaele Morieno, Vilnam ad XVIII kalend. julias incolumis pervenit.

Difficultas legationis in causis Regis.

Hic Socii de rebus domesticis legatum Romanum docent « : cogi exercitum, « impleri legiones, omnia sui regis consilia spectare ad arma adversus Basilidem ; « neque ipso luctu ex obitu carissimi sibi capitis fratris sui Christophori. Transyl- « vaniæ Palatini, nuper demortui, rem sibi esse impeditam. Copias jam alias in « Albam Russiam contractas, alias propediem profecturas ; vereri se propterea, ea « Possevini tam difficilis legatio fructum aliquem ut ferat ; idque rex ipse, facta « postridie legato audientia, confirmavit : nequicquam Basilidem, quod ipse com- « meruerit, per alios a se deprecari ; id ipsum astutiæ suæ, jam olim vicinis « cognitæ, et fraudis esse plenum : istis scilicet tricis cunctantem dies, quibus « jam hodie de summa rerum ferro decretum esset, extrahere ; illud suum reli- « gionis studium apud Pontificem malis suis artibus esse obtentui ; omnia interim « alia meditari. Inspicerent porro deprecatores hominem propius : æstimarent « Basilidem ex suo ipsius ingenio et moribus ; ac tum demum ad benevolentiam « erga hominem consentirent. Se quidem omnia, quamlibet difficilia, pro ea « quam sanctissimo Christi in terris Vicario deberet observantia, seu persequi « jusserit seu omittere, præstaturum ; tamen utrique, cum imperanti, tum impe- « rata exequenti, cavendum esse diligenter, ne hinc labes aliqua religionis re- « gnive, ecclesiasticæ potestati sic, uti est Polonia, addicti, consequatur : quam certe

« labem daret, data hodie venia genti, et regno inimicæ suo et Ecclesiæ. Nam cur 1581
« non eadem Dux ante Pontifici, quam vim Polonorum persensisset? Nullum aut
« non diuturnum utique illud propositæ religionis studium esse potest, quod
« metus, non ipsa pietatis ratio, expresserit. »

Neque rem cuiquam rex quidem, justitiæ studiosissimus semper, causatus inique videri poterat; Possevinus tamen, quod sibi commendatum erat, pluribus tentandum ratus, quo certiora de consiliis Basilidis ex proceribus regni, in primis ex Joanne Zamoyskio regni cancellario, cognosceret, Disnam, ad oppidum ea tempestate munitum, inter Dunam Disnamque flumina situm, ex reliquiis dirutæ nuper a Moscis Polociæ conditum, ubi tum Poloni castra metabantur, per multa incommoda cum Sociis secutus est Regem. Hic, dum a Duce Moscorum opperiuntur legato, sua interim Socii in exercitu munera exequuntur. Neque Possevinus inter eos cessabat: ipse quoque latine concionatus, rege præsente, castrenses ad ea hortabatur, quæ in eo procinctu et occasio et pietas heroum postularent. Interea ecce tibi a Moscovia legati, cum magno illi litterarum volumine; cujus chartas quinquaginta non minus fuisse ajunt; in his multa Basilides Polonis, sed verba tantum, dabat: nam conditiones pacis deteriores etiam, quam obtulisset ante, easque victori omnino rejiciendas, proponebat. In primis erat de urbe Livoniæ Narvia ac maritimis ejus provinciæ oppidis, quæ occupasset, retinendis. Sperabat, credo, dux, cognito ex suo Severigino internuntii Romani adventu, per eum, quæ postularet, se ab rege impetraturum. Hic jam Basilides Polonis ludorum affatim fecisse visus; rejicitur itaque cum suis istis conditionibus legatus: abeuntibus renuntiari jubet nomine suo rex, jam se ne universa quidem Livonia contentum fore.

Possevinus proficiscentem regem sequitur.

Legatio Moscovitica rejicitur.

Constitutam nuper subinde revisens nostrorum Polociæ coloniam, accito Vilna Petro Skarga, dici nequit, quanta diligentia rem ibi Collegii omnem curaverit: crederes, tum principem nihil præterea negotii habuisse. Hic, ex universa provincia civibus ad XIX kalend. sextiles convocatis, jus dixit: ut si quid rei suæ in fundis Collegio attributis quisquam esse contenderet, se coram causam diceret: unicuique, quod suum quisque probasset legitime, addicta lite, restitutum iri; reliqua, quæ in nullo, nisi in regio victoris forent mancipio, jam esse Collegio attributa. Domicilio Sociis fundus e regione arcis ad Dunam primo assignatus: deinde, quia senatus id non probaret: quod existimabant fore, ut ædificia e muro constructa, qualia habere vellent hospites Socii, arci propugnandæ officerent, dareturque hostibus præsidium, unde ipsi adversa urbis mœnia tecti secu-

Polociam Rex visit.

Collegii rescurat.

1581

Locus domicilio assignatur.

rique oppugnarent : atque opportune quidem, Duna videlicet arcem interfluente et eam insulam ; mutato propterea consilio, castrum inter et forum, regionem oppidi novo domicilio princeps determinat ; ædilemque, qui rem Sociorum quam diligentissime procuret, Franciscum Zuk, arcis suæ custodem, jubet.

Possevinus adit Moscoviam. Difficultas itineris.

Possevinus inde, perlaturus ea in Moscoviam, quæ sibi Pontifex commiserat, propositum cum Sociis ingressus est iter; acceptis a rege ad præfectos Orsæ et Dombrovnæ castellorum commendatitiis litteris, et prodromo per eas regiones Basilio, Cosacorum nostratium, voluntariorum militum, primipilo. Haud sine operæ pretio illud fuit suum homini officium ; a Photianis nempe erroribus, in quibus adhuc ignarus versabatur, ad religionem catholicam per Possevinum, dum iter facerent, revocato. Transmisso ab Orsa Borysthene, Dombrovnam, inde ad ipsos, quibus regiones Moscoviticæ a Lituanicis sejunguntur, limites ventum. Relictis ibi, qui ipsos præsidii causa eo deduxerant, equitibus (quod verebantur, ne a Moschis, continenti populatione agros Polonorum vastantibus, cæderentur), viam porro inierunt deterrimam et lutulentam oppido, per sylvas inextricabiles, ramis perpetuo quodam nexu inter se ita colligatis, ut via passim

Difficultas itineris Moscovitici.

aperienda esset securibus, currusque sæpe manibus per uliginem trahendus, sæpe humeris etiam transferendus. In ea itineris difficultate luctantibus, vesperascente jam cœlo, eoque turbido, loco palustri atque insuper obsito, in ipsis ferarum cubilibus quies defatigatis corporibus erat quærenda, quodque formidolosius, inter ipsos latrones; concursantibus ultro citroque et vociferantibus Cosacis, prædonibus immanissimis. Pernoctatum itaque inter ea loci non tranquillissime. Primo statim diluculo, insomnibus omnino complutisque occurrit cum equitibus sexaginta et patentibus fidei publicæ litteris Theodorus Pachionleimus legionis præfectus, a Moscovia missus obviam. Intellectum est demum, certis Orsæ aut Dombrovnæ præstolandum fuisse nuntiis de adventu ejus præsidii ; id quod ad confinia dux ipse præsto futurum promiserat. Hoc septis comitatu, octavo idus sextiles, cum a mœnibus Smolensci longius abessent adhuc, per subornatos exploratores moniti, effundunt se obviam ex urbe equites honorarii quadrageni, seriscis omnes

Magnifice Legatus excipitur.

fulgentes et auro, duce Joanne Abramowicz, filio præsidis Smolenscensium Palatini. Is, ut ad equum conscendendum invitavit Romanum Legatum, continuo parentem excusat suum, quod non et ipse obviam prodierit, neque enim sibi vel pedem ex arce efferre, esse integrum. Tum de Gregorii Pontificis valetudine, deque itinere, ut habuisset commodum, sciscitatus, in urbem atque in arcem etiam (quo aditus nulli, ne Romani quidem Imperatoris, quicum sanctior est

eratque Moscho fœderum religio, legatis datur) ab mille ducenis peditibus, ante decumanam urbis portam adventui opperientibus, serieque perpetua dispositis, concursu populi maximo, bellicis hinc illinc machinis tonantibus, acclamationibus populi faustis, undique omnibus hospitem celebrantibus, Smolenscum introducit. Est ea urbs sita in valle ad fluvium Borysthenem, sylvis cincta et collibus; opulenta, et pro ea tempestate satis munita : caput provinciæ amplissimæ, quæ civitatis nomine appellatur Smolenscia. Tria oppida præcipua tractus ille complectitur ; Viessmam, Dorohubum, et, cujus ipsius diœcesis amplitudo Ludovico Gotofredo cosmographo longa est leucas trecentas, lata fere totidem, Mosaiscum. Urbem et totam Smolensciam Basilius IV, Moscorum Dux, fraudibus proditoris Michaelis Glinskii mareschalli Lituaniæ adjutus, Alexandro Poloniæ regi eripuit. Smolensco Possevinus Starzyciam, ubi tum Joannes M. Dux versabatur, passuum quadrigentorum millium itinere pervenit. Castellum hoc ad Volgam jacet, fluvium scriptis geographorum et Persarum mercibus inclytum, Ptolomæo Rha, Edel Tartaris dictum. Eo Possevinus, trecentorum equitum ornatissimo comitatu, misso a Magno Duce, stipatus, XV kalendas septembres cum quatuor Sociis se contulit. Hic nos, quandoquidem narrando, Possevinum ex Lituania in Russiam usque Moscoviticam secuti, longius paulo a rebus nostris provecti sumus, antequam ad institutum redierimus, de hospitalitate ejus vicinæ nobis gentis moribusque, jam non iis omnino, quibus hodie prædita suspicitur, paucula ex annuis litteris persequemur.

1581

Smolensci urbis et Provinciæ descriptio.

Maturius a duce ex aula missi, Michael Unokorus, Victoroius Strachorus, et Simon Pafnieides, atque illi trecentorum ductores equitum, ad luxum usque lauti, legatum, ubi se obtulit, pro se quisque honorem verborum innumerabilesque principis sui titulos more gentis suæ præfati, consalutant, ac primus quidem : « Antoni, inquit, magnus Dei gratia hospodar Car, atque M. Dux, « Joannes Basilides, totius Russiæ, Volodimiriæ, Moscoviæ, Novogardiæ, Ca- « saniæ, Astrachaniæ, dominus Plescoviæ, atque M. dux Smolensciæ, Tveriæ, « Tugoriæ, Permiæ, Viatcæ etc. dominus et M. dux inferioris Novogardiæ, « Czernichoviæ, Rostoviæ, Resaniæ, Jaroslaviæ, Livoniæ, Udoriæ, Obdoriæ, et « totius regionis Siberiæ et Severiæ dominator, quærit, uti valeat sanctissimus « pater Gregorius XIII Papa Romanus. Bene, respondet legatus, quæ Deo sit « gratia. Tum alter eadem titulorum principis sui jugera remensus, rogat : ut « equitaverit hospes; ita, reponit, Magnum Ducem Deus servet incolumem. » Antiquioribus nimirum Rossis in omni fere salutatione eisdem interrogationibus

Starzyciæ Legatus accipitur.

1581 et responsionibus uti erat solemne. Quæ gens hodie quam sit exculta, jam nemo ignorat. Tertius post et deinde quartus præfati eadem, hic sese ad officium omne legato, ille equum etiam, luxu phaleratum barbarico, quo in urbem vehatur magnifice, nomine Ducis Magni offerunt. Majore deinde quam Smolensci, Antonius celebritate acceptus et pompa, cum suis quatuor e Societate comitibus, Starzyciæ, biduo post ad conspectum M. Ducis admittitur. Cupiebat quidem, ut quam minima pompa deduceretur ad principem; sed consuetudini parendum fuit : ne, si officium detrectasset, animus offenderetur principis; qui eum honorem in legato ibat Pontifici maximo exhibitum. Itaque pannosi quinque e Societate Jesu homines, inter purpuratorum agmina, tota urbe per instructa ordinibus civium militumque omnia ad diversorium deducuntur peramplum. Ornatum eo die apparatumque convivium : cui, præter eos, a quibus legatus exceptus, proceres ac sexaginta circiter minorum gentium viros, prænobilis adolescens interfuit, missus a principe, tanquam suus ad officium vicarius. Assedit is legato, ad omne, quod apponeretur, ferculum assurgebat primus, et, aperto capite, titulis principis sui recitatis omnibus, illud, quasi solemne hospitalitatis carmen, convivæ inculcabat : magnus dux hac tibi dape gratificari cupit. Ad ultimos denique missus, pro colutheis illatos, ad panem conversus et salem, *Kleb da Sol*, patria lingua hilare pronuntiat : quo apud eam gentem significare convivatores volebant, panem et salem suprema esse convivii sui edulia. Ista tum ipsis erat solemnis sub finem phiditiorum suorum formula; eamque, ajebant, superiores suos a Sergio monacho accepisse : quem ante 190 annos mortuum pro Divo præcipua colebant pietate. Nempe ille, dum apud se magnus dux Russorum Demetrius accumberet, iis verbis dæmonem e cella fugasse dicitur. Putabant itaque veteres illi eisdem malum omne averruncari posse. Decimo tertio kal. sep. secundum rem divinam, privatim in ædibus peractam, proceres, multo splendidoque stipati comitatu, revisunt legatum, monentque, vacare suum principem, expeditum ad faciendam hospiti audientiam; sive, ut phrasi eorum gentili utamur, potestatem legato fieri, veniendi ad serenissimorum suorum Ducis oculorum conspectum. Omitto civitatis eo die celebritatem, ornatumque visendum omnem. Ipse sua in aula Dux magnifice, ac sane pro sua et pontificia Gregorii et regia Stephani dignitate spectabilem se obtulit, ac serenorum illo conspectu oculorum dignatus est oratorem in senatu frequentissimo.

Convivium et mores prisci gentis Rossiacæ.

Hic ad conspectum legati assurgit senatorum primus, solemnique in accipiendis legatis ritu, contentiore paulo voce : maxime princeps, inquit, Antonius Posse-

vinus, comitesque sui fronte humum tuæ majestati feriunt. Ejusmodi verbo summam illi reverentiam significant. Tum imperator, legatum appellans comiter : Antoni, inquit, ut valet Gregorius Papa XIII? Ita Deus, respondet nuntius, majestatem tuam perdiu velit esse incolumem. Inde rem suam orsus, quo magnificentius et ipse suis principem suum ornet titulis : Sanctissimus, inquit, Dominus noster Papa Gregorius XIII, universalis Ecclesiæ Pastor, Christi in terris Vicarius, Divi Petri successor, multarum regionum terrarumque dominus, servus servorum Dei, serenitatem tuam salutat amantissime, ominibusque prosequitur quam optimis. Ad nomen Pontificis dux cum filio suo Joanne, qui regio item ornatu conspicuus in solio inferiore assidebat ad lævam, universoque circum senatu, assurgit continuo, tamdiuque rectus astat, dum gratias egerit. Tum residens : tu vero, inquit, Antoni, ut iter huc, commodum an impeditum habueris? Commodum, reponit ille, quæ Deo gratia sit, quodque ipsum inter obsequia majestati tuæ grata, velim, censeatur. Ab osculo dein manus et ducis et filii principis, traditis ei, qui primus duci a secretis esset, litteris, Romana Pontificis munera exponit ; sacra illa omnia, pretiique enimvero non parvi : grato proin animo accepta. Inde inter senatores de negotio legationis « consilium, cujus summa fuit, ut, quoniam dux Pontifici Maximo per suum « nuper legatum pollicitus esset, se, si a rege Poloniæ otium fuerit, bellum « Turcis illaturum, fidem hodie præstaret; ad persequendum armis communem « christiani nominis hostem secum et cum cæteris religionis ejusdem principi- « bus conspiraret : pontificios ad Persas et Tartaros legatos commeatusque « transmitteret : catholicis negotiatoribus in Moscovia commercia essent libera, « liberaque catholicæ religionis professio ; quodque maxime desideraret Ponti- « fex, dux ipse ut cum Ecclesia Romana rediret in gratiam.

1581

Consilium pacis, postulata Pontificis.

Assensionem animi ad conditiones primas adjunxit facile cum suo princeps senatu ; de negotio religionis proponi amplius sibi non est passus ; itaque res universi consilii ad Possevini reditum a rege Stephano, ad quem hinc mittebatur, dilata. Senatus deinde cum legato regio exceptus convivio. Sumptuosius tum extructæ mensæ epulis vasisque aureis, quam unquam ante Moscovitici proceres meminissent. Convivæ lecti discubuerunt ad centum ; primi inter eos erant adolescentes duo, a regibus Poloniæ et Mscislaviensibus ducibus oriundi ; intimi deinceps consiliari septem, quos excipiebat turba aulicorum promiscua. In his nulla apud eos dignitatis habetur ratio ; sed eum quisque locum obtinet, qui sibi loco forte obtigerit. Dux ipse magnus cum filio ad separatum stibadium e superiore

Convivium

1581 dispectans omnia diligenter, regem se præstabat convivii. Ille, ne quid desideretur, observare : præfectos triclinio structoresque monere ; et modo nostris, modo remotissimis etiam, de sua cibilla missitare : cessantes cibo potuque invitare, in primis legatum cum Sociis proxime accumbentem. Ea præter alias est civilis apud eos convivantium lex quædam, ut, cum de sua princeps mensa cui edulium offert, assurgatur omnino ab omnibus. Qui dapem affert ab eo, convivam sic invitat : « magnus Dominus suam tibi opsonio hoc benevolentiam approbat. » Cui dux propinarit, is, quocunque sedeat loco, in medium, oportet, triclinium prodeat, et, salutato principe, poculum uno spiritu stans exhauriat ; exhaustum alii, cui libuerit, convivæ tradat. Eam civilitatis legem Socii modeste a se deprecati sunt, ad aliam videlicet ethicam instituti. Et sane præter insolentiam ritus hospitalitas ea tum admirationem movebat Italis, tum afferebat molestiam : duabus fere horis, quoad productum convivium, sexagies plus ad poculum assurgi oportuit. Inter hæc Basilides, facto silentio, de majorum suorum cum Romano Pontifice fœdere et amicitia orationem ingressus gravissimam, de religione professus est, quod æquitas postularet. Deinde, mensæ utroque innixus cubito, Possevinum benigne affatur : « Antoni, « cura te cibo, potuque vires confirma : neque enim parum itineris est Roma ad « nostram huc usque urbem, quod confeceris ; missus scilicet ab eo principe, quem « nos quoque pro sua Summi Pastoris, a Deo constituti, maximique omnium « Patris, Gregorium scilicet XIII, Romanum Pontificem, observamus et colimus ; « ac propterea te, quemadmodum vides, tractamus honorifice. » Quæ ducis oratio, quanquam illa non ex animo profecta (id quod brevi e factis suis extitit eminuitque) ad communiendam tamen legati auctoritatem et conciliandam nostris procerum benevolentiam multum valuit ; officiosius inde jam Moschis et legatum et Socios amantiusque observantibus. Dum legato per tricas, tergiversante duce ad conditionem de religione, lente procedit negotium, Polonus interim, illatis in Russiam Moscoviticam armis, Plescovienses vehementer urget obsessos. Ad ejus rei nuntium Basilides, videns properato jam sibi opus esse, ita se contorquet : Possevino negotium dat, regem Polonorum orator pacis aut induciarum utique ut adeat, celeritatemque in officio suscipiat, multaque regi nomine magni ducis suo promittat : Joannem Paulum Campanum cum litteris ad Romanum imperatorem et Venetos, commercii jungendi causa, allegat ; inde perrecturum Romam ad Gregorium Pontificem (Joannes tamen, uti diximus, administratione novæ in Polonia provinciæ coactus est subsistere) ; Stephanus Drenoccius, ut qui natione Slavus moscovitice non nihil intelligeret, cum Socio Morieno ad reditum Possevini apud se in

Poloni urunt Moscoviam bello.

Moscovia resideat. Quod tametsi ducem callide appareret facere, ut videlicet 1581
eos pro obsidibus haberet : concessere tamen Socii, in ejus potestate uti tantisper manerent, quod ipsis cecidit non incommode; nam et statum religionis in gente explorarunt diligentius, et Moschi, hospitum familiaritate mansuefacti, ut se in consuetudinem darent hominibus catholicis, eis præsertim, qui ad se a Pontifice Romano deinceps mitterentur, effectum est. Dum ea, quæ viatoribus sint usui, comparantur, ecce Basilidi a rege Stephano tabellarius cum litteris, quibus ad eas ducis longissimas, Polociæ sibi oblatas, responsatur. Conscriptæ erant rutenice, polonice, et latine, eæque irarum et contumeliæ in Basilidem plenæ; recitatæ postridie in senatu. Instant in consilio omnes, legatus rem sibi a duce comendatam ut maturet. De Pontificis Maximi postulatis mentio facta est atque ad cætera quidem facile responsum redditum : unum illud de religione caput etiam nunc supprimitur, ad reditumque Possevini reservatur. Datæ ad Gregorium Pontificem litteræ, ad imperatorem item Romanum et Venetos; quibus dux fide publica mercatoribus eorum et sacerdotibus catholicis liberam in suis provinciis habitandi potestatem facit, locumque curandis sacris, et humandis mortuis concedit. Legatis ad Persas et Tartaros, Moschis in Asia finitimos, duces itineris et commeatum per universam Moscoviam regnaque Cassani et Astrachaniæ (quæ duo regna Moschus annis superioribus cepit de Tartaris) liberaliter pollicetur. Munera denique offert, ad Romanum Pontificem perferenda. Decimo octavo kalendas decembres a complexu carissimorum comitum suorum, quos dux pro obsidibus retinuit, distractus, centum circiter purpuratis equitibus comitatus, iter Starzycia Pleskoviam versus, urbem copiis Polonicis circumsessam, Possevinus cum Joanne Campano et Andrea Modestino instituit. Ilmenio lacu, quinquaginta passuum millia quaquaversus diffuso, multisque difficultatibus itineris superatis, aucti ex oppido Moscoviæ Novogardiæ comitatu novo, duobus Tartarorum millibus, ad castra apud Plescoviam regia III nonas octobris perveniunt. Expectatissimus fuit gratissimusque universo exercitui adventus Possevini; pacis ille maxime nuntius : jam enim castrensium pertæsus operum et tempestatis variæ ac difficultatum, quas appetens afferebat hiems, focos patrios et dulce otium miles respectabat; cum regi certum esset, nisi expugnata Plescovia, castra non movere a mœnibus. Eodem die datus a rege senatus legato, recitatæ sunt et acceptæ utrinque conditiones pacis, partiumque auctoritate per internuntios confirmatæ. In eas ita convenit pax : Moscus decederet Polono ex omni, quam occupasset, Livonia; Polonus Mosco oppida, quæ duobus ante cepisset annis, restitueret. Post multas hinc illinc tricas pactio facta, et

*Dux Moscoviæ cum Polonis paciscitur.*

*Conditiones pacis.*

1581 utrinque per legatos jurejurando confirmata; præstolante interea nuntiis rege Stephano Vilnæ, et ad motum Russorum omnem erecto. Per id tempus P. Martinus Laterna in regiis apud Plescoviam castris laborem curandis militum animis naviter impendebat. Ejus studio sustinebatur inter milites pietas, tollebantur discordiæ, expugnabatur hæresis, ægrotis et moribundis opera sua præsto erat. In illo sole ac pulvere idem ad Regem, quamdiu is aderat, idem ad proceres et agmen promiscuum, omni feriato die, gemina concione, vernacula et latina, divinus præco verba incense utiliterque faciebat. Post nova denique consilia aliaque hinc certamina, per legatos utriusque gentis, in pagum Chiverovahorka, viginti amplius millium intervallo ab oppido Plescovia distantem, consilio Possevini collectos (quandoquidem jam per fœdera hinc Basilides Polonis universa cederet Livonia, illinc Stephanus castella, proximo capta biennio, Mos-

1582 chis redderet) pax in annos decem XVIII kalend. februarias 1582 utrinque conficitur (1). Ejus rei nuntii dimissi continuo, qui monerent finitimos, ut ab excursionibus, populatione, injuriisque sibi vicissim inferendis, conquiescerent. Confecto ita negotio, Possevinus quidem in Moscoviam ad relictos pro se obsides, Drenoccium et Morienum, Stephanus vero rex, visurus, qui tandem status esset religionis in provincia nunc vindicata, cujus maxime causa totum illud pius sustinuisset negotium, Rigam in urbem Livoniæ principem, ex ea in omnem illam inspecturus

4. regionem, se conferunt. Rigam conveniunt pariter a rege convocati, qui sua consilia de religione, in suas ibi restituenda sedes, secum conferrent: Georgius Radivillus Vilnensium, et Melchior Giedroyc Samogitarum, episcopi; de Societate Petrus Skarka et Martinus Laterna. Erat tum Rigæ totaquæ Livonia, jam inde a Magisterio Guilhelmi Furstembergii Crucigerorum ducis, qui primus 1557 suo ipse exemplo impia Lutheri dogmata civibus suis male commendarat, religio statu deterrimo. Eversa Rigensis archiepiscopi antiqua sedes (2): dissipatum Canonicorum collegium: templa, pars ritibus peregrinis, pars nundinis addicta; in civitate illa portuosa, hinc ad ostia Dunæ fluvii navigabilis, illinc a mari Baltico decem millibus passuum sita: ut commerciis nundinisque, sic peregrinis religionibus moribusque a Suecia, Dania, Hollandia, Anglia, et remotioribus provinciis opportuna. Unum ea in urbe integrum a communi labe repertum Collegium; in quo tres ipsæ ex Ordine Cisterciensium sacro devotæ Christo virgines, eæque ætate jam devexa, religionis institutique sui tenaces, quasi totidem ex vindemia racemi, restitere. Hic, coacto civitatis senatu, rex monet diserte cives, ut, quoniam per

*P. Martini Laterna labores castrenses*

*Stephanus Rex visit Livoniam.*

*Rigæ situs.*

*Reliquiæ collegii sacri Virginei.*

(1) Pax conficitur inter Polonos et Moschos. — (2) V. lib. I, n. 1.

eam temporum iniquitatem, a pastoribus suis et præsidibus ipsi relicti sibi, dolisque peregrinorum seducti hominum, a sincera majorum suorum descivissent religione; quam primi heroes sui Crucigeri in Livoniam intulerant, propagarunt, armisque ad annum usque 1555 fortissime sunt tuiti; oblata jam hodie sibi opportunitate salutari, prudentes ad eam se revocarent. Regis consilium consecutus est primo civium consensus; quosdam suæ sententiæ, quasi temere, contra vetera nempe sua instituta, regio admurmurassent edicto, paulo post piguit. Itaque, cum sibi nec retractare, quod concessissent, integrum esset, et metuendum a rege, si repugnassent, merito suo putarent; clandestinis tum civici in urbe suos hæretici, tum nobiles, per pagos dispersi, Livones consiliis inducunt ad postulandum a principe, ritibus suis moribusque pristinis vivere sibi per eum ut liceat. Id ipsos fidentius et suo quasi, nescio quo, jure exigentes, rejectos sine mora, Rex monitos esse jubet : « antiquius multo Polonis superiusque jus esse in Livones, quam unquam « Luthero fuerit, aut hujus æquali legum religionumque conditori : meminissent « victi subactique, jus sibi in armis esse : redderent jam hodie sua catholicis : tem- « plum in primis archiepiscopi olim, jam diu suis ritibus profanatum (1). Tergiversari « hic Rigenses : damnare fortunam suam hæretici. Jam diu nullum, ajunt, super- « esse in civitate sua catholicum ; triginta prope annis nihil contra Augusto I « rege, nihil Henrico Valesio, nihil senatu et quiritibus polonis deposcentibus. « Sua jam hodie sacra a Stephano, atque ex eo quidem fano ejici, in quo tamdiu « locum cultumque suum habuissent. At neque si aliud, non ita augustum, a « suis hodie abalienatum fuerit delubrum : novos possessores retinere jus, locum- « que diu in eo suum tutari, posse : nam, ut id senatus urbis ferat, plebem certe, « ut quæ sit ad turbas concitatior, minime passuram.

1582
Studium religionis restituendæ regium.

Stephani Regis pietas.

Obluctantur hæretici.

« Monere hic jam postremum contumaces princeps (quanquam id ipsum, ut « principio, clementer) : viderent diligentius Rigenses, quo se judice, æquum an « iniquum postulante, contenderent : sua catholicus princeps repeteret, an ad « aliena oculos adjiceret tyrannus. Nam equid ipsi religionis nomine postularent? « templa illi, quæ Lutherus scilicet aut quisquam sectæ hujus condidisset? Atqui « ædium parietes etiam ipsi, ut cernerent, jam pervetusti, si quid vocis haberent, « conclamarent pariter, se catholicorum sacrorum ritibus ab antistitibus suis, « initiatos esse, sæculis ante multo pluribus, quam suum aut Lutherum Islebia aut « Geneva Calvinum in lucem effudisset. Vellent itaque boni cives, regem quoque « ejus fraudis suæ esse participem? Enimvero non ejus tantæ labis causa se aut

(1) Religionem catholicam it restitutum Stephanus.

1582 « oblatum sibi a Polonis regni decus aut tantum cum Moscovia belli negotium « suscepisse. Si macellum Luterani in urbe catholicorum aliquod, si tabernam « utique lautis adeo sacris suis poscerent; cavendum id quoque foret principi, ne « hinc legitimus possessor aliquid detrimenti caperet. Jam ædem sacram eamque « primariam, unde sua novi Evangelii latius vulgetur pestis, ejectis nuper per « summam injuriam catholicis, atque in ultimas urbis latebras contrusis, ut obti- « neant hæretici, ac porro triumphent; enimvero istam contumeliam religionis « christianæ tam immanem, si quem alium, Stephanum Bathorium sustinere « haud posse. Obtemperarent igitur, mandatumque suum exhaurirent continuo; « neque duriora, quæ jam contumacia sit merita, expectarent.»

Pertinacia hæreticorum justo imperio concedit.

Illi regiis nequicquam obluctati imperiis, facilius id posse rati, quod pugnabant, per nostros effici, Petrum Skarga conveniunt, fanum Divi Jacobi Apostoli pro æde quam Rex jubeat tradi, ultro offerunt; ipse cum Sociis suis boni consulat, multis orant suppliciter. Petrus, ne quam sibi cives injuriam nomine Societatis inferri querantur, tum quod circumjectam aream, domicilio construendo opportunam, videret, quod pace Rigensium fiat, substitutam rem accipit. « Ne Rex quidem id « se abnuere dixit; modo ad suum istud donum Rigensium propensa ad bene « merendum voluntas adjiceret adjacentes etiam, atque adeo conjunctas cum hoc « fano, Cisterciensium nuper virginum ædes cum templo pariter D. Mariæ Mag- « dalenæ. Non obscurum erat Rigensibus principis consilium : velle hunc scilicet « Jesuitis gymnasium etiam collocare; quare vehementer etiam atque etiam rogi- « tant, propositum suum boni civilis amans Princeps de Jesuitis ut omittat : neque « enim fieri posse, ut inter civitatem suam et istud hominum genus conveniat : « jam hinc omnino plus pestis fore si ludum etiam juventuti aperuerint : istis vide- « licet suis mortalium artibus circumveniri maxime adolescentulos, atque a patriis « ad religiones peregrinas, papisticas scilicet, incautos traduci; malum itaque suis « Livonum sanctitatibus cum his per principem accersi perniciemque certissimam. »

Templum et cœnobium Sociis offertur.

Non injucunda ea Rigensium visa est Stephano oratio, quam et procerum consecutus est risus : nempe, quod is maxime optaret, id hæreticis maxime sibi metuentibus. « Atqui ego, inquit, Rigenses mei, hac ipsa ratione vobis consultum eo « quam optime. Vestræ hic ipsorum salutis negotium agitur. Aberrastis jam longe « imprudentes a recto vitæ christianæ instituto, cæcos secuti duces; en, qui vos « reducant, viros cum sapientes, tum apprime, mihi credite, sanctos : non illos « lucri ullius sui appetentes : ipsius vestræ salutis cupidos, pacis justitiæque « omnis studiosissimos. Nullo hi merito suo apud vos sustinent invidiam; quam

« nempe ipsi ministelli vestri, obtrectatores iniquissimi, insidiosi opum depecu- 1582
« latores vestrarum, conflarint. Agite dum, jam hospites istos in urbem vestram « accipite grati, commendationemque nostram, quam justa sit, placati comesque « experimini. Diem, quo mandatum hoc nostrum exequamini, nonas apriles præ- « stituo. » Octavo idus apriles tradita Divi Jacobi ædes; postero die, in quem sacra catholicis *Verbenalia* (1) inciderant, per antistitem Samogitiæ Melchiorem Giedroyc in templo perlitatum, habitæ eodem die a Sociis latine, polonice et germanice conciones. Feria deinde sexta majoris hebdomadæ in ædes huic templo proximas, olim monasterii Divæ Magdalenæ, grege Lutheranorum exturbato, Petrus Skarga et Martinus Laterna cum Joanne Vincerio, ad instituendas scholas et conciones germanice habendas accito e Brunsbergensi Collegio, novemque alii, ex aliis lecti domiciliis, adducti a Præside Provinciali, novi incolæ se intulere. Per omnes Quadragesimæ dies magna catholicorum lætitia et pietate celebrabatur templum, novaque Sociorum colonia, rege proceribus præeunte. Bis ille quotidie ex arce, eaque longius distante, frequenti stipatus comitatu, concursantibus hinc illinc quasi ad spectaculum, mirantibusque hæreticis, itabat. Assectabantur aulam catervæ oppidanorum, tum regis intuendi, tum cognoscendorum rituum catholicorum studio. Admirabantur regiam pietatem, cum eum spectarent ante aram positis humi genibus multas horas, ad sacra perattentum in sacrificio mysteria, supplicantem, accedentem ad mensam Eucharisticam, sacræ crucis signum die Parasceves ritu catholico adorantem, Sanctissimum in hostia Corpus Domini deducentem ad sepulcrale theatrum, aliaque sua devoti Christo animi documenta. Pars regio excitati exemplo, pars suæ inclinatione voluntatis propensi, eadem obibant pietate tanta, ut ipsis etiam Lutheranis, vicissim sese respectantibus, injiceretur ardor animi pius, lætitiaque gliscens lacrymas elictaret. Erat enimvero, quod in eo christianæ pietatis spectaculo ipsi etiam amarent hæretici laudarentque, illa videlicet tam illustria regis et procerum exempla : illos gravitatis plenos et sanctitatis ritus : tum splendorem templi et apparatum, invisum adhuc Rigensibus, carminum sacrorum appositam ad excitandos pietatis sensus gratiam : cætera denique omnia tam pulchra, tamque venerabilia visa sunt, ut eorum complures præ his omnem Lutheri et similium religiones deinceps fastidirent, frequentioresque in dies ædes Sociorum viserent. Ægre se tenuit ad hæc perditorum hominum, Lutheranicorum maxime ministrorum, furor; ipso adhuc regis metu cohibitus. Rege deinde in Livoniam, restituendæ pariter ac stabiliendæ,

Sacrificant et concionantur Socii.

Rigense collegium.

Hæretici quidam regio pietatis exemplo moventur.

Quidam ad maleficia incitantur.

(1) [Dominicæ *Palmarum* scilicet.]

1582 Periculum P. Skarga ab hæreticis. in primis Derpati, religionis causa, profecto, multa cum Sociis rector Petrus Skarga sustinuit : sæpe a plebe furibunda lapidibus, sæpius ignominiis appetitus, et tantum non confossus in ipsa æde sacra a facinoroso Luthera no. Atque haud dubie insigne suscepisset facinus audacia; nisi suo divina benignitas præsidio suos sartos tectosque voluisset, advigilante maxime pro rege ad tutelam commissi sibi Collegii antistite Vilnensium Georgio Radivillo, gubernatore Livoniæ.

Inter hæc germanus Georgii frater Nicolaus Radivillus dux in Olyka et Nies-
5. Nesvisium Socii invitantur. wiez, S. Romani Imperii princeps, magnus Lituaniæ mareschallus, quod jam dudum meditabatur, Niesvisium, suum in oppidum, ubi ipsa loci amœnitate allectus libentius habitabat, invitat Socios humanitate singulari. Oppidum primo infrequens erat et rusculo similius : neque colligendæ juventuti scholasticæ par, neque Sociorum muneribus percommodum : perpaucis ad hæc in provincia Sociis, eisque permulta distractis : præter alios, Bernardo Maciejowskio Cracoviensi tum canonico, post Luceoriensi episcopo, deinde archiepiscopo Gnesnensi et Cardinali titulo S. Joannis ante Portam Latinam, et Nicolao Zebrzydowskio præfecto tum Sremensi, ad ponendum a se Lublini Societati domicilium, rectorem Vilnensis Collegii Stanislaum Varszevickium e Lituania in Poloniam evocantibus. Intellexit denique princeps Radivillus, quid in suo Nesvisiensi oppido foret, quod consensum Præpositi Societatis Generalis (quem aliquoties jam per litteras convenisset) Sociosque, ad propositum cunctantes donum, moraretur : ruralis nempe illa
Radivilli pietas. solitudo. Ad amplificandum itaque, sive potius ad novam ibi civitatem condendam, curam in primis omnem contulit; duobus interim Sociis, qui intra eam regionem doctrinam salutarem prædicarent, Alberto Mroszkowskio et altero sacerdote usus. Expertus illos haud segnes in vinea Domini operarios.

6. Possevinus obsides liberat a Moschis. Res hujus provinciæ nonnullas Moscovitica Possevini legatio secum circumagit. Profligato in Livonia negotio cum rege Poloniarum legatus, Perkoviam primum octavo post die Novogardiam, urbem olim in primis Moscoviticis celebrem, et sparsis circa Ilmenum lacum Græcorum cœnobiis monachorum nobilem; inde magnis itineribus Moscoviam, comitatus magni ducis legatis, die tertio decimo venit : nulli in ea urbe optatior, quam suis, quos ibi religionis genti insinuandæ causa reliquerat, Drenoccio et Morieno Sociis, contra quam dux ipse ad Starzyciam receperat, in arctam datis custodiam, ac pædore inediaque prope enectis. Sic eos servari jusserat dux ipse : metuebat nempe, ne si liberius in urbe sua isti agerent, dictis exemplisque cives in opinionem de sanctitate religionis catholicæ adducerent; carceribus propterea opus fuit. Quinque fere menses in eo patientiæ

gymnasio miseri exegerant; ibidem et cubiculum et triclinium et precibus suis templum nacti. Revixerunt ad Possevini reditum, custodia ærumnisque liberati cum multis præter se captivis, Hispanis etiam et Italis, qui e Turcarum elapsi vinculis per invias Mæotidis paludes aufugerant in Moscoviam. 1582

Basilides de religione respuit consilium.

At de religione, tantopere sibi a Pontifice aliisque principibus per legatos commendata, ne mentionem quidem inferri sustinebat Basilides, per vladicas (1) suos, batavosque hæreticos et britannicos a mente ejusmodi omnique salutari consilio deductus. Infecta igitur re, meliora genti precatus, prima veris tempestate, pridie idus martias, Moscoviæ supremum dixit non rediturus deinceps Possevinus. Abeuntem treceni equites Moscovitæ ad quatuor millia passuum prosecuti.

Possevinus visit Orsam et Vitebscum.

Smolensco, ubi sex dies ex itinere quieverat, Rigam cum Sociis ad Stephanum regem pergens, Orsam, inde Vitebscum, emporium Albæ Russiæ civibus et convenis frequens, visit. Hic in primo limine hospes admonetur, sacerdotem, curionem civicum, senem annos natum octoginta, jam prope animam agere : discupere miserum in ista a catholicis solitudine, atque orare, sacerdos romanus aliquis moribundo sibi ut adsit. E vestigio ad ægrum Socius Possevini Drenoccius. Compos voti bonus vir, omnibus ad supremam luctam præsidiis communitus, multis pro eodem beneficio gratias Deo agens, altero post die plenus bonæ spei dissolvitur.

Socius pro curione Vitebsci relinquitur.

Hoc demortuo, jam in urbe, præter viatores Socios, reliquo Vitebscensium gregi catholico sacerdos nullus; cum interim dies sacri Paschatis appeterent. Atque id erat causæ, cur Possevinus Drenoccium cum Michaele Socio, qui munus parochi obirent tantisper, dum a suo antistite suffectus adesset pastor, postulante id tum re ipsa, tum præside civium palatino Stanislao Pac, ad templum curiale relinqueret. Hospes inde Polociæ summa tum Collegii, tum civitatis lætitia et gratulatione exceptus. Quod Sociis gratularetur vicissim ipse, erat præter alia pertinax suum virtutis studium, maxime patientiæ; quam porro insigniter, ut occeperat, palatinus suus Dorohostayskius exercere non cessabat.

7. De rebus collegii Polocensis disceptatio.

Præstolabantur hic non Socii tantum, sed cives etiam, ut urbis illius, sic provinciæ prædiatoribus regundorumque finium arbitris, quos vulgo commissarios vocamus; qui res civium, in primis Collegii nostri, e decreto regio definirent. Tres ad id munus delecti : Stanislaus Naruszewicz Mscislaviensium castellanus, vir Calvinianis non iniquus, et Monvidus Dorohostayskius, quocum nostris lis erat, Polocensium Palatinus : subornatus uterque ab Eustachio Wollowicz cancellario Lituaniæ, ultimo de illustrissima gente sua hæreticarum partium sectatore ; tertius his et religionis sinceræ

(1) [Ita nempe episcopos suos vocant Russi.]

1582 Tollitur controversia: donatio confirmatur.

studiosor multo et justitiæ, nostrique Ordinis amantior, Theodorus Skumin Novogrodensium Palatinus. Sed Dorohostayskio, invidiam cupiditatemque in causa dissimulare nescienti, a Petro Skarga, quem Campanus Riga Polociam ad illud tribunal miserat, ea de re per litteras admonitus, recuperatoris magistratum rex abrogat. Hoc exemplo castellanus Mscislaviensium cautior, animum deinde ad æquitatem cum suo collega advertit. Disputarunt ambo deinceps rem serio, excussis denique omnibus ejus provinciæ tabulariis, pro justitia decernunt. Parent decreto, nihil cunctati, alii : alii abradendi inde lucri alicujus cupiditate inflammati, regem ipsum appellant. Non multa illi rogatu multo exorarunt. Cætera omnia princeps omnino nostris reddi jussit ; donationemque horum per comitia Varsaviæ generalia an. 1585 consensu etiam totius per suos legatos gentis confirmavit.

8. Illuxtæ Possevinus Pascha celebrat inter Luteranos. Movetur pietate hospitis hæreticus.

Ad regem, Rigæ commorantem, Possevinus contendens, Disnam et Duneburgum prætervectus, Illuxtæ in oppido Livoniæ, Paschatis celebrandi causa, constitit, loco sane haud commodo : ubi ne ædiculam quidem unam, quam incoleret hospes catholicus, reperisses ; hic viator intra septa ministri lutheranici, ara a cubiculis remoto ac tuto loco posita, cœlestem hostiam triumphanti de morte in sua Ecclesia Christo immolavit Sacrificanti adfuit forte vir e civibus ejus oppidi primarius : is, delectatus pietate hospitis, ultro ipsi suum offert filium, orat, eum hinc quo libuerit (malle se tamen Brunsbergam aut Olomucium quam alio) secum auferat, inter catholicos educandum. Non multis hinc provectum intervallis legatum Moscoviticum, suosque comites novem, quos ille ad Romanum ducebat Pontificem, assecutus, Rigam pariter venit. Exceptus ibi a regiis tam splendide, ut, quanto viri, a Romanis missi Pontificibus, dignandi essent honore, præclaro se Mosci exemplo monitos intelligerent. Reliqua legato negotia conficienti Rigæ litteræ Gregorii XIII afferuntur.

9. Vilnæ Seminarium Rutenicum vult institui Gregorius

Monetur his, curaret erudiendis Rutenis seminarium institui Vilnæ, certaque eam in rem, ex ærario promenda Pontificio, assignaret vectigalia. Id quoque perfecit Antonius. Multis denique regiis Stephani et procerum cumulatus beneficiis, rationes muneris sui suo relaturus antistiti, dimittitur. At Possevinum non diu desiderarunt Poloni : eodem ille anno jam senescente, Varsaviam, affectis nuperrime, quæ ibidem celebrata essent, comitiis generalibus, revisit ; legatum Basilidis cum suis comitibus, redeuntem ab Italia, Romæ illum alibique a principibus catholicis honorifice habitum, prosecutus. Audivit hic et ipse hæreticorum

10. Vilnæ catechismi

querimonias de Sociis nostris Vilnensibus jactatas : vide sis, quam justas. More suo, inducti in eum olim a Carminata Socii, de Collegio Vilnensi in quinque

urbis fora dimissi, legis christianæ elementa populo exponebant. Duobus ad portam oppidi ad frequentem plebeculam scholas suas catecheticas repetentibus, hæretici, hinc incursantes illinc, molestias afferebant : hi dicta contumeliæ plena, illi lapides etiam jactabant. Ægre alias tulit ac sæpe, denique non sustinuit insectantium se petulantiam plebecula. Ut a nebulonibus lapidatio facta, confestim, suo dimisso magistro, in lapidatores et domum, quo petulci refugerant, saxis et ipsi armati involant. Atque illi quidem, ut ira incensi erant, aliquid perpetrassent, nisi suæ idem scholæ magister oratione ad impetum prompta continuisset violentos. Culpant nihilo minus nostros hæretici ; idque ipsum accusatores apud præfectum civitati, suæ hominem sectæ, trivialibus nostris doctrinæ præconibus christianæ dant crimini ; quin apud regem etiam per suos ad comitia legatos querelas habent : « orant principem, ea ut nostris præconia interdicat ; « aliter enim fore, ut suarum quoque ministri sectarum pulpita sua in plateas « vicosque efferant, populumque ad turbas et cædes exhortentur. » Jam notæ affatim principi erant ejusmodi, tam crebræ, adversus Jesuitas hominum istorum næniæ ; quo igitur manifestius sua ipsi coarguantur causa, philosophari eos jubet, quam recte scilicet concluderent : « Jesuitas catechismi scholas in foris « publicas instituere, seu, quod idem foret, lege christiana erudire plebem : sedi- « tiosos igitur esse, perniciosos civitati, ac propterea per turbas hæreticorum « lapidibus obruendos. Præclarum istuc sane accusatorum esse argumentum. « Jam quod ministri sui Jesuitas æmulari in eo velint, experirentur porro suos et « ipsi generosi animos. Certe, se rerum polonicarum rege, quidquid contra reli- « gionem catholicam usquam in suo regno deinceps tentaverint, impune nihil « omnino laturos. » Tum Socios in consiliis pie susceptis confirmat, suum adversus omnes hæreticorum molitiones præsidium pollicitus amplissime Gratiis justissimo principi actis, Possevinus, donisque Romanis a Gregorio Pontifice oblatis, regiis vicissim ornatus ipse, ad reliqua, quæ præterea Stephano cum Romano Imperatore et Sueciæ rege transigenda erant, negotia, ac per eandem occasionem ad condendum Vilnæ impensis Romani Pontificis (1) Seminarium, in quo ad variarum utilitatem nationum instituerentur alumni, fausta cum prece a rege dimittitur.

*1582 scholas oppugnant hæretici.*

*Rex defendit.*

In Suecia Simon Nikovius, Stanislaus Rakovskius, et Albertus Valdocenus, socii sacerdotes, ad conservandam promovendamque reginæ pietatem perattenti hærebant adhuc. Ultra suis progredi studiis non licuit ; perdurante in sua, in 1583

(1) Vilnam Possevinus ad condendum Seminarium redit.

1583 Religionis in Sueciam revocandæ spes ablata morte Reginæ Catharinæ.

quam reciderat, hæresi Joanne rege, omniaque salutis consilia respuente: turba regem cætera consequente: advigilante omnibus maxime Carolo fratre regio, homine religionibus addicto peregrinis; a quo plus sibi periculi suoque (1) principi Sigismundo educatores catholici, atque rex etiam, metuebant. Majorem multo de Sigismundi constantia rebusque in Suecia reliquis metum Sociis injecit reginæ optimæ mors immatura. Stockholmiæ XVI kalendas octobres diem obiit supremum, uti vixerat, piissime, morbo diuturno consumpta: Sigismundi I regis Polonorum filia, Sigismundi Augusti soror: fœmina amplificandæ religionis catholicæ admodum studiosa. Nec quisquam dubitat, quin, si diutius superfuisset, religio in Suecia incrementa cepisset insignia. In rebus humanis tolerandis quam fortis esset, complura eaque præclara dedit documenta. Laudes non levius ferebat, quam alii soleant contumelias. Qui se collaudassent, monebat eos, partes istas Deo judici reservandas, ut qui solus animorum latebras perspiceret. Cum supremum tempus vitæ appeteret, sacramentis rite ad luctam munita, multis cum lacrymis questa est, se nequaquam divinæ muneribus beneficentiæ in vita respondisse. Sacerdotem e Societate toto eo tempore apud se voluit esse assiduum; eum de rebus narrantem divinis mira cum animi voluntate auscultabat.

11. Catharinæ Reginæ pietas

Atque hic fuit exitus maximusque fructus profectionis nostræ Suedicæ. Sublata ex oculis regina, spes pariter omnis religionis in Sueciam revocandæ Socios destituit. Tum demum sua etiam filia, probe adhuc in manibus bonæ parentis educata, mobilitatem ingenii (quæ se prodebat, vivente etiam matre) secuta, ab institutione morum pariter ac religione descivit. Aliis denique post alios ab Ecclesia Romana defluentibus, Sigismundus ipse princeps restitit animo constanti; hinc patris ille, illinc patrui hortatibus importunis, aliunde procerum hæreticorum cavillationibus et fraudibus oppugnatus indignissime. Nihil morabatur adolescens generosus assentatores sororis suæ perfidæ parasitosque; ad quam studia sua consulto et benevolentiam deferebant; paucis se assectantibus: multis Sigismundum a virtute degenerem paterna, ac propterea ad tractandas imperii habenas quasi inhabilem, mussitantibus his, illis palam etiam obloquentibus. Tum tres illi e Societate residui quam indigna, quam multa pertulerint, ex contumeliis etiam sui principis, licet, colligas. Convenerat cuique inter eos, ut abstractos a Sigismundo, inque navim conjectos, ab omni sua regione in oras, unde se advenæ appulissent, in gurgites sinus Finnici rejicerent. Sed consilium violentorum prudentia moderatius agentium impeditum.

(1) Sigismundus princeps ab hæreticis carpitur.

Sueciam, ex adversis Baltici sinus littoribus sibi oppositam, spectat Livonia. 1583
Hanc excolentibus Sociis superveniunt alii novem, operum salutarium adjutores, 12. Rigæ et
ex provinciis Germaniæ a Claudio Generali missi, a Campano Provinciali, Qua- Dorpati
dragesima ineunte, adducti. Ex his Campanus duos sacerdotes posuit in colonia novæ Sociorum
Rigæ : Leonardum Rubenum Essendiensem, et Vithardum Vitardi Novoma- coloniæ.
giensem, a Rheno accitos; Dorpati quatuor : Theodoricum Hausese Vestphalum, novi Rectorem Collegii, Thomam Busæum Geldrium, Valentinum Hengelium Hessum, et Joannem Ambrosium Volcherum Thuringum; his mox additi Joannes Urbani Vilna, et duo alii Brunsberga adjutores laici. Dorpatum, sive Torpatum, Dorpati descriptio aliter Debetum, Rutenis aliquando dictum Juriogorodum, secundum Rigam et Revaliam urbs Livoniæ præcipua, eaque mediterranea, ad Becum sive Embecum, navigabilem fluvium et pisculentum; qui in Peipum, accolis Beibasum, Lacum Moscoviæ nobilem, Ingriam versus octavo hinc lapide evolvitur; ad collem arcemque in aperta amœnaque planitie, loco salubri, sita; anno 1230 a Teutonicæ militiæ equitibus crucigeris occupata cum provincia universa : ex quo deinde tempore fuit sedes episcopi. Hic Campanus cum Sociis a civitate honorifice exceptus; nec fuit, qui vel hirriisset ex omnibus hæreticis, præter unum suum rabulam ministrum; atque hic quidem ipse, quæ contra Jesuitas, Pontificios, ut vocabat, signiferos satellitesque, prima concione declamasset, altera mox, jussu senatus civici, dictorum reprehensor suorum damnavit, quin multis etiam verbis dignitatem hospitum prædicavit; professus, omnem, si qua eruditus esset, doctrinam Jesuitis se, suis nuper in Pragensi gymnasio, cujus tum Collegii idem Campanus esset rector, magistris referre acceptam. Quasi vero eas etiam maledicendi artes, aut istuc, quod suis prædicaret, novum Evangelium præco impudens didicisset.

At Rigæ ejusdem farinæ mortalium, hæreticorum in fanis præconum, sellulariorum item opificum, et puerorum turbas, per plateas sibilis convitiisque Socios insectantium, Georgius Radivillus Vilnensium antistes, pro rege gubernator Livoniæ, suo et senatus civici decreto, virgas minatus maledicis, petulantiam Petulantia coercita. coercuit. Autographum edicti, cum declamaret e suggesto præco hæreticus, suo in fano, tempore allatum est sane opportuno, ab eodem clamatore promulgandum : plane tum, cum secundam orationis suæ partem, maledictorum in Jesuitas refertam omnium, occiperet, per calonem prætorianum ea dica rabulæ impacta est. Hæsit primum consternatus; consilio denique in capillis quæsito frustra, pro convitiis, quæ in extremis jam sibi labris erant, principis

1583 edictum recitat populo: hoc lecto, obmutescit, imprudenter multa principio orationis auditoribus pollicitus.

Campanus adventus sui causas civibus exponit.

In curiis, tum Derpati, tum Rigæ, ad consules Campanus de causis adventus sui Sociorumque, de benevolentia erga Livones tum Romani Pontificis, tum regis Stephani, deque Societatis suæ instituto rem habuit. Non placide tantum utrobique exceptus auditusque est, sed, quemadmodum simulabant hæretici, etiam benevole. Digredientem inde prosecuti sunt domum comiter. Cum utrinque familiarius ageretur deinceps, ipsisque certaretur officiis; non dubitabat pro munusculis libellos quoque ipsis de catholicæ veritate religionis missitare hospes, hortarique fidenter, ut legerent, probeque intelligerent. Suavibus itaque modis eo facile homines perpulit, ut se quidem de veritatibus, luculente a Campano propositis, neutiquam dubitare faterentur: a secta tamen, in qua nati educatique forent, perfugarum ritu desciscere, sine gravi dedecore, dicerent haud posse. Respectabant illi se se vicissim, si quis primus, popularium suorum judicio invidiaque superior, cæteris proderet exemplum. Humana illi scilicet passi expertique, in lubrico positam esse mortalium naturam, procliviusque incitatam labi, quam lapsam revocari posse, suoque in gradu sustineri.

Favebat Sociorum inceptis mirifice religiosissimus princeps Georgius Radivillus, Vilnensium episcopus, Societatis nostræ usque adeo amans, ut in eam ipse aggregari, et cuperet vehementer, et ejus rei veniam a Romano Pontifice etiam atque etiam peteret (1). Negabat id Gregorius; quod existimabat, utiliorem in eo

13. statu suo Georgii operam fore: quare, quo virum amplioribus etiam cumularet muneribus, in senatum cardinalium eo fere tempore allegit, quo Georgius Rigæ in Sociorum domicilio per sacras B. Patris nostri commentationes ad sacerdotium se præparabat, deinde Vilnæ ab Alberto Bolognetto Massæ episcopo, Romani Pontificis apud Polonos nuntio, V kalend. januar. ejusdem civitatis et diœcesis antistes consecratur. Hostiam Deo sacerdos primam Rigæ, in templo B. Jacobi nostro, die II kalend. jun. Pentecostes primo, ministrantibus nostris obtulit.

Georgius Radivillus episcopus Vilnensium et Cardinalis creatur.

Templum et Cœnobium Monialium Rigæ Sociis oblata

Existimabat Stephanus rex e re catholica fore, si ad ea, quæ Sociis Rigæ obtulerat, templum quoque B. Mariæ Magdalenæ, jam olim ab hæreticis mystis profanatum, et Cisterciensium parthenonem, in quo tres adhuc ipsæ virgines anus, sponso suo Christo fideles (inter eas Anna Tepel antistita, annos jam centum amplius nata: reliquæ paulo juniores) sexaginta prope annos miserum in modum vexatæ restiterant, adjunxisset. Et templum et sacri gynecæi ædes Demetrio Suli-

(1) In Societatem cooptari cupit.

kovio, Vladislaviensi nuper et Lenciciensi canonico, jam nunc Leopolitano archiepiscopo, a rege erant commendata : suo demum regioque invitatu a Sociis accepta ; quandoquidem tertia soror virginum dictarum jam diem suum hoc anno obierat : quæ successio reliquis quoque duabus hospitis, supremum scilicet diem opperientibus, fuit pergrata ; id quod publicis tabulis, quibus res sua omnis ad nostros transferretur, testatæ sunt. Pridie kalend. majas, præsentibus duobus curiarum præsidibus : Gaspare Volkersam præside civitatis Blomendal, Henrico Wardau præfecto in oppido Ablein, et Jacobo Hamer Vestphalo vicenos annos ejusdem parthenonis fideli rerum administro. 1583

Dunemundum Socii introducti.

Istis rerum nostrarum initiis ac progressibus commovebantur hæretici tum Rigæ et Dorpati, tum Dunemundæ; quo, in lutheranici locum ministri, præeunte P. Joanne Vincerio, introducti sumus ; sed hirrientibus impegit rem duram, epistolam scilicet gravissimam, gubernator Livoniæ cardinalis Radivillus (1). Hoc antistite amanter Societatem complectente, ac si pietas ipsa classicum Sociis cecinisset, in omnes provinciæ partes itum animo alacri. Amplissimo operariis seges ubique oblata : in primis in Samogitia, Livoniæ proxima provincia ; hanc primi, 14.
Jacobus Laniskius, et Socius nescio qui alter, ad omnem accincti laborem, Vilna missi, peragrarunt. Miserrima tum erat mortalium in ea diœcesi conditio ; ubi videlicet haud multos, qui ipsum nomen hominis christiani nossent, in agris reperisses. Antiquæ colonis superstitiones : Jupiter ille fulmineus, vulgo Perkunas : quercus annosæ, Szermuksznis sive Sorbus : alibi Akmo, saxum grandius. Veteres illi gentis dii, pluresque ejus ordinis alii, a rusticulis adhuc colebantur ; quales in primis, quod canit poeta, primus in orbe deos fecit timor ; quibus quasi tutoribus, et Averruncis ædes suæ, sui greges, horti sui atque alia essent salva ; ruricolæ miseri fingebant sibi, certisque ritibus et sacrificiis placatum ibant. Perkuno ignem in sylvis sacrum, vestales romanas imitati, perpetuum alebant. Telluri porca faciebant ; reliquiasque pecudis e sacrificio domi asservabant : pertinere illud ad salutem suam et incolumitatem rei domesticæ rati. Religio itaque erat ipsis ea abjicere ; jussi a nostris id facere, negabant se audere posse : alioqui a diis suis gravi aliquo mactandi infortunio. Erant præterea in hac, exculta hodie sinceræque studiosissima religionis, gente citimisque populis et mores et ritus oppido ridiculi. Præter eos, quos diximus, Larem pagani, Dimstipam vernis suis dictum, fumi focique dominum colebant ; huic oblato gallinaceorum pari litabatur ; inde epulum, quo exoratus Lar familiarem suam unicuique rem fortunaret, cognati vici-

Samogitiam Socii peragrant.

Religiones gentium vanæ ac ridiculæ.

(1) Vid. in Appendice hujus libri.

1583 nique celebrabant. Cavebant interim diligenter, ne quid de omni suo convivio in diem insequentem esset reliqui; nam id religioni habebatur : quin aquam etiam, qua lances essent elutæ, igne absumi oportebat. Mortuis dapes anniversariis diebus ad tumulos conferebant. Officii ritus erat ejusmodi : fundebatur e polubro sub cibillam lympha : super tabulam cochlearia sustinebantur erecta in quadris : tum ad lucernas, meridiano etiam tempore, circum positas, dialis sortilegus conceptis verborum formulis mortuos appellat; deinde, bene precatus manibus, cum domesticis accumbit conviva, primusque offam tripodi subjicit (1). Rutenorum plebes, quæ hic degunt promiscue, ad tumulos similiter cibos afferunt. Illud quoque splenem ipsis etiam agrestibus hodie movet recordantibus, fuisse aliquando superstitiosos adeo majores suos (quo vitii genere contaminatæ erant certe omnes fere omnium gentium origines) ut nihil occiperent, adirent nihil prius, quam propitiassent genios, rerum ipsis humanarum præsides. Conserendus erat frugibus agellus : gallus omnino gallinaque ad secespitam, invitis etiam matribus-familias, ab agricolis ferebantur; ægrotaret cuipiam filius — sortilegum parens accersebat; ille, jactis tesseris, agnum deo, quo ægri caput redimeret, jugulabat. Si qua pecus in grege suo generosior esset; eam dominus, fæturam precatus similem in ovilibus suis armentisque, uti propagarentur, mactabat; de victimis, præter parentes et liberos, ne degustare quidem cuiquam fas erat. Diebus adventu divini Spiritus celebribus, collatis per singulas familias frumenti partibus, ac potione ex eo confecta, condictoque ad cœnam symbolo, conveniunt; tum, ariete aut bove ad ripam torrentis immolato, discumbunt. Hic sortilegus, aut alius, natu grandior, de hostia prælibat; inde reliqui, commodam cœli tempestatem fertilitatemque comprecati.

Superstitiones sublatæ. Cum ritus ejusmodi concionabundi oppugnarent nostri, cum illi pecudum ossa, aliaque ejus scrupeæ religionis signa a postibus et parietibus revellerent, conculcarent, in rogos conjicerent : cum suas quercus divinas exscinderent, anguesque sacros, patribus-familiarum puerisque suis jam ab incunabulis familiares, eliderent; conclamabant pagani, profanari sacra : deos suos, et arboreos, et fictiles, et saxatiles, et olitorios ire pessum. Mirabantur alii, impune in ædibus suis lucisque latrocinari sacrilegos; Perkunum interim suum, extinctis ignibus, frigere, cæteraque cum hoc numina repente adeo elanguisse. Atque erant, qui, deos obdormiisse rati (quemadmodum Chaldæi adversus Danielem commoti) murmure clamoribusque Joves suos provocarent, excitarentque potestates, quas vocant aërias; sed turbines repentini succussusque ædium, illique fremitus et latratus rugitusque

(1) Antiqui Russorum ritus, et Semigallorum, Samogitarum, Lituanorum et Livonum gentiles.

ferarum, conspectarum nusquam, manifeste cacodæmonum erant, animo contempta forti, terricula; ut ipsi denique agnoscerent agrestes, confirmarentque quod audiissent, esse aliquem scilicet, eumque fortiorem suis, qui a nostris hominibus faceret, Deum (1). Non diu inde obluctati, alius post alium instituendos se magistris religionis veræ tradunt, suasque familias gregatim offerunt. Conatus duorum industriamque in provincia superabat laboris difficultas; quare tertius e Collegio Vilnensi sacerdos adjutor additus. Plures deinde Socii in tractus regionum distracti, pars Miednikios, in oppidum Samogitiæ, sedem episcopi, pars Dworzyscios, alii ad palatinum Trocensem, Sluciam alii ad Simeonem ducem, alii alio dimittuntur. Læti passim atque uberes fructus, ipso etiam gratulante sibi populo, legebantur : hic extinctæ superstitiones; ibi ritus latinus et græcus, habiti adhuc promiscue, discreti; alibi matrimonio legitimo ex instituto Concilii Tridentini conjuncti. Convocabantur ad templa plebes; in pagis cogebantur ad catechismum puerorum cœtus et senum; atque, ut in agris hebes insigniter hominum genus est, capitibus fidei christianæ, symbolo apostolorum contentis, orationis item dominicæ et salutationis angelicæ singulis partibus, in singula adstantium ordine certo capita distributis, explicatisque partite; quo facilius condiscerent, quæque percepissent, inter se memoria repeterent, etiam dum magister abesset, exponebantur. Effectum itaque, ut negotio non maximo agrestes animulæ non ipsa modo christiani hominis rudimenta, sed alia etiam, quæ ad religionem vitæque disciplinam faciunt, ediscerent. 1583

**Erudiendæ plebis modus.**

Simile Sociis fuit theatrum in Livonia, superstitionibus pariter et maleficiis infecta paganorum, oppidanorum insuper, nobiliumque civium; quæ pars in Samogitia erat integra, in illa per hæreticos omnino corrupta. Gaudebant hoc fructu Socii, in primis Campanus; qui ad ea officia ipse suos, diligenter lustrans provinciam, et hortabatur Collegiorum rectores, et instituebat per conscriptas a se divi Parentis nostri commentationes sacras. Mira (inquit ille, Claudium Generalem per epistolam appellans) consolatione perfundor, quam et participo fratribus meis; dum novæ semper afferuntur litteræ, qua generales a Collegiis, qua particulares ab aliquibus in varia loca missis; in quibus mirabilia operatur Dominus per suos; et multa hominum elucet conversio, vel ad eam præparatio. Sit Dominus benedictus.

**Opera Sociornm inter Livones.**

Nesvisium Socii a principe Nicolao Christophoro Radivillo, Lituaniæ mareschallo, vocati anni superioris tertio kalendas septembres, hinc in oppida vicina,

**15. Novogrodecum visunt Socii.**

(1) Fructus e Samogitis, Lituanis, et Russis salutares.

1583 in primis Novogrodecum in urbem Russiæ Polonicæ præcipuam, ipsis Photianis, Calvinianis, Lutheranis, Judæisque refertam, ad reliquias ibi catholicorum in religione fovendas, a curione etiam suo, annis abhinc decem perfuga, omni præsidio salutis destitutas, duo vicissim excurrebant. Horum ipsorum opera viginti amplius ab hæresi, triginta capita a schismate ad Ecclesiam revocata, plura his per Socios Collegii Vilnensis.

16. Novitiorum institutio Brunsbergæ.

Brunsbergæ novitii etiam, atque ii quidem hoc ipso anno congregati, quorum numerus duobus et viginti erat non major, cum domi suas inter latebras, tum in civitatis luce officiis suis non deerant. Erant qui ad vilissima etiam ministeria alacritate præcipua sese demitterent, hominumque miserrimorum, in cœnum abjectorum, pure diffluentium, curam sustinerent ; atque hic verbis et munusculo aliquo sacro gementem solaretur, illi de stercore translatum lavarent, detergerent, et tantum non saniem, charitate incensi christiana, sugerent. Itum inde in ulteriorem Prussiam et Pomeraniam. Domi in tribus, Pontificio, provinciali diœcesis Varmiacæ, et convictorum juvenum, Collegiis suum cuique virtutis et operæ amplum fuit gymnasium. In his puer admodum, sed ingenio jam perpolito, expeditoque latini sermonis usu, revisens parentes in diœcesi patria, tota ferme religionibus novis addicta, in congressu de rebus fidei sinceræ a ministris lutheranicis tentatus, sic eos argumentis, quæ in scholis et per catechismos didicerat, agitavit, ut, disputatione ad insaniam prope adacti, publice post, pro concione, multa in puerum et parentes et propinquos suos, multa de adolescentium in scholis Jesuiticis institutione declamarint : per omnia Lutheri sui sacra fidemque obtestati cives, ut ne filios suos Jesuitis educandos committerent. Prudentibus eæ cohortationes, Lutheranis etiam, ridiculæ erant ; non ignaris illis, quid ministellis suis ex nupera cum adolescentulo pugna doluisset. Complures ejus indolis juvenes per otium litterarium instituebantur ad studium pietatis, in

17. Bathorius Princeps Sodales Scholasticos Pultoviæ jubet valere. Juvenis bene instituti constantia.

Masoviæ oppido, Pultoviæ. Inter eos principis Transylvaniæ filius, regis Polonorum Stephani ex fratre nepos, Andreas Bathorius. Quadriennium amplius litteris dedit operam ; hoc demum anno vocatus a rege, salutatis publice oratione eleganti omnibus, ingens sui condiscipulis et civitati adolescens clarissimus reliquit desiderium. Alius ibidem egregius juvenis, gente perillustri in Polonia natus, multis sollicitatus a fratre suo, homine lutheranico, ad remittendum et scholis et religionibus catholicis nuntium, forti animo restitit : quin, si suasor ipse in perfidia persisteret, eum sibi deinceps fratris numero non futurum, respondit, causasque omnes tentationum præcidit.

18. Templum

Templum a conditore domicilii inchoatum provectumque, quod et angustius

erat, et vitium pars aliqua fecisse visa, dejecto ad fundamenta muro, amplius ædificari hoc anno cœptum. Ad ædes quoque domesticas percommodæ accessiones adjunctæ. 1583 Pultoviæ ædificatur 1584.

19. Radivilli peregrinatio Jerosolymitana et reditus.

Ex longinquo itinere, quod XVI kal. octob. 1582 Nesvisio Jerosolymam profectus, ipsius voluntatis suæ Deo profitendæ causa, ad visenda loca sanguine Salvatoris Domini consecrata, inierat, Nicolaus Christophorus Radivillus, tum mareschallus Lituaniæ, paulo post Vilnensis palatinus, Jerosolymitanus S. Sepulchri eques, patriam tandem et civitatem suam Nesvisium incolumis 7 idus junias revisit. Prius quam se in viam dedisset, veniam propositæ sibi profectionis a rege et a Pontifice Romano petiit. Testatus ultimis (perinde ac si reditum non sperasset) tabulis, quæ familiæ suæ, quæque Collegio Sociorum Nesvisiensi de rebus suis vellet reliqua, rege Stephano Grodnæ salutato, obstaculisque itineris omnibus perruptis, Venetias recta terrestri itinere contendit. Hic, Deum divosque precatus, mutato cultu in familiarem peregrinatoribus habitum, navim cum aliquot comitibus apud cœnobium S. Mariæ de Gratia dictum conscendit. Solvit 1583 XVI kalendas majas. Quot quantaque pericula apud Balonam, Candiam, et alibi, maxime in reditu inter insulas Divonias, divino ubique tectus præsidio, superaverit, narrat ipse in commentario a se conscripto; quem Varmiacæ custos cathedræ Thomas Treterus ex vernaculo in latinum convertit.

Usus est in eo itinere e nostra etiam Societate comitibus, PP. Leonardo Pacifico Siculo et Ignatio Hispano, ex Dalmatia religionis christianæ causa in Syriam a Gregorio Pontifice missis. Nondum ex itinere Palæstino quiequieverat, cum omnem curam ad ponendum Sociis domicilium Nesvisii convertit. Sed Sociis eo loco sedes ad munia sua visa est non opportuna: quare deprecabantur istuc a se donum principis munifici : « pergratum quidem sibi illud esse « ex dignitate maxime et pietate offerentis, professi : cum rationibus tamen « religiosi sui instituti non usquequaque congruere ; ita censente suo etiam Præ- « posito Generali Claudio Aquaviva : nempe se operarios esse, quos in sole et « pulvere versari oporteat ; prætereunda igitur ea esse loca, in quibus ipsa « daretur cessatio. Atqui in oppidis ejus generis, cujusmodi foret Nesvisium, « ipsius forent quietis cunabula. Non aversari se paganam istam solitudinem, « neque esse, quod in istis rusticulorum pannis et humilitate præ lautitiis cele- « brium urbium et splendore pauperes fastidirent : ut qui debitores essent, omni- « bus, Judæo pariter et Græco ; idque manifestum foret principi, si advertere « animum voluerit ad Sociorum curas, nihilo segniores illas in villulis quam in

20. Nesvisii oblatum Socii domicilium non admittumt, idque excusat Campanus.

1584 « urbibus : vereri se tamen, ne in istis latebris bonum otium conteratur, tempestasque in isto suorum studio, ad majorem utilitatem idonea omittatur. Neque « tamen benevolo principi, quod postularet, Claudium Præpositum præcise « negare : expeditos, lectosque esse sacerdotes et magistros, qui Nesvisium ad « signum principis convolent ; parceret interim ipse in ædificia et alias res impensis, quoad pertentatum fuerit, utrum foret utilius, Collegium scholasque in pagum « cogi, an ipsis operariis, qui per temporarios excursus Nesvisiensibus et circumjacentium agrorum colonis oppidanisque vicinis adsint, domicilium aliquod constitui. » Non valuit apud principem ea Campani oratio ; et sacerdotes et magistros et adjutores suos continuo adesse postulat : « eam sibi causans injectam a « Deo mentem, ut ne a proposito ulla difficultate avertatur ; idque effecturum se, « omnino sperare ; nisi ipsi, qui divina imperia mortalium primi observare per « ipsum vitæ institutum ac revereri debeant, obsistere voluerint. Agerent itaque, « quæ vellet Deus, seque nihil cunctati Nesvisium colligerent. Crederent sibi « confirmanti fore, ut se suæ facilitatis haud pœniteat. »

Benevolentia Principis coguntur.

Concedendum denique Præpositus generalis pietati principis ratus, actis ampliter pro benevolentia gratiis, oblatum accepit. Reliquum inde certamen erat cum ipsa principis largitate, adeo se in novæ coloniæ commoda profundente, sic omnia nexu omni, quo pietas filiorum etiam a parentibus obstringi solet, libera offerente, ut certus per ipsam religiosorum hominum modestiam statuendus esset modus. Acciti Nesvisium mox Socii. Præfectus collegis Pater Albertus Mroskovskius ; primus, quod diximus, experiendi causa, quam foret utilis Sociorum Nesvisii opera, in ea statione cum P. Christophoro Ostrovskio collocatus. Aperta schola grammaticæ. Additi mox alii, tum oppidanorum per conciones magistri tum scholarum. Attento ad res provinciæ suæ Campano, crebra hinc illinc certandi officiis cum principum munificentia offerebatur occasio. Eodem fere tempore Claudiopolim in Transylvaniam, Albam, Varadinum, Calissium, Leopolim, Gedanum, Neuburgum, Brestam, Grodnam, Socii a principibus ex provincia Lituaniæ, non frequentissima illa, vocabantur. Vixdum in Transylvaniam, poscente rege Polonorum Stephano, quatuordecim Socios, lectam hinc illinc cohortem, inito Varsavia itinere, Claudiopolim deduxerat Campanus, cum ex eadem Societate Somlienses, Vasseralienses, Varadinenses, Tordenses, Fenesenses, Temesvarenses, principes viri Lazari dicti, Vallachi denique (questi hi, unicum sibi fuisse hominem, pro sacerdote habitum, in finibus Moldaviæ, eumque deprehensum impostorem sacrilegum, profanum circulatorem) omnes illi a Campano magistros

Primi in colonia Socii.

21. Socii in Provincias distrahuntur.

religionis e Societate flagitabant. Ad tantam, tam diversam, tot locis messem 1584
dolebat Campanus vehementer, utque erat salutis gentium percupidus, calamitate postulantium cognita, cum gemitu querebatur, messem quidem esse multam, operarios autem sibi perpaucos. Orabat Dominum messis, mitteret ipse in eas regiones suos operarios. Egit interim ipse pro copia, Claudiopolitano Collegio misit Jacobum Vangrovickium (1), Sociorum Vilnæ annos abhinc sex prorectorem; huic mox successit Ferninandus Capecius. Callissiensi coloniæ Gasparem Savickium, alios alibi præfecit rectores.

22. Stephanus rex Socios cogere vult Grodnam. Grodnæ situs.

Jam Grodnam etiam mittendi erant in coloniam, prolixa regis Stephani voluntate invitante ad redditus eversarum ecclesiarum occupandos. Urbs hæc Lituaniæ in Trocensi provincia, ad Chronum sive Nemenum, amnem mercatoribus nostratibus navigabilem, ab alia regione cœli ad Kotrzyciam, subter propugnaculi jugo imminens confluentem, loco amœno, cœloque salubri sita; commeantibus Varsavia in Lituaniam tabellariis pervia; ut propterea Grodnæ jucunda et opportuna Stephano fuerit commoratio. Ibi rex sibi arces, villas, vivaria, quæque usui et oblectamento essent: ibi domicilium quoque Sociis designabat. At Campano ex ea rerum oblatarum copia major sollicitudo et metus, quam foret ex egestate. Disputavit id secum ipse, et principi benefico considerandum proposuit: « quantum « scilicet incommodi et invidiæ allatura esset ista, tam repente nata, domici« liorum multitudo; quorum alia hodie collocari cœpta, affecta nuper alia, nulla « essent perfecta. » Omitti hic non licet, fidentiorem illam, quam recitat historicus noster Sacchinus, orationem Campani ad principem.

Causa, cur recusent.

Oratio P. Campani recusantis

« Olim, inquit, sacrorum locorum institutores præpotentem Deum imitabantur, « qui prius domicilium orbis terrarum creavit, et omnem ejus perfecit ornatum; « tum demum hominem in illud introduxit. At nos hac tempestate in incertum « vocamur, non domo parati non re. Ita multa conamur, pauca perficimus. En « Jaroslaviæ et ædificare, et pro ædificiis mendicare cogimur. Lublini Varse« vicius ante mendici nomen acquirit, quam cultoris animarum; dum intentus ædi« ficationi hos atque hos dynastas atque regiam vestram majestatem fatigat; cui « gratias ago de collato in eum luculento subsidio (quina in quinquennium flore« norum millia attribuerat). Polocense, Rigense, Calissiense, Nesvisiense, cœpta « opera sunt, non perfecta; item Derpati, Cracoviæ, et in Transylvania Albæ, « Varadini. Hinc fit, ut frustrentur sua expectatione populi; dum necesse est, « rebus domesticis providendis insumere labores, quos oportebat in culturam ani-

(1) PP. Jacobus Vujek, Ferd. Capecius et Gaspar Sawicki.

1584 « morum impendi. Quod si justas operariorum liceret continuo habere familias, « minus esset incommodi. Sed explere statim Collegia, nullo modo, ut nunc res « sunt, licet: primum, quod non sunt prompta subsidia; deinde, quod est gravis- « simum, quod neque idoneæ nobis neque plane ullæ suppetunt copiæ Sociorum. « Nihil ita, rex optime (et ante oculos sunt plura exempla), nihil ita pessum dat « auctoritatem religiosorum, obterit disciplinam, mores sensim corrumpit, ut mi- « nutos in cœtus dissipatæ familiæ. Quod si omnibus est noxium ordinibus; nostro « certe, cui non intra septa latendum, sed prodeundum in solem aciemque est, « pestiferum plane est. Quis melius, quam tua majestas intelligit, valido exercitui « enervando nihil esse præsentius, quam si in exiguas discerptus cohortes, « in varias ablegetur provincias? At enim hic locus periclitatur, et ille alter, « itemque tertius: atque hic bene gerendi rem alibique offertur occasio; num « igitur prudens belli imperator spem partium summam in periculum dabit? « Præterea nobis haud privata causa, sed ad effectum eorum, quæ tractamus, « necessaria est hominum benevolentia atque existimatio. At rerum imperiti, dum « vident tam multa, quanta opus sunt ad novorum fundamenta Collegiorum addici, « non solum hæretici, verum etiam catholici, non in ea vocari nos, sed irrumpere « interpretantur. Quidam odere, quod sperata sibi bona interverti putant. Denique « vulgo fere omnes, non animarum magis nos, quam pecuniarum avidos jactant. « Tum vero quid reliquum, nisi ut quorum vita (jure seu injuria, perinde hic est) « despicitur, eorum et doctrina repudietur? Itaque amplexantes toto animo oscu- « lantesque hanc tuæ majestatis erga nos charitatem, et hoc singulare juvandi « populos studium venerantes, precamur et obtestamur, ut Ordinis hujus tibi, si « non aliud addictissimi patrocinium, quod instituisti, tueri pergas, pro certoque « habeas, tunc recte nos consulturos rationibus publicis, cum leges servaverimus « nostras; tum tuis bonis votis optime responsuros, cum ipsi fuerimus optimi. »

Hæsit deliberanti similis rex, et quod ex ipso habitu oris eminebat, oratione Campani perturbatus. Vereri orator, ne quid forte peccaverit in benevolentiam principis liberior sua deprecatio. Utrinque hinc fuit silentium; ac Stephanum quidem hinc deprecantis a Sociis suis ea, quæ mortales facile aucuparentur etiam, suspensum tenuit moderatio; illinc eos, quos invitaret, præsto habendi desiderium. Meditata aliquandiu eodem in vestigio re, princeps, Campanum intuitus: « ego vos, « inquit, mea præsertim causa, in hominum invidiam ut vocem, aut de sanctitate « vestri instituti detractum ut velim; quos tantopere et amo, et sartos tectosque « undique ut præstem, curo? Hodie scilicet cogniti sumus; aut tam grata, oportet,

Stephani rationes.

« sit vobis erga Societatem vestram voluntas nostra? Si, quod jure postulamus 1584
« nostro, abnuitis : efficitis, ut mecum aulici nostri, et oppidani Grodnenses, « et paganus circum populus, neglectos se a vobis in salutis suæ negotio, conquerantur. Atqui ego vos mecum Brestæ etiam cuperem, in oppido operæ vestræ « egentissimo. Sed Brestensium, quandoquidem illiberales adeo attentosque ad rem « vestram esse placet, indigentiam omitto. Grodnæ mihi pietas vestra collegium « viginti utique Sociorum, quorum quidam scholas etiam, velim, instituant, negare « haud poterit. Hic neque oppidum ignobile, et campus, quod maxime spectatis, « laboribus vestris et fructibus legendis amplissimus.

« Equidem majus operæ pretium fore existimo, si plus in juventute nobilium, « litteris et probis moribus imbuenda per scholas, quam in formandis ipso catechismo per pagos agrestibus, labor se vester exercuerit : nam quis ignorat, « quantum commodi salutisque in servos etiam manet, si domini sui rite ad pietatem fuerint instituti? Ut omittam dicere, quantum faciat ad felicitatem provinciæ atque adeo universæ patriæ liberalis piaque sobolis educatio. At enim « Vilnæ, Brunsbergæ, Pultoviæ aperta vestra adolescentibus gymnasia : operæ « in illis multum, operarii pauci. Alibi per inopiam magistri vestrates, quemadmodum etiam Lublini, nesciunt, utrum agant; pueros ad scholam an stipem « in manticam cogi prius, oporteat. Id vero per me vobis neque Rigæ, neque « Polociæ, neque Grodnæ, polliceor, vel si ipsi volueritis, licuerit. Contendam « certe, ut intelligatis, non ita nos esse tardos ad res vestras curandas, quemadmodum vos lentos in accipiendis beneficiis, ac pertinaces etiam experimur. » Hæc aliaque in eam sententiam Campano princeps. Compendiariam denique ad exitum consilii sui ratus viam, si, quod de Sociis constitui Grodnæ cupiebat, ad id auctoritate Gregorii Pontificis uteretur, Romam perscripsit.

Vilnæ, negotia Collegio facessentibus identidem hæreticis, erant qui illud strenue defensarent. Descendebant amici, non appellati etiam, ad Collegium, percontandi studio, an omnia Sociorum ab adversariis secura essent tranquillaque : sæpe ipsius voluntatis suæ profitendæ gratia; sic nuper cardinales duo, Georgius
Radivillus (1) S. R. J. princeps, et Robertus Bolognettus nuntius in Polonia 23.
apostolicus, accepti omnibus officiis; iidem, cum rex Vilnæ in templo cathedrali a Romano Pontifice insignia Cardinalium offerret, publica e suggesto oratione de dignitate Sacræ Romanæ purpuræ per concionatorem nostrum salutati. Secundum gratulationes honoresque sibi a proceribus habitos, postridie, nihil

Salutatio publica Vilnæ duorum Cardinalium.

(1) De Cardinale Georgio, vid. l. III, n. 13.

1584 ejusmodi cogitantibus Sociis, ad Collegium atque etiam in triclinium, sub tempus cœnulæ, benevolentiæ suæ testificandæ causa, se conferunt. Hic, remotis arbitris, Sociorum hospitalitate frui sibi placuit; nihil in frugalitate mensæ, et convivarum humilitate aspernantibus : Georgio cardinale etiam confirmante, nusquam se lautius jucundiusque, quam in istorum parsimonia convictorum ; in qua familia se jam olim Socium habuissent, pullatum scilicet similiter : suavissimo illo, ut ajebat, quo se religiosi isti fratres vicissim dignantur, ornatum pronomine *Carissimi*; præ quo omnem profanum splendorem, et contortuplicata illa munerum illustrium vocabula tacitus, ut hi fratres facerent, lætusque contemneret; nisi suum ineundæ Societatis Jesu consilium impedivisset Pontificis summi auctoritas (1).

Cardinales visunt Collegium, et accumbunt convivæ.

Germana plane pietate hujus cardinalis frater Stanislaus Radivillus, Nicolai palatini Vilnensis filius natu minimus, mareschallus tum Lituaniæ, deinde Samogitiæ præfectus, benigne Socios et ipse complexus, Vilnense suburbanum suum Lubiszki, primum illud, quod narravimus, hæreticorum advenarum receptaculum, in valle ad amnem Viliam amœno loco situm, Collegio cum fundis prædio adjacentibus donavit.

Suburbanum donat Radivillus.

24\. Existimatio dignitatis Radivilli.

Usus inde Georgius Sociorum opera in Livonia. In tantam pietas sua existimationem venerat, ut pro sapientissimo sanctissimoque pontifice ab omnibus coleretur. Negabant ipsi etiam ex Moscovia incolæ Photiani, episcopos suos omnes archiepiscoposque dignos esse, qui admitterentur vel ad pedes hujus tanti antistitis osculandos. Campanus quoque perrexit in Livoniam, post disceptationem illam de ponendo Grodnæ domicilio, a rege cum bona gratia dimissus. Multa inibi suorum laboris et industriæ lætus comperit documenta : non eos demum magnam partem esse Livones Estonesque, quos nuper reliquisset : fractam esse ministrorum hæreticorum audaciam : conciliatos civium erga Socios ad benevolentiam animos : Rigæ fundos jam aliquot, unde annuum caperetur vectigal, civico senatus consulto emancipatos : infantes ipsos nongentos septuaginta amplius lustrico baptismi fonte ablutos : complures viros fœminasque vel a superstitionibus, vel ab hæresi ad religionem et rectius vitæ institutum revocatos : quin aliqua etiam mira per Socios divinitus patrata : aqua lustrali amuletisque sacris depulsa multa morborum genera, veneficia, terricula cacodæmonum : rationes lucri accolis maris Baltici miro modo restitutas.

Frugiferi labores in Livonia.

Querebantur illi, regionem suam maritimam, olim piscatu oppido quæstuosam, hodie omnium esse infelicissimam ex eo jam tempore, quo advenæ Lutherani ad

(1) Vid. libri ejusdem, num. 13.

eam consedissent. Primo istorum mortalium adventu omne genus piscium vel 1584
emortuum, vel alio, ac si gavias cephosque conspexissent, aversum esse. Orant 25. Ritualium precationum vis in piscatu. P. Rubeni curæ.
Collegii Rigensis rectorem Leonardum Rubenum, veneficio medicinam aliquam ut afferat. Experti mox piscatores, ritualibus sacerdotum catholicorum precationibus divinam inesse virtutem : rediit continuo aquis sua fœcunditas. Inde, læti beneficio, Leonardum vicatim ductant; atque hi suis retibus, illi stabulis et hortis, alii rebus familiaribus aliis adversus dæmonum maleficia Deus famuli sui precatione virtutem similiter ut impertiat, orant. Omnes fere, quotquot erant a Sociis instituti, sic in studio catholicæ religionis erant deinceps firmi, ut, sæpius fide sua tentata, omni asseveratione confirmarent, animas se prius,
quam religionem sibi commendatam, dimissuros. In his erat vir nobilissi- 26. Catholicorum virtus.
mus, Fridericus Ducerus, nuper ad populum fidelem aggregatus, ac propterea invidiosus adeo hæreticis, ut quæreretur ad necem. Ducerus in circulis, Ducerus in popinis maxime et ganeis, telis invidiæ omnibus configitur. In
isto mortalium conventu aliquis, ad mentionem de Friderico illatam, vino et 27. Sanguinarii hominis in suo crimine pœna.
bile plenus : quin jam, inquit, excurrimus, atque papistam hunc novum confodimus? Ilicet gladiis succincti evolant. Sed facinus vindicta divina antevertit. In ipso procursu concitator procumbit : a cerdone, alio collineante illo, e fistula ferrea trajectus. Ita suos Deus suis tegit præsidiis, maleficis in interitum ruentibus.

Derpati, in excolenda Estonum gente, agresti illa quidem ingenio, sed ad pie- 28. Estones ad religionem erudiuntur.
tatis studium propenso, industria Sociorum utiliter versabatur. Jam Estonicæ difficultatem linguæ advenæ nostri exercitatione et usu infregerant; scite inter eos concionabatur Derpati P. Thomas Busæus. In foro Joannes Velcherus, in medias se nundinas paganorum insinuans, elementa fidei ex lapide aut stipite, quo turbæ esset conspectior, contenta voce, ut animos ad orationem suam adverterent, monebat. Tum, facta sibi audientia, orationem dominicam, angelicam salutationem, apostolorum symbolum, recitabat cum populo; inde agmen, ex intervenientibus auctum, carmen sacrum continuans, ad templum deducebat. Ad aram opperiebatur populum sacerdos, operaturus sacris, si festus esset dies, matutino : si profestus, pomeridiano tempore, hortator e Collegio expectabat. Post hæc Velcherus cum cœtu suo rursus in forum; ibi legis christianæ præcepta, ternis quaternisve cœtibus coactis, magister exponebat. Mirum, quanto, quam alacri id erat obsequentis populi studio. Nimirum, quod jam diximus, [gens est, ut simplex et facile versatilis, sic ad religionem omnem, cujuscujus te sibi magistrum obtuleris, voluntate propensa; itaque et quæ ipsis narras, perattente auscultant:

1584

29. Derpati et Rigæ apertæ scholæ.

et, ut quidvis imperes, rogant: et casas suas ut visas, ut his, ut frugibus, quarum tibi manipulos in templo etiam certatim offerent, ut stabulis denique suis faustam precem impertias, precantur. Placuit ad ludum etiam litterarium tum Derpati, tum Rigæ juventutem convocari. Plerique hæreticorum etiam filii in disciplinam vel a parentibus vel a tutoribus traditi. Rigensis Collegii familiaris res aucta duobus prædiis (1), et area et horto intra urbis mœnia. In prædio Ablein colonus, verna improbus, isque magicarum artium plebeculæ seductæ magister, prætoris decreto damnatus ad rogum, adduci nulla ratione potuit, ut resipisceret. De toto corpore exusto cor ipsum reliquum igni consumi non potuit, nisi concisum minutatim Ex flamma tam enormiter illud intumuisse visum, ut petasi æquaret magnitudinem. Incrementa Collegii et studiorum progressus ferre jam non poterant hæretici, ministris maxime suis instigantibus: maledictis illi quietos, famosis libellis, et, quibusquibus possunt, injuriis lacessere; in primis Lemkenus, Lutheranicus præco, signifer ad turbas ciendas audacissimus. In id totus ille cum suorum administris facinorum incubuit, consilia Sociorum ut dissiparet omnia, nihilque fidei et auctoritatis, apud cives jam rationibus optimis comparatæ, Sociis relinqueret. Gliscente per factionem malo, non existimatio tantum nostrorum, sed civium etiam salus, agebatur; quare Collegii rector Leonardus Rubenus monendos civitatis magistros putavit: « meminissent, quid de se regi Poloniæ, quid « gubernatori Livoniæ Radivillo principi recepissent; inhiberent ministrorum « audaciam suorum boni cives commodo suo: Socios per sua munera otio frui « sinerent. » Non defuit quidem partibus suis magistratus: coacto cœtu turbulentis capitibus modestiam severo præcepit edicto; verum id fuit crabrones irritasse: altero enim post die, pridie natalis Salvatoris, multa Lemkenus ad concionem declamavit nefanda. Ut correpta ex omni trivio et ganea in catholicos sua omittam convitia, non est veritus præco illoto sermone Romana sacra contaminare omnia: Summum Pontificem conferre cum Antichristo, atque hujus Antichristi emissarios et antesignanos esse Jesuitas, germanam sobolem Luciperi. « Ne vultus eorum ad gravitatem homines, ne mores ad hu« manitatem fictos mirarentur imprudentes: propius homines inspicerent, « atque in animos, quos jam penetrasset ipse, pervaderent; perspecturi tum « enimvero, quibus incauti adhuc magistris auscultassent, hortabatur. Non « optime civitati suæ providentia regis consultum esse, qui Moscovitis hostibus « fortunarum depulsis, ipsarum perniciem sanctitatum, Jesuitas intulisset. Re-

Magi cor monstrosum.

30. Rigensium hæreticorum tumultus.

Seditiosæ conciones.

(1) Prædium alterum Agercellarius dictum, alterum Ablein.

« vocandos satius, qui opibus suis, quam uti sustineantur, qui rationibus sa- 1584
« lutis publicæ officerent. »

Stulta quidem illa, mendaciorumque plena, erat ministri criminatio; valuit nihilo minus, in vulgus eo, ut excitarentur turbæ continuo. Jam illi hoc ipso die diri aliquid perpetrassent; nisi in portas tum templi tum domus clausas incidissent. Præstolandum itaque commotis erat ad tempus diei insequentis matutinum, idque natalitiis Salvatoris Domini sacrum, quo populus fidelis maturius se ad laudes Christo nato cantandas conferre solet, facinoribus suis meditatis magis idoneum. Interim, ne quid maleficii omittant, fores templi sordibus fœdissime collutulant, carminibusque cœno ipso turpioribus conscriptis opplent. Primo lucis tempore, ubi catholici ad comprecandum convenerunt, irrumpunt in ædem sacram Lutherani; atque hos pugnis illos lapidibus dissipant. Maleficiis denique fatigati in aream templi se revocant. Subducturus interim sacrilegis latronibus reliqua Michael Morienus, adjutor Sociorum, æditus, fores templi occludit placide. Pervasit repente civitatem de tumultu rumor : ex omnibus vicis ad Collegii domicilium, quasi ad oppugnanda hostium castra, concurritur. Maledictis, minis furentium armisque omnia circumsonant; nihil jam propius abest, quam ut effringantur templi et domicilii fores, natoque Salvatori innocentium sanguine perlitetur. Sed in eo furore meditati aliquid consilii fuit maleficis : eliciendos illi prius Socios e domicilio, quam reliqua vis inferretur, censuerunt; quo pacto adhiberetur apud judices calumnia : ipsos hospites ad levem circitorum motum tumultuose armatos erupisse.

Cædes et sacrilegia.

Omnibus ergo maleficiis, quibus obsessorum patientia vincatur, rem tentant. Immisit se aliquis in eas furentium turmas, ad coercendam plebis insaniam missus a consulibus. Rem hic etiam malam abstulit, misere pugnis calcibusque a plebe concisus. Gaudebat interim domi Lemkenus, et suæ vim eloquentiæ, qua rem præclaram adeo in animis civium perfecisset, inter uxores suas ancillasque gloriosus mirabatur. Effringitur denique templi janua; irrumpunt toto agmine. Morienum, tota jactatum æde, prope contrucidant; vasa templi et supellectilem et aras et signa sacra vel diripiunt, vel confracta conculcant. Inde fores domicilii insultare : neque milites præsidiarios, qui cum præfecto suo accurrerant, vim frustra prohibentes, neque minas magistratus morari, quin argutiis etiam præfectum ludificari inficetis. Pluribus deinde ex arce vocatis, latrones dispulsi, præsidiumque domui impositum.

Respirante ex eo tumultu Socios postridie visunt Consules; « renuntiant, « dixisse jam reos causam in prætorio : actum per eos sententia omnium

1584 « maligne : injurias Patribus illatas magistratum acerbe, itaque ferre, ac si « ipse his affectus esset : simul ac suspicio tumultus increpuit, nihil magi- « stros civitatis omisisse, quo Patribus succurri posset : vigilaturos se dein- « ceps ad tutelam curiosius : fenestras atque alia, quæ per tumultum corrupta « forent, se suis sumptibus refecturos. Atque hæc quidem, addunt, civitas nostra « vobis, Patres, de se pollicetur ; jam quid a vobis vicissim postulet, si quidem « volueritis, facile vestra nostraque pace præstabitis. Tabulæ in primis refigantur, « quas ex fani vestri valvis prætereunti venditatis populo ; tametsi in ipsis nihil « sit, præter indicem auctorum et rerum scholasticarum in gymnasio vestro expli- « candarum, res tamen nova multis videtur, quæ ad invidiam in vulgo concitan- « dam valeat. Sustinere haud potest ejusmodi merces vestras plebs stulta ; eas « igitur magistratus noster putat removendas. Alterum est, quod cœmeterium, « omnibus ante pervium, erecta nuper porta, occluseritis. Postremum magistra- « tus etiam postulat, ut ne campani æris pulsatione, quemadmodum in ista fecistis « turba, civitatem inde concitetis. »

Magistratui et internuntio pro benevolentia et tutela gratiis ampliter actis, Rubenus, amplioribus eam munerum suorum observantiam et fidem regi commendaturus testimoniis, ad ea, quæ ipsi causarentur, quæque a Sociis exigerent, respondet : « tabulas primo scholasticas more suo, fide bona, nullius causa invidiæ « propositas ; easque certe se refixuros fuisse,si quis se civitatis nomine monuisset. « Portulam areæ, biduo ante positam, biduum totum interdiu patuisse. Signum « tumultus Polonum quendam catholicum dedisse, injussu ullius suo, ipso vide- « licet urgente periculo. Sed ecquid aliud in suo pariter discrimine faciendum sibi « putarent ipsi boni consules, quam piorum opem civium, quoquo fieri modo posset, « adversus hostium impetus implorandam ? Quem illi unum mortalium vellent esse « tam miserum, cui ne admonere quidem vicinos de sui periculo capitis liceat ? « Civium fidei, præsidum tutelæ, Socios a rege, a gubernatore cardinale esse « commendatos ; quid igitur est, quod ægre ferant tutores sui, si vel per omnes « tinnitus, omnibus crepitaculis a periclitantibus invocentur ? Arceant deinceps, « præsides mortalium, cœlestes Genii importunitatem hostium a Collegio quam « longissime : quod si pariter malum ingruerit, se certe ad eadem sua classica « convolaturos pariter : quo pacto constet omnibus, eos se hic hospites esse, quos « pietas civium et fides sartos tectosque velit. Jam quod ad tumultus causam « attinet, ne ipsi etiam judices dissimularent veritatem : turbarum scilicet causam « non suam cœmeterii portam, neque scholarum tabulas, sed, quod res esset,

« catholicam religionem, Lutheri ministros, plebis evocatores, in his Lemkenum 1585
« esse. In re tam manifesta quia nullus neque inficiandi reis neque judicibus « excusandi locus fuit, deprecati Socios, securitatem Collegio et catholicis præsi- « diumque a magistratu pollicentur.

Ea fretus cautione rector, quinquaginta milites, quos arcis Dunæmundanæ præfectus ad tutandum Collegium adduxerat (admiratus hominis, ejusque Lutherani, benevolentiam,cum habenda immortaliter eidem gratia), remisit. Et præsides quidem civitatis fidem suam inde nostris præclare approbarunt in turbis, rursus a plebe Lutheranica excitatis, anno 1585 vix dum inito. Concionum fluctus commovit scholæ Lutheranæ rector Mollerus, Lemkenii gregalis germanissimus. Suam hic quoque mandebat bilem, parturiens animo multa, singultansque ex cathedris adversus Papistas et monstrum, hæreticis Romæ nuper natum, Gregorii scilicet XIII kalendarium; ex quo jam magistratus Rigensis sua agebat omnia. Ille senatus etiam sui damnare sententiam, et seditionibus plebem agitare. Effecitque præceptor oratione arguta, ut vulgus IV nonas januarias natalem Christi diem, mox Circumcisionis IV idus ejusdem mensis, quasi hi dies e fastis essent veteribus, obirent. Non placuit plerisque, dissidentibus etiam, ea per Mollerum perturbatorum farrago temporum, in primis Nicolao Hekkio, Præfecti urbici vicario, et Gottardo Vellingo, civico actori, ut vocant, syndico. Ab his accersitur in prætorium veteris kalendarii novus opifex : causa dicta, ibidem pro sonte traditur in custodiam. Urebatur maxime siti captivus, ex nupera vel declamatione sua præco, vel potator ex crapula; ad fenestram ergo carceris, voce clamitans rauca, prætereuntes, combibones maxime suos, obsecrabat, poculum utique frigidæ misere pereunti impingerent. Gravis oppido, atque supplicio acerbior ea sitibundi hominis miseria suo, nescio cui, gregali visa; convocare ille ad fenestram populum, et cum captivo ejulare, opem implorare plebis adversus iniquum atque impotentem consulum suorum dominatum. Vulgus, ut mobili est animo, et prompto ad facinus quodvis, concurrunt facile, atque agmine facto, effractis prætorii claustris, Mollerum suum eripiunt; inde frementes ad Neunerium, prædicantium suorum antistitem; qui litem Mollero apud prætorem primus intendisset. Pro dignitate muneris sui ab ovibus suis tractatus pastor. Male tum fuit et capiti suo et scapulis. Rem ad hæc pastoris familiarem distraxere. Hinc ad Hekkium et Vellingum fanatici; ad eos scilicet, quos Neunerus in crimen trahebat, tanquam suasores ejus culpæ suæ atque impulsores. Prudentiores hi, fuga periculum prævertertunt. Domus suæ pariter direptæ. Inter hæc tempestas Collegio impendebat

Turbæ ibidem aliæ.

1585 Sociorum et Catholicorum civium pericula.

maxima. Ejus rei minime conscium rectorem domus monent ipsi, cæteris æquiores, Lutherani, salutis periculum Socii fuga ut antevertant. Metuendum idem erat reliquo etiam catholicorum gregi, candido illi et infrequenti. Hos prius Leonardus, quam de se aliquid statuisset, commonendos putavit. Illi confestim ad templum : non quod inter eos parietes asylum se nacturos putabant ; norant enim, periculis jam docti, nullam loci sanctitatem ab hostibus istis esse immunem posse ; sed ut ante aras potius, fidem suam Deo professi, quam usquam in latebris, quando quidem occumbendum esset, hæreticorum gladiis occumberent. Commendabant hic se numini divino supplices, tanquam ad certam necem destinati. Cum trepidi opperiuntur vim grassatorum, atque inter se consultant, in vestigio persistendum, an, prælato sacræ crucis labaro, obviam hostibus prodeundum ; ecce tibi globus latrocinantium amplius mille : gladiis et securibus ad septa templi concrepant : cœmeterii portam arietant : hac maxime parte oppugnant domum, quod vel aditus aliunde non esset tam facilis, vel a domo Dei aggredienda esse facinora statuissent. Ab eo etiam scelere persequendo aliquorum consilio civium continentur ; moniti, quiescerent tantisper utique, dum illucesceret ; « diem ac « noctem fere totam ab oppugnatione prætorii sine requiete tumultuati ; elapsos « esse, quos oppugnarent : ad arcis præfectum confugisse. Disceptantibus pertinacioribus consilium, quatuor militum centuriæ ab arce cum armis signisque advolant : pars consistunt in foro, jussi vigilare ad turbas : pars ad obsessum missi Collegium, latrones dispergunt. His ad custodiam dispositis, superveniunt quatuor viri consulares : miserantur Sociorum in suo isto infelici oppido conditionem ; « obtestantur Superos, nihil sibi certaminis esse cum Patribus : ipsis etiam consu- « libus infestam plebem agitari : non defuturos se Collegio Sociorum, si vel cum « sanguine vita sit profundenda. » Securitatis deinde majoris causa duplicant custodias. Piguit jam Socios turbinibus istis diu noctuque jactari, neque laboribus suis et patientiæ fructum in agro tam maligno respondere. Cum apertæ sunt oppidi portæ (nam ab idibus januariis ad februarias prope kalendas attinebantur claustris), pars ad paganos christiana erudiendos doctrina evolavit, pars ad

Dissipantur Socii.

solatium catholicorum et curam resedit ; perfugio, si quid ingruisset, a præfecto mœnium in arce proposito.

Ipse post alios Leonardus Vendam, quo a cardinale vocabatur, perrexit ; id ex animo, ut optima erat vir et spectatissima fide, professus, abire se, non quod ab hostibus capiti metueret suo ; hoc enim discrimine religionis causa nihil sibi esse optatius ; sed ut principi obsequeretur vocanti, tum ut securitati Sodalitatis suæ

per consilia principis prospiceret : ut denique experiretur, an, si ipse et aliqui secum abessent Socii, reliqui invidia civium levarentur. Vendæ hospitio principis usus, tum per se ipse oppidanis, tum per Socios ex urbe dimissos paganis, operam navavit utilem; benignitate divina famuli sui ægritudines multis abstergente solatiis. Ad eum Volmaria, Romburgo, Pernavia, aliisque ex parœciis sacerdotes, tanquam ad magistrum, disciplinæ ecclesiasticæ consultum, frequentes se conferebant; utque in gymnasiis Societatis erant instituti, ac propterea Ordinis hujus amantes, revisendi etiam gratia adibant. Rigæ interea consenescebat invidia. Tædere jam cœpit ejus civilis belli turbulentis concionibus tamdiu agitatos. Inquietos compressit edicti metus regii, nonis junii per cardinalem antistitem promulgati. Hoc ardeliones Lutheranicos sic perculit, ut, obliti continuo et invidiæ recentis et rixæ, ultro se nostris dederent, et Possevino jam (qui Rigam per autumnum advenerat) deprecatore apud regem uti vellent, idque primum orant : alterum, ut magistratum et plebem, adhuc inter se dissidentes, arbiter conciliet. Egit ille, quod potuit; sic moderatus officium, ut hominem Societatis religiosum decuit; commonitis primum partibus, « tranquille omnia prudenterque, civi-« tatum bene moratarum exemplo agerent : disceptantes de religione pacati, atque « ipsius cognoscendæ veritatis cupidi, auscultarent : nulli utique per doctrinam « catholicam vim fieri : neminem ad profitendum cogi. Considerarent præterea « dignitatem et benevolentiam regis augustissimi, neque sua abuterentur cle-« mentia : criminum veniam ipse per se matureque exposcerent. »

1585

Rubenus Vendæ nactus hospitium.

Rigensium turbæ compressæ.

Cum his agit Possevinus.

Ita monitis beneque sperare jussis Rigensibus sequester, ad lites etiam dirimendas, quæ Vendensium episcopo cum suis civibus iræque intervenerant, invitatus abit. Perfecit consilio, ut Vendensis urbis præfectus Volmariensem arcem, quod adhuc pertinaciter abnuebat, dimitteret episcopo, jure suo postulanti. Inde Derpatum visit, ubi, quoniam populo doctrina catholica linguis erat tradenda variis pro varietate usus in vulgo, lotavica scilicet, estonica, germanica, lituanica, suedica, polonica, latina; Seminarium interpretum, quorum opera Socii uterentur, instituit, deducta (1) e Collegio Brunsbergensi colonia. Triceni ex eo alumnorum Pontificis Romani sodalitio venerant; his conatus Sociorum pro sua parte adjutantibus, latius per Livonicas, Curlandicas, et Samogiticas regiones labor ad utilitatem gentium manabat. Subinde (2) schola grammaticæ duas in classes divisa : attributum (3) Collegio templum, augustius illud, Beatæ Mariæ Virgini sacrum, cum area et vicinis aliquot domunculis. Data horum a rege Stephano possessio

Vendenses Episcopo conciliat.

31.

Derpatensium pietas.

Domus stabilitur Collegii.

V. Appendicem libri.

(1) Alumni Pontificii, Brunsberga acciti, Socios adjutant. — (2) Scholæ institutæ. — (3) Collegii res aucta.

1585 die Virginis sine labe primigenia conceptæ; addita mox cum re familiari vectigalia certa, et pagus cum sexaginta et centum colonis, et sylva cædua ad plura passuum millia procurrens. Eodem die officia pietatis Socii ab instauratione suo ritu votorum exorsi. Multo clementius illi Derpati a civibus habiti quam Rigæ: mitius quippe genti huic ingenium, et animus ad studia rerum divinarum habilior. Statim, ut apertæ sunt scholæ, pueros suos amplius centum coegit civitas. Modestius ibidem hæretici etiam de vera religione a concionatoribus doctrinas exceptabant: fructus proinde salutaris proveniebat jucundior multo atque uberior. Infantes ipsi amplius mille ducenti sacro baptismi fonte abluti. Templa quidem in Estonia sunt non pauca; sed a ministris sacrorum magna circum solitudo; ad ea pro se quisque precibus invitando, Collegium distrahebant. Septuagies amplius intra tempus semestre ex oppido ad remotiores pagos excursum. Complura salutis negotia facile transacta, magno animorum commodo, et singulari utrinque voluptate. Simul atque nuntiatum, sacerdotem a Societate ad ipsos accessisse, confestim viciniæ commoventur: ad excipiendam doctrinam alacres convolant: quotidie prima luce conventant; ut vel sacrificantem videant, vel de vitæ institutis christianæ aliquid condiscant. Illi nos communiter parentes, salutis procuratores suæ, vocitare: fidenter consulere: quibus de rebus gratificari possint, inter se quærere. Ut alia omittam studia, ærea duo campana grandia, alterum in terram defossum, Moscovitis Livoniam prædantibus, demersum in fluvio alterum, magno eruunt conatu, ad aream templi advolvunt, ultroque donant Collegio.

32. Gregorii XIII obitus et laus.

Nuntius de obitu Gregorii XIII Pontificis, quarto supra octogesimum ætatis suæ anno IV idus apriles ex humanis sublati, cum universam christianam Ecclesiam tum Societatem nostram luctu affecit gravi. Ut in hoc etiam opusculo nostro grati aliquod extet monumentum animi, aliquas boni pastoris laudes ex vitis rebusque gestis Romanorum Pontificum, ab Alphonso Ciaconio, et Augustino Aldoino, e Societate nostra scriptore, collectis, ne verbis quidem horum mutatis, attexo:

« Gregorius XIII, Hugo Boncompagnus ante pontificatum vocatus, patria Bono-
« niensis, Christophoro Boncompagno et Angela Mareschalla, nobilibus paren-
« tibus, anno 1502, VII nonas januarii, natus, honestis institutus moribus, studiis
« legum addictus, brevi tempore, in eo scientiæ genere progressus faciens, jus
« apud suos cives per annos octo interpretatus, Romam veniens, Capitolii judex,
« scriptor apostolicus, majoris parci abbreviator, forensibus et gratiæ libellis
« referendis præfectus a Paulo III, ad Concilium Tridentinum missus, cameræ apo-
« stolicæ auditoris locumtenens, secretarius apostolicus, Campaniæ prolegatus,

« sub Paulo IV Alphonsi Caraffæ cardinalis (cui regentatus cameræ apostolicæ 1585
« ab eodem Pontifice novo more delatus fuerat) vicesgerens, eundem cardinalem
« in Flandriam ad Philippum II legatum comitatus, dein episcopus Vestanus, ac
« mox sub Pio IV ad Concilium Tridentinum secundo missus, in urbem reversus
« ab eodem Pontifice purpura inter presbyteros cardinales tit. S. Sixti cohone-
« status, et brevibus apostolicis præfectus fuit. Mox in Hispaniam pro Caranzæ
« archiepiscopi Toletani causa legatus, inde feliciter acta legatione rediens, Romæ
« paululum moratus, Pio V Pontifice, Bononiam discessit; unde paulo ante Pon-
« tificis obitum remigrans, Pio V mortuo, altero die post conclavis ingressum
« (quæ fuit III idus martii 1572, cardinalium accessu, quæ Spiritus Sancti dicitur
« electio) magna omnium lætitia, et ingenti suarum virtutum expectatione, Maxi-
« miliano II imperatore, Pontifex maximus renuntiatus est. In ipsa Pentecostes
« festivitate coronatus, pecunias, quæ in coronatione adstanti plebi spargi con-
« sueverant, piis locis dari præcepit. Quæ summa ad 15 aureorum millia ascendit,
« quibus etiam 20 millia adjecit, pauperibus eroganda; quæ conclavistis, ut vocant,
« dari noluit, quod tam brevi pontificiæ electionis tempore parum molestiæ aut
« laboris tulissent. Initio pontificatus redintegrando cum Turcis fœderi et cœptæ
« contra hostes fidei expeditioni animum intendit; quare Marcum Antonium Colu-
« mnam quem comitiorum tempore cardinales ecclesiasticis copiis præfecerant,
« urbe jam egressum, in eodem munere confirmavit. Hispaniæ et Galliæ reges,
« qui adversus hæreticos præliabantur, adjuvit. Tria et viginti Collegia in
« diversis orbis partibus extruxit, et continuo redditu locupletavit; ex quibus
« Romæ sunt : Germanicum, Britannicum, Neophytorum, Græcorum, Maronita-
« rum, et quod Romanum vocamus, ubi a Societatis Jesu Patribus non minus
« scientiarum quam virtutum ornamentis Romana juventus instituitur. Dissi-
« dentes aliquot civitates prudenti industria et opera pacavit. Excellens ejus erga
« plebem, nobiles, ac ipsos etiam principes, toto sui pontificatus tempore, libera-
« litas, præsertim 1575 in quo jubilæum celebratum fuit, mirabiliter se expli-
« cuit; ac ne quidquam seu civium seu advenarum commoditati deesset, diligenter
« curavit; quod, ut multa paucis complectar, constant, si HS octingentos in
« pauperes distribuisse, referam : ut statuæ a Romanis in Capitolio ad Pontificis
« honorem erectæ elogium declarat. Urbis vias straverat, ædificia multa erexerat;
« senatorium fontem, refectis fornicibus, restituit. Aquam virginem in urbem
« duxit. Romanam academiam, quæ Sapientia dicitur, instauravit. Italiam gravi
« pestilentia, in primis Tridentum, Mediolanum et Venetias vexante, distributa

1585 « in pauperes pecunia, supplicationes indixit, et sanctissimis precibus Romam ea « clade liberavit. Viam, quæ Lauretum ducit, magno pecuniæ impendio, depressis « montibus, et convallibus subjectis, constravit. Genuenses distractos civili « discordia, Morono cardinale legato, repressit. Polonis, ut regem de catholica « religione bene sentientem eligerent, auctor fuit; a quibus Stephanus Batorius « creatus rex, continuo per oratorem suum Pontifici salutato obedientiam pro- « misit... Hoc sedente, SS. Abundii et Abundantii martyrum in foro Boario nec « non SS. Joannis et Pauli inventæ fuèrunt reliquiæ; illas Societatis Jesu Patres « in Ecclesiam suam, nomini Jesu sacratam, Gregorio donante, transportarunt, « atque in loco ornatissimo collocarunt Præter solitos principum catholicorum « legatos, etiam Ægypti, Æthiopiæ, et Moschorum oratores liberaliter accepit, et « benigne audivit; quibuscum misso Antonio Possevino Societatis Jesu alumno, « eruditionis, pietatis et prudentiæ viro laudibus insigni, eos, post magnum gra- « vissimumque bellum, ad pacem cum Stephano Batorio Polonorum rege et eorun- « dem Moscovitarum principe reduxit. Ingentem præsertim ipse Pontifex ex « Japoniorum regum legatione accepit lætitiam; ad quem Franciscus Bungi rex, « Protasius Arimanorum, et Bartholomæus Omurenorum, suorum oratores mise- « rant; qui, triennio in navigatione consumpto, IX kal. april. 1585 Gregorio Pon- « tifici procubuerunt. Sed, proh dolor! hanc communem lætitiam inopinatus dolor « occupavit : nam eodem anno, feria IV, 10 aprilis, hora ferme 19, Romæ in « palatio Vaticano, anno ætatis 84, pontificatus 12, mense decimo, e vita migra- « vit. Erat Gregorius in audiendis negotiis patiens, in transigendis solers, elo- « quio gravis, responsis opportunus, natura benignus et misericors, victu ac potu « temperantissimus, in pauperes et doctos beneficus, et mirum in modum liberalis. « Fama est, integrum vitæ et laudabili exemplo Franciscani Ordinis virum in « Aræ-Cœlano monasterio decumbentem, et cum morte luctantem, eo momento, « quo Gregorius migrabat e vita, amissa pene sentiendi et loquendi facultate, « repente, quasi e gravi somno excitatum, manibus oculisque erectis in cœlum, « lætitia gestientem, adstantibus dixisse : aspicite! aspicite Gregorii animam, « angelorum ministerio ad beatorum sedes evolantem. O felicem animam! Obstu- « puerunt, qui aderant, religiosi instituti professores, vix scientes, Pontificem ægro- « tare; at ille, eadem lætissimo vultu et vocibus iterans, mortalium ærumnas « deseruit. Religiosos Societatis viros ad publicas supplicationes cogi vetuit con- « stitutione : *Quæcumque* etc. Institutum et privilegia confirmavit constit. 89 : « *Ascendente Domino* etc. S. Annæ diem festum instituit constit. 87 : *Sancta Mater*

« *Ecclesia* etc. Congregationem scholarum externarum Societatis Jesu sub invo- 1585
« catione Visitationis B. Virginis Mariæ constit. 97 : *Omnipotentis* etc. approba-
« vit. » Tria nostris et viginti condidit domicilia etc. Multa et præclare egit, et scripsit sapienter. Scripta Gregorii recenset idem in vitis Pontificum Oldoinus. Kalendarium ejus perpetuum erant, qui non probarent. Commendandum proin fuit, apologiis etiam, adversus hæreticos maxime, tuendum; idque cum Christophoro Clavio e Societate nostra inclyto mathematico complures laudibus astronomicæ scientiæ inclyti præstitere. Multi eundem Pontificem eruditi ac principes viri scriptis celebrarunt; inter eos cardinalis, Varmiensium episcopus, Stanislaus Hosius in epistola operum suorum nuncupatoria ita Pontificem optimum maximum alloquitur : « Gregorius Pontifex appellaris, et es : cui nomini sic actiones tuæ « respondent omnes, ut vigilantiorem Pontificem hoc nostrum sæculum tulisse « nullum videatur. Nec enim unquam oblivisceris, quod non urbis, verum orbis es « Pontifex : itaque non unius civitatis mœnibus (quamlibet illustris ea sit et ampla) « nec unius aut alterius nationis finibus, sed, quam late patet orbis totus chri- « stianus, ejus ambitu pontificatum tuum esse vis circumscriptum. Ad omnes ex « æquo curas et cogitationes tuas derivas; et orientales et septemtrionales ac « Indos ex æquo respicis, non alia de re magis sollicitus, quam ut ad ovile Christi « revocari possint, quotquot ab eo satanæ fraudibus abductos esse vides. »

33. Alphonsus Salmeron nuntius à Pontifice ad Polonos.

Qui primus omnium ex Ordine nostro in Poloniam nomen Societatis et famam intulit, ad Polonos nuntius a Paulo IV, de reliquis duobus e primis divi Patris nostri Ignatii Sociis unus, hoc anno, idibus februariis, e Collegio Neapolitano ad civium societatem supernorum commigravit, Alphonsus Salmeron; multis cum laude præcipua muneribus laboribusque perfunctus. Anno 1555, agente adhuc in humanis beato Societatis parente, a Paulo IV, religionis catholicæ in suum locum restituendæ causa, missus in Poloniam. « Cum Poloniæ regnum (recito « verba dicti supra Alphonsi Ciaconii) inoffenso veluti pede Lutheri impietas per- « currere videretur, sine mora Paulus insignes laude litterarum viros, inter quos « erat Alphonsus Salmeron, vir e Societate Jesu, in Poloniam allegavit. » Idem a Paulo III in Hiberniam cum potestate nuntii apostolici missus, alias Cardinalibus, N. de Motula in Belgium, Carolo Caraffæ ad Venetas, legatis comes additus; ter in Concilio Tridentino Pontificis maximi theologus. Romæ in Palatio ad Pium V verni temporibus jejunii, alias Neapoli, Senis, Bononiæ, Mutinæ, Patavii, aliisque in urbibus Italiæ præcipuis concionator egit multo celebris præconio; primus Collegii et provinciæ Neapolitanæ institutor Socio-

Idem nuntius ad Hibernos.

1585 rum et rector; hæreticorum insignis domitor; litteris Divi Caroli Borromæi cardinalis, ad Concilium Tridentinum datis, commendatus. Anno 1556, quo divus Societatis parens Ignatius translatus est, pridie kalendas sextiles; Lovicii in Polonia habitum est Concilium provinciale, a Nicolao Dzierzgovskio Gnesnensi archiepiscopo coactum, præside Aloysio Lipomanno episcopo Veronensi, Sedis Apostolicæ legato a latere, coercendarum causa hæresium, et cleri in officiis et disciplina continendi. Anno insequente 1557 celebrata item provinciarum synodus Petricoviæ; per eam constituti quatuor inquisitores hæreticæ pravitatis. Interfuit utrique Alphonsus, multumque contulit ad restituendam religionem catholicam et correctionem morum in Polonia. Vir, ut describit Sacchinus, justæ fuit staturæ, firmarum virium, laboris omnis patientissimus: operarius vineæ Domini sedulus et frugifer, cujus similes utinam Ecclesia numeret plurimos.

Duabus in Polonia Synodis interfuit.

Ejus decriptio.

A Romana procuratorum Congregatione provincialium redux anno 1585 ineunte, novas suæ provinciæ attulit suppetias Jacobus Vujekus Vangrovickius, adductis Joanni Campano provinciali septem ex Italia Sociis : inter eos (1) Fabricio Pallavicino, viro e perillustri Genuensium patriciorum familia orto. Philosophiam hic magna cum laude magister explicavit Posnaniæ. Varsaviæ in comitiis Stephanus rex, de confirmando Polocensis Collegii a se conditi, statu retulit ad consilium, ac Societatem (2) sic commendavit civibus, ut quantopere eam amaret, ipsa etiam oratio sua index esset. De negotio Polocensi agens, professus est, ereptam sibi vitam malle, quam non ejus voti sui fieri compotem. Non concessisse regiæ voluntati non potuit hominum invidia. Neque Polocensibus tantum donatio regia gentis consensu confirmata, sed (3) Vilnensibus etiam Academiæ privilegia; per quæ cautum est : ne Academia cancellario subesset externo : ne Collegii prædia stipendiis essent militaribus stativisque obnoxia. Idque ipsius cura principis effectum, Sociis in suo negotio cessantibus; neque de his laborabat, qui intererat conventui (4), nuntius a pontifice Possevinus; aliis omnino ille distractus, quæ scilicet Gregorius de religione catholica sibi commendasset. Et Possevino in ejus etiam procuratione negotii multum fuit invidiæ, quod imperiosius Romani Pontificis nomine agere, quibusdam videbatur, isque homo, in Ordine suo cum paupertate humilitatem professus, ea obiret munera, quæ viris superioris etiam in Ecclesia subsellii forent honorifica; quodque felicius operosa et multa unus negotia transigeret, quam vel susciperent plures. Hinc, quod consequi solet invi-

34. P. Vujek Socios adducit ex Italia.

(1) P. Pallavicinus docet philosophiam Posnaniæ. — (2) Polocensis Collegii fundatio confirmata. — (3) Vilnensis Academiæ privilegia. — (4) Possevini Legati curæ subeunt invidiam.

diam, sermunculi inter malevolos et querimoniæ; ut propterea Claudius Generalis, concedente Gregorio, istis Possevinum curis exsolverit; quin a procuratione etiam seminariorum, quibus præfectus esset in Polonia, revocarit ad conjungenda cum negotiis Campani provincialibus consilia. Per Antonium, ad Polonos legatum, præpositus Aquaviva coloniam Sociorum Polocensem auxit titulo Collegii, præfecto Stanislao Wloszek rectore. Inde (1) Possevinus Rigense et Derpatense pro Campano visit Collegia; quo se turbæ, adversus Socios, quod narravimus, excitatæ vocarunt. Comites habuit PP. Thomam Sallium, Joannem Fornerium, et Christophorum in re domestica adjutorem. 1585

35. Polociæ Sociorum colonia titulo Collegii aucta.

Jucunda quoque eorum recordatio, quæ alibi Sociorum ministerio divina egit benignitas. Peramplos fructus collegit labor ipsius, inter alios satagentis, Petri Skarga. Inter bene multos ad Ecclesiam revocatos duo erant insignes: alter, spirans illud e tripode Calviniano oraculum, triginta ipsos annos repurgatæ, si Deo placet, religionis magister, Adamus Copichus: alter, e castris Societatis pariter ac Romanæ Ecclesiæ perfuga, Christianus Franchenus. His et aliis antepone duos, generis nobilitate, muneribus publicis, et meritis in patriam longe clarissimos: Joannem Dulskium castellanum Culmensem, supremum regni thesaurarium, a puero in aula Augusti I Poloniæ regis inter hæreticos educatum: Ernestum Veiherum, e pervetusta Pomeranica gente, in Prussia familiæ parentem suæ, heroem rebus gestis inclytum, communioni fidelium opera Petri restitutos.

36. Skargæ Petri cura ad Ecclesiam revocati.

Pulchra quoque facultas officii oblata est Alberto Mroskowskio Nesvisiensium Sociorum rectori per auctorem ejus Collegii principem Nicolaum Radivillum Vilnensium præsidem palatinum. Datam sibi nuper in matrimonium Elisabetham Euphemiam, Andreæ Visniovieckii palatini Volhinensium filiam, princeps institutæ ad christianam pietatem vitæ exemplis suæ et consiliis induxit, a Photianis erroribus ad religionis veritatem catholicæ ut respiceret. In suscepto salutis consilio qui eum adjuvaret, Albertum accersiit Sandomiriam; ubi tum conjuges commorabantur ambo. Rite in Ecclesiam accepta totam se pietati dedidit, æquabilemque inde vitæ ad supremum diem tenuit rationem. Elogium hujus in templo Collegii Nesvisiensis exstat hoc et in *Monumentis* Simonis Starowolski: ELISABETHÆ. EUPHEMIÆ. DE. VISNIOVIEC. MATRONÆ. HONESTISSIMÆ. PALMAM. EXTENDENTI. VIDUIS. ET. ORPHANIS. QUÆ. IN. AUGENDO. CULTU. DIVINO. ET. ORNAMENTIS. ECCLESIARUM. TUM. HUJUS. LOCI. ALTARE. HOC. S. CRUCIS. ET. MONASTERIUM. S. EUPHEMIÆ. MUNIFICENTISSIME. AUXIT. TUM. EXTERORUM. FACULTATES. SUAS. HILARITER. DISTRIBUE-

37. Radivillæ principis conversio et vitæ laus.

Epitaphium.

(1) Possevinus Livonica visit domicilia.

1585 BAT. PAUPERES. ELEEMOSYNIS. SUBLEVABAT. HOSPITALE. S. SPIRITUS. LOCUPLETI. PROVENTU. DOTAVIT. CŒNOBIUM. ORDINIS. S. FRANCISCI. FRATRUM. MINORUM. DE. OBSERVANTIA. DEDICATIONIS. S. CATHARINÆ. PATRONÆ. SUÆ. PROPRIIS. SUMPTIBUS. ERIGI. CURAVIT. AD. ALIA. QUOQUE. PIA OPERA. MULTA. LEGAVIT. IN. ORATIONE. ERAT. ASSIDUA. OMNIBUS. DENIQUE. DOTIBUS. EXORNATA. MATER. EGENORUM. VOCABATUR. NICOLAUS. RADZIWILL. CONJUGI. CHARISSIMÆ. ORE. TENUS. ET. EX. TESTAMENTO. REQUISITUS. CUM. LACHRYMIS. POSUIT. GLORIA. EJUS. TANQUAM. FLOS. AGRI. NONDUM. EXPLETO. VIGESIMO. SEPTIMO. ÆTATIS. SUÆ. ANNO. PIE. IN. DOMINO. OBDORMIVIT A SALVATIONE. DOMINI. M.D.C.V.I. MENSE. NOVEMBRI. DIE. NONA. RELICTIS. QUINQUE. FILIIS. ET. TRIBUS. FILIABUS.

Obitus anno 1606.

38. Concionator rusticulus.

Seria hæc et gravia levibus placet lepidisque, satietatis vitandæ causa, variare; unde interim intelligas, quam utiliter in excolendis rusticulis opera interdum collocetur. Paganorum aliquis, e rusculo Vilnensis Collegii in oppidum Bolniki regium Paschatis die ad templum se cum vicinis contulerat. Neminem hic reperiunt, qui sacerdotis præstet officium. Dolet, frustratam se spem suam, cupidus rei divinæ popellus et queritur : rogitant inter se, Evangelium sibi utique aliquis legat. Unus is inventus est, qui utcunque syllabas sciret componere. Sed idem plus, quam expectarent, conatur, homo scilicet simplicissimus : ascendit ille cathedram; tum, lecto Evangelio, veniam a populo, rudi quidem at frequenti illo, a quo facile contemni posset, et benevolentiam precatus : « viri, inquit, fratres, quando quidem « nemo est, qui hoc die, omnium apud christianos religiosissimo, doceat nos, et « ad colendum numen divinum excitet, ea saltem, verbi divini sitientes, accipite, « quæ de mysterio Resurrectionis Dominicæ, ac de futura corporum aliquando « nostrorum e suis cineribus suscitatione a præceptoribus meis jesuitis ac dominis « didicerim. » Inde orsus, totum, quod de re proposita teneret memoria, graviter distincteque percurrit. Laudavit concionatorem suum plebecula, eumque deinceps homini grata honorem habuit, ut diebus maxime festis, ad se, christianæ doctrinæ cupida, donis etiam invitaret.

39. In Suecia reliqui duo e Sociis pulsis operarii periclitantur.

In Suecia de toto Collegio, nuper Stokholmiæ constituto, duo restiterunt Socii sacerdotes : Nikovius quidem Sigismundo principi, consensu etiam hæreticorum, relictus, Ubertus vero Vandelcenius civibus catholicis, quasi racemus ex vindemia, prætermissus. Huic cum parocho Stokholmiensium, quem ad religionem catholicam docendam tuendamque idem hortabatur, communis fuit civilis invidiæ ratio et periculi. Novas rege Joanne celebrante nuptias, de religione catholica, de Romano Pontifice, de Jesuitis, excindendis omnino illis, aut ultra Thulen expel-

lendis, multus fuit inter convivas hæreticos sermo. Inflammavit invidiam maxime modestia principis regii Sigismundi, quod non ipse in orgiis illis Thalassi paterni, toti lætabilibus Sueciæ, exultaret; non compotaret, non choreas duceret pariter. Propterea Sigismundus illis degener, inofficiosus, μισάνθρωπος. Tum Jesuitis, papistis illis, principis corruptoribus, certa jam decretaque pernicies; idque reginæ nubenti invidiose insusurrant. 1585

Illa fœmineis delibuta pigmentis, et ad eblandiendum compta, regi se propinare, de Jesuitis singultim queri, ipsos fastidiose, tanquam papistas, vagos homines ac turbulentos, magistros Sigismundo ut religionum sic morum non optimos, culpitare. Per hymenæum denique omnesque deos nuptiarum præsides suarum obsecrare, ut ne hoc genus hominum in regno suo sustineat; si et sua conjugis amicitia et otio suo civiumque frui beatus velit. Crispavit regi nasum risus ad orationem et illas quiritantis delicate vacias fœminæ, suasorum artificio gypsatissimæ. Querelis interveniunt ipsi mandatores, ad confirmandam recusatricis causam comparati; hos alii consequuntur. Rex conjuge ad quietem remissa, ad instinctores conversus severiore vultu, « quod bonum, inquit, faustumque sit, « si quidem rei, quam hoc tempore scire omnino oporteat, causa non appellati « convenistis. Illi, a convivio non sicci, accusare statim Jesuitas, præjudicare, et « ante regis decretum pellere in exilium cum Stokholmiensi pariter catholicorum curione; » idque tam pertinaciter postulant, ut princeps, permittendum non nihil ratus hominum iracundiæ, decretum quidem de Sociis suspenderit, curionis autem defensionem putaverit negligendam. In periculum capitis bonum virum conjecit ea, non tam regis facilitas, quam insuperabilis expostulantium contumacia. Injuriis expositum ita hominem sua ejiciunt domo; jactatum per urbem in suum raptant fanum : minis pugnisque extundere conantur, ut Papam romanum et religiones catholicas conceptis verbis exsecretur. Tentata nequicquam viri constantia, pulsatum distractumque vestimentis, qualibus in sacrificiis utimur, nunc induunt petulantes, nunc despoliant; eum ludificantes ritum, quo rasi capitis reus jure per pontificem in conspectu Ecclesiæ minuitur. Exauguratum ita compingunt in ergastulum. Haud satis ludorum nuptialium in eo fuit bacchantibus : crudelis passim dementiæ relinquenda erant de spoliis catholicorum ibi civium trophæa. Torquebat misere Nikovium suorum vexatio; neque interim opis afferendæ consilium suppetebat : justitio per bacchanalia edicto, rege per nuptias non vacuo. Videbat quoque Ubertum, ac per hujus latus se a sicariis peti, futurumque fuisse, ut secum ageretur immanius, nisi Sigismundi sui tectus esset præsidio.

Sigismundi modestia commovet hæreticos.

Curionis Stokholmiensis constantia.

1585 Hæreticorum furor. Hostes, quia ipsum adoriri esset difficile, in sacellum Nikovii securibus armati involant; suo maxime pseudo-archiepiscopo ad facinus incitante. Et cœptum quidem illi haud dubie perpetrassent, nisi procerum prudentior quispiam interventu suo furentium vim fregisset. Nuptiis deinde confectis, ubi aula conquievit et civitas, ad gemitus Sigismundi sui squaloremque, tum ad vexationem innocentium animum advertit rex; bene sperare de otio suo jubet et Vandelcenium cum socio, et cives professionis catholicæ, et suum curionem nuper vexatum ab ebriis, dato ei jure in præteritum. Audiit tum porro accitus a rege pseudoepiscopus, turbarum concitator, sensitque suo pro merito. Affines culpæ dedisse pœnas, ajunt, vindici justitiæ divinæ; brevi post vario mortis genere, eoque ad recordationem tristi, omnes, inter eos soror et frater reginæ, oppressi. Multa item dicuntur visa fuisse prodigia; insuper Stokholmiæ sulphure pluisse.

Hæreticorum petulantia punita.

1585

40\. Rectores instituendi Romam mittuntur.

Anno 1586 ineunte, Campanus provincialis, a Transylvania itinere latrociniis infesto, in Poloniam reversus incolumis, statu provinciæ (quam tantisper, dum ipse abesset, administrabat vicarius suus Vujekus Vangrovickius) recognito, e re judicavit fore, si delecti e Sociis Polonis, ad gubernandum idonei, Romam ad rectorum munera, rite ex præscripto divi parentis obeunda, instituendi mitterentur; idque generalis etiam Præpositus probabat. Tres ad id electi: Martinus Ujazdovskius, Lucas Zaleskius (1), et Martinus Laterna; isque complures annos in aula regia concionator latinus, præconiis procerum celebratus. Tametsi hunc rex pius sic amabat, ut secum versari perpetuo vellet; tamen, quia Societatis non minus spectaret commoda, avelli a se passus est, commeatumque obtulit liberaliter (2). In Martini locum suffectus Antonius Arias, in Vilnensi Academia sacræ nuper theologiæ magister, vir doctrinæ et sanctimoniæ laudibus ornatus, ac propterea regi, aulæ, proceribusque carus. Probitas sua ea in luce abscondi nequaquam poterat, tametsi studio humilitatis sincero ipse diligenter occultaret: ex vultu, ex oratione, e concionibus, ex omnibus eo in convictu officiis animus sapientis viri sanctique eminebat pulcherrime. Adamavit Antonium princeps; neque inde jam proprio, sed blandicello utens nomine, animulam divinam vocitabat. Rerum theologicarum scientiam, non studio, ajebat, acquisitam, sed inditam homini divinitus. Laudabat concionantis orationes, ut quæ non essent exquisite comptæ, non calamistris, quales amarent alii, inustæ, sed viriles fortesque: in quibus maxime ratio et sacra Patrum auctoritas triumpharent: quidquid in medium afferret, ipsius esse veritatis oraculum; cupide itaque docentis consilia

41\. Antonii Ariæ in Aula Regia commendatio.

(1) Alibi legitur Zaluski — (2) P. Laterna a rege dimittitur Romam.

exceptabat ; neque sibi tædium afferebat longior etiam concionantis oratio. Cui 1586
aliquando uti moderaretur (ne scilicet proveheretur ultra horam) concionator clepsydram respectabat ; eam, jam effluentem, princeps surripi jussit, monuitque post, ne horarum quadrantibus orationes suas, sed momentis doctrinæ spectans et utilitate, quam semper populo afferret insignem Antonius, deinceps metiretur. Amabat, ut diximus, Martinum Rex, propter eximiam sanctitatem et doctrinam ; dubium utique erat, utrum magis : nam cum alterum ad sua in aula officia rediturum, quod ipse princeps postulabat, nuntiarent, Antonium vero Vilnense suum Collegium repetere : « Martinus quidem, inquit Rex, præstabit, quod pietas sua « et meum quoddam jus postulat ; non continuo tamen dimittendum esse [illegible] « ejus Antonium : nulla mihi vis auctoritasve pignus hoc eripuerit. Utrique apud « me negotia suis theologorum muneribus suffecerint ; utriusque opera uti velim. « Paucis mensibus in aula sua Ariam multa salutaria fecisse compendia : ejus rei « testes esse et secretarium suum Hungarum, et septuaginta septem a sectis va- « riis ad Ecclesiam, plures multo ipsis etiam morum exemplis ad frugem reductos. »

Brunsbergæ septem et octoginta Socii, inter eos novitii triginta ægre alebantur, numero facultates domus superante ; quare Campanus tirones hinc cum suo magistro Roberto Scoto Cracoviam in domicilium ad S. Stephani novum transtulit. Ex Polonia Nesvisium a principe Nicolao Radivillo vocatus ad spectanda, quæ jaceret, templi fundamenta. Sexto kalendas quintiles posita sunt, unaque oppidum vallo et fossa circumdari cœptum. Sed angustiora condendo templo fundamenta visa sunt Georgio cardinali, Nicolai germano. Is fratri auctor fuit, ut, fundamentis aliter jactis, magnificentior ædes conderetur. Lapis angularis ab eodem cardinale XVIII kalendas decembres 1589 consecratus ; ædificia tum templi tum domus 1593 profligata. Apertum populo templum ejusdem anni kalendis novembribus. Jam Grodnam Campanus ad regem, atque indidem ad novas Rigæ turbas iter conversurus, se comparabat : cum ecce de Jesuitis rumusculi, neutiquam lepidi, famoso libello,in Gedanensi hæreticorum taberna procusi, per Germaniam omnemque Poloniam dissipati. Isthæc erat, atque hinc, quod jam narramus, nata criminatoribus turpissimis fabula. « Quatuor a Germania, habitu jesuitico tectos, grandiores natu duos, duos juniores, Stephano regi, homines e Societate Jesu cupide « undique colligenti, a Volfgango archiepiscopo Moguntino, pro sua inter eos « necessitudine, missos esse : eo corporis cultu homines personatos multis impo- « suisse egregie. At suis scelus indiciis tandem proditum : deprehensum scilicet, « eos Jesuitas larva tenus viros, cæterum feminas fuisse, atque alteram earum

42. Brunsberga Novitii Cracoviam translati.

43. Nesvisii templi condendi fundamenta.

44. Hæreticorum calumniæ et libelli famosi.

1586 « Cracoviæ in hospitio assignato a rege fœtum profudisse ; compertum id cauponis « a famulo, vagitibus prolis recens natæ excitato. Id monstri, ut ne publicam « in lucem emergeret, consultum ivisse tres reliquas famæ suæ ; sed suo impru- « dentes probro, ac scelere longe maximo : ut quæ propterea et Socium suum « puerperam, et suum amicæ spurium clanculum jugulassent. »

Reas denique ipsius etiam sui principis sententia, ad Nilum nescio quem Euphratemve, flammis rotaque excruciatas, justitiæ dedisse supplicium. Eam Gedanensium suorum fabellam hæretici, suis ipsorum moribus dignam, dictis scriptisque dissipabant ; at eo id successu, ut turpis commenti auctoribus, non modo fides daretur nulla, sed ipsi etiam suæ homines sectæ succenserent ; pigeretque jam amantiores honesti in isto tam impudentium calumniatorum cœtu conseri : hoc enim facto confirmari videbant, quantum in cæteris,quæ adversus Jesuitas pro suis novis religionibus afferrent ipsi, argumentis inesset veritatis. Commovit ea contumeliæ fœditas Moguntinum primo antistitem, cujus nomen in primis traducebatur per fabulam ; quam ob rem tabellarium ad regem suo cum testimonio contendere jubet magnis itineribus, quo maturius rumori increbrescenti iret obviam. Experrecti eo nuntio rex regnique proceres, ante alios Cracoviensium episcopus Petrus Myszkovskius, et Nicolaus Zebrzydovskius generalis tum Dux regiæ militiæ, post Cracoviensium palatinus, non litteris tantum publicis improborum calumnias confutarunt, sed laudibus etiam innocentiam Sociorum, per ora turpiter traductorum, ornarunt. Exscriptas e monumentis nostris regis litteras, nulla vocula mutata, a rege ad Moguntinum episcopum datas, accipe :

Regis litteræ ad ep. Moguntinum.

« Litteras Paternitatis Vestræ una cum figmento germanico de Patribus quibus- « dam Jesuitis, qui quæ nescimus ob facinora supplicio a nobis affecti in eo fin- « guntur, recte accepimus : fabulamque eam primum nos non sine admiratione « legimus : deinde senatoribus etiam nostris, qui tum circa nos erant, universæque « aulæ nostræ proponi jussimus ; in qua nemo omnium extitit, qui non modo fal- « sissime eam confictam, verum ab omni etiam similitudine veri alienam agnosce- « ret, sicque existimaret, nulla refutatione opus eam habere ; quæ omnibus par- « tibus se ipsa labefactaret. Præterquam enim quod narratio ipsa nullo fere loco « cohæreat, eo etiam tempore Cracoviæ nobis præsentibus res gesta fingitur, quo « nos non modo Cracovia discesseramus, verum etiam aliquamdiu in Magnum « Ducatum nostrum Lituaniæ jam perveneramus. In Nilo deinde perfecta res « scribitur, quo quidem nomine celeberrimum in Ægypto fluvium esse scimus, in « nostro autem regno nullum vel obscurissimum locum extare, qui eo nomine sit.

« Itaque is sensus fere omnium, qui eam agnoscerent, fuit, ut catholicis quidem 1586
« voluptatem tam aperte deprehensa vanitas hæreticorum, hisce pudorem eadem
« Sociorum vanitas afferret : omnes autem pœna dignissimum auctorem censerent,
« qui figmento tam manifesto hominum innocentissimorum famam traducere ausus
« fuerit. Verum natura pravitatis, ut semper fuit, ita nunc etiam est, ut, ubi veri-
« tate contra veritatem efficere nihil potest, ad fabulas atque calumnias confugiat.
« Nos quidem, cum in regno et ditionibus nostris Societatis ejus Patres ad juven-
« tutem excolendam non paucos foveamus, testimonium hoc illis vere tribuere
« possumus : non modo nullum eorum unquam in regno nostro ob facinus aliquod
« supplicio affectum, sed ne accusatum quidem aut minimam suspicionem facinoris
« alicujus unquam in ullum eorum collatam. Itaque omnes vixisse et vivere, ut
« cum religionis ipsius causa dignissimos eos clementia nostra judicemus, tum ob
« singularem pietatem et vitæ sanctimoniam multo etiam cariores nobis sint. Quod
« reliquum est, Paternitatem Vestram quam optime valere cupimus. Grodnæ
« die tertia mensis julii, anno Domini 1586, regni vero nostri nono. »

Satis quidem per sese adversus obtrectatorum audaciam munita erat innocentium causa ; hoc vero, tam luculento regis testimonio, aliorumque principum judicio extitit etiam commendatior, ut ex adverso hæreticorum malignitas apertior.

45. Rigæ hæretici Socios insectantur.

Neque Rigensibus justior fuit sub idem tempus oppugnandi Jesuitas ratio. Ferre sine turbis non poterant hospites Socios hæreticorum ministri ; plebem illi, suarum et decus religionum et præsidium, sollicitare ad tumultus cædesque assidue, quin adversus suum etiam magistratum cooriri : « ut qui Jesuitas et accepisset tam « facile, civitati suæ a rege obtrusos, et indulgentia nimia eos templa divi « Jacobi et S. Magdalenæ cœnobiumque aliaque habere peteretur : adjecisse in- « super oculos Jesuitas ad templum cathedræ pontificiæ, sibi a rege promissum : « inhiare advenas rebus civitatis omnibus, et (quod invidiam inflammabat « maxime) publicum urbis armamentarium eisdem addictum jam per consules, « tumultuose querebantur.

Fidem plebi stultæ fecit error, ex levi suspicione objectus. Ad ædem D. Jacobi in ipso cœmeterio armamentarium civitatis situm erat : præsidiariis, si ad Collegii tutelam contra tumultus civicos armis necesse foret uti, res prompta. Istud pro pignore fidei suæ et securitatis eodem loco senatus esse voluit ; neque alio se translaturum, litteris etiam rite datis, Patribus confirmavit. Non probe consilium magistratus intellexit Simon, ejus scriba chirographi, homulus pangendarum utcunque litterarum, non latinæ item linguæ, qua res tractabatur, sciens. Per

1586 hujus stultitiam dissipatus in vulgum rumor : « armamentarium urbis omneque « jus usumque hujus a consulibus addictum esse Jesuitis. Nihil hoc nuntio hæreti- « corum ministris optatius, in omnem illis evertendi invisi Collegii occasionem « intentis. Emanat continuo in vulgus : armari indulgentia consulum et fraudibus « sectæ inimicos civicæ, Jesuitas; disputationibus ipsis certasse adhuc et litibus « cum civitate advenas; jam telis etiam pugnaturos. Armamentario istis dedito, « quid esse reliquum, quam uti eisdem et arces et præsidia et fana et universam « cum suis urbem fortunis Rigenses subjiciant. »

Hæc in cœtibus, tumultuose coactis, hæretici popæ serunt : hæc in primis Martinus Gisius et Laurentius Eichius queribundi declamant : vidisse se alter eas magistratus litteras ac legisse, per stygem atram jurat; alter, ut se duce impetum in Collegium faciant, plebem inflammat hortator. Lenius populo placuit consilium : conveniret eorum alteruter rectorem Collegii, fraudisque commoneret : e confessione hominis libera reliquum esse statuendum. Adit Gisius, tribunorum plebis et seniorum stipatus sodalitio, verbis ad fraudem accommodatis rogat domus præsidem : « quidquid rei esset, faterentur; nihil sibi cives daturos crimini; omnem, « si qua foret, hæsuram in ipsis civitatis magistris culpam, ut qui rem civicam, « fidei commissam suæ, non Jesuitæ hospites gubernarent. Expedita Rubeno, ipsa « veritate suggerente verba, ad respondendum deliberatio. Negat ullum inter se « armamentario intercessisse compactum ; neque scire se, ullas esse, in eam rem « ultro citroque datas scriptasve litteras, præter eas, quibus consules recepissent « Collegio : tuituros se hanc, toties hostilem in modum oppugnatam, domum suam; « ac propterea, quibus illa defendi possit, arma se præsto habituros. Atqui istuc « omnino aliud esse, atque rem abalienari usu et potestate civitatis, donarique « Jesuitis. Non placuit Gisio deprehensa pro crimine innocentia; itaque furor, « tantisper astutia tectus, contineri non potuit, quin erumperet in maledicta adver- « sus Jesuitas ipsumque regem, omnium sibi malorum Rigæ causam principem ; « ut qui libertatem civium armis oppressisset : obtrusisset homines alienigenas, « versipelles, religionum pontificiarum architectos : fana a Lutheranis suis abalie- « nasset. Plura ejusmodi garrientem interpellat Rubenus, monetque, sacræ « majestatis regiæ nomen religiosius omnibus, subjectis maxime, tractandum : « injuriam principem optimum intulisse nulli : ultum vero esse multo clementius : « ut qui minimam eorum particulam, quæ, catholicis inique erepta hodieque pos- « siderent hæretici, vindicasset. » Hoc dicto obtusus est furor maledici, atque obmutuit. Jam ut suspicionem pactionis Collegium inter et magistratum

Rubenus amoveret, rogatus a senatu, dicta sua testimonio, quod recitamus, confirmavit. 1586

Leonardus Rubenus Essendiensis, Collegii Societatis rector L. S.

« Notum sit omnibus, quorum interest, quod honesti tribuni plebis civitatis Rigensis nos 31 januarii anni 1586 cum notariis ac testibus convenerint, ac quæsierint, utrum sub sigillo civitatis nobis senatus, aut quidam de senatu vendiderint, aut cesserint de armamentario civitatis in cœmeterio S. Jacobi. Responsum: nunquam senatum nobiscum de eo negotio tractasse; multo minus quemquam illorum nobis litteras aut venditionis, aut cessionis, præteritæ aut futuræ, dedisse. Cujus fides cum præter manum notarii a me etiam Collegii nomine petita fuisset, eam subscriptione manus propriæ et sigillo Collegii confirmo. »

Neque sic homines turbulenti cessant; ejusdem criminis nomine, quo accusabatur Collegium, Fridericus etiam Hudenus, juris in civitate consultus, arcessitur: nam et ille ejus compacti litteras legisse ferebatur. Hic quoque constanter negat, tum in templo D. Jacobi coram populo, tum alibi, præsentibus fisci regii præfecto Baltassare Snelio et Gisio. In prætorio denique professus, se nusquam eas vidisse litteras; idque jurejurando, si judices postularint, confirmaturus; Simone nihilo minus pertinaciter asseverante, scriptas esse manu sua senatus nomine litteras, quibus armamentarium proderetur. Rem diu per consilia scrutati frustra consules, nonis februariis occludere portas jubent; rursus trepidi coeunt in prætorium, populo flagitante; rursus ejusdem delationis examen. Jussus, quæ sciret, quæque confirmaret sacramento, ordine edisserere Hudenus, animo verbisque inconstans titubabat. Itaque nihil certi ex prævaricatore exculpi potuit. Gisium interea, scelus anhelantem, omnes furiæ exagitant: expressurum se denique omnem omnino veritatem juratus, cum suo calonum grege contendit ad Collegium. Nihil porro convitiis hic minisque intentatum reliquit, rectore atroces illas quæstiones constanter perferente. In prætorio interim totus fere dies disquisitionibus causæ extrahitur. Diu impos animi Hudenus frigidis et inconstantibus mendaciis causam ancipitem sustinebat, metu simul ac pudore animum versante. Confirmata denique audacia, se quoque eas vidisse litteras pronuntiat. Id testimonii Gisius cum suis plausu et triumphis excipit omnibus. Succlamant cæteri: « Discussam tandem omnem obscuræ adhuc rei caliginem: nihil jam controversiæ « disceptatoribus superesse: in confesso esse collusionem senatus cum Jesuitico « Collegio. » Neque obloqui contra, obstrepente accusatorum turba, cuiquam licuit. Mittitur continuo e prætorio cohors; quæ in vigiliis Collegium, in pri-

1586 mis rectorem, interdiu noctuque observet. Ex ea custodia Rubenus ad senatum et tribunos plebis, octavo idus februarias, in hanc sententiam, germanice scriptas, dat litteras :

Litteræ P. Rubeni ad senatum.

« Angor animo, dum civitatem perturbatam et graviter sollicitam video, litterarum causa, quæ a me exiguntur. Rogo itaque per Deum, ut inanem suspicionem ponatis, ac desinatis frustra inquietari, neu diutius cum publico incommodo clausas esse urbis portas velitis, et causam hanc secetis. De litteris, quæ petuntur, ajo, sancteque confirmo : nihil mihi constare, ita vere, ut coram tribunali divino apparebo. Quin etiam, ut plane civitas sine metu et sollicitudine sit, recipio spondeoque, si quæ unquam litteræ tales apparebunt, eas nullius juris planeque irritas fore. Quod si hoc testimonio vobis satisfieri non potest, atque duobus testibus, quorum alter latine ignorat alter satis inconstanter locutus est, plus fidei tribuendum censueritis quam senatui et nobis : nos quidem nihil præterea coram summa veritate, quæ omnia vincit, dicere unquam poterimus ; vobis vero considerandum erit, si quid gravius attentare volueritis, quemadmodum id coram Deo et supremo nostro magistratu tueri possitis. »

Scriptum suum Leonardus pluribus argumentis Gisio, se cum multis aliis inserenti, confirmavit. Luce denique veritatis, tanquam offusam soli caliginem, criminationum invidiam dissipante, innocentia judicii pœna, Collegium custodiis liberatur ; occlusæ adhuc urbis portæ reserantur. Non poterant sustineri diutius tam crebræ in dies aliæ ex aliis criminationes vexatioque Sociorum perpetua ; ubi itaque data egrediendi facultas, rector confestim contendit Vilnam ad cardinalem Radivillum, et sui Collegii et Rigensium hæreticorum causam dicturus. Modestius ille rem suam principi exposuit, quam injuriarum atrocitas postulasset. Unum id maxime orabat, ut, si quid compacti de armamentario Collegium inter et senatum fuisset (quod certe, gubernatore civitatis et universæ Livoniæ insciente, intercessisse haud poterat), ipse sua auctoritate sancta ac fide testaretur. Nihil ea re potuit æquius, suo etiam justi principis judicio, postulari. Sine mora itaque ad civitatem Rigensem Cardinalis dat (1) litteras ; « quibus, cives ad studium pacis et tranquillitatis « hortatus, nihil se nuntii, vel per levissimum rumusculum de armamentario civi- « tatis publico, Jesuitis tradendo, accepisse monet : quiescerent ergo aliquando « tandem boni cives, criminaque alia ex aliis serere discordiasque omitterent : se- « natum plebes suum vererentur. » At neque hinc ulla œstro percitis medicina. Recepta semel animo suspicio misere Socios, plebem, magistrosque civitatis agitabat.

(1) V. in Appendice hujus libri.

E propinquo Collegii pago Ablein, reversus Vilna in Livoniam, eam Rigensium tempestatem spectabat Leonardus. Cum insanirent adhuc cæteri, Hudenus, instigante criminis conscientia, ut qui in foro adversus innocentes prævaricari non dubitarit, furtim elapsus Riga, ad Leonardum accurrit: genibus Patris accidit: veniam precibus orat et lacrymis: « culpam suam omnem in eos, qui se, rogatu « multo atque minis etiam impulsum, accusatorem, perjurum subornarint, confert: « periculum capitis, quod sibi, objecto etiam tortore, minabantur, nisi testis « adversus Jesuitas prodiisset; mobilitatem humani denique ingenii fragilitatemque causatur. Christiana hominem pietate complexus Pater, bene sperare jubet: « nullam scilicet esse tam pertinacem malitiam, quæ homini pœnitenti divina « miseratione non possit bene vertere: ipsam delicti sui confessionem istasque « deprecantis lacrymas divinæ veniæ pignus esse. Recreatus ea Patris facilitate « Hudenus, orat præterea, ad cœtum catholicorum ut rite aggregetur, divina re- « pente luce præstrictum, quid inter veritatem doctrinæ catholicæ et lutheranæ « commenta sectæ foret, se jam nunc perspicere; ne abnueret Patris voluntas suo « incenso precantis studio, neu mala promeritum rejiceret. »

1586

Hæretici conversio Hudeni.

Plena solatii Leonardo ea fuit supplicantis oratio. Tentata denique animi constantia, paucis post diebus, institutum hominem confirmatumque Deo rite et Ecclesiæ conciliat. Illi inde nihil prius curæ fuit, quam ut, dimisis etiam per civitatem litteris, dicta adversus Jesuitas, consilium ac perjurium suum, damnaret atque execraretur. Tamdiu fere in pago Ablein commoratus Rubenus, quam diu salutare Hudeni negotium postulasset, urbem tandem communemque Sociis suis calamitatem atque pericula, ipso Deo et innocentiæ conscientia fretus, subit. E vestigio secretarius a rege cum litteris ad Rigenses et monitis gravibus eodem consequitur. Metuere hic sibi perduelles: agitare inter se pacis consilia: callide vestigia seditionum et maleficiorum suorum obterere. At non diuturna fuit urbi, metu videlicet pœnæ comparata, tranquillitas. Exeunte junio, ad ingenium suum et instituta tumultuosa redit plebs. Multis ultro citroque agitati concionibus, aliquot viros præcipuos, regi fideles, inter eos Joannem Tastium et Gottardum Vellingum, medicum, e senatu suo conjiciunt in vincula: fidiculis dirisque carnificinæ modis excruciant: de primario templo addicto regi, de Collegio Societatis admisso, de ædibus eidem deditis in miseros exercent quæstionem; productos denique in forum, pro revictis in culpa et maleficio, gladio mactant. Jam eadem ipsa crudelitas monebat Socios, deserendum esse domicilium; neque expectandum tamdiu, dum ad parem lanienam ipsi quoque traherentur. Temerarium enimvero

1586 atque audax consilium, si te, cum possis subtrahi, furori propines, et frementibus ultro caput objicias.

Tres tamen Socii ad custodiam templi, scholarum, reique domesticæ cum Theodorico Vestphalo restiterunt; cæteri per agros dispersi salutarem circumferebant doctrinam rusticulis. Rubenus, episcopum Livoniæ Andream Nideckium secutus, res diœcesis lustrantem suæ, officiis suis adjutabat. In ea Rigensis Collegii perturbatione, quod reliquum erat spei, præcisum est morte, non Poloniæ tantum et

46. Stephani Regis tempus supremum.

Pannoniæ sed toti etiam reipublicæ christianæ luctuosa, Stephani regis, Grodnæ mortalibus erepti III idus (1) decembres, in ipso Moscovitici belli consilio; cujus causa nepotem suum Andream Bathorium cardinalem ad Romanum miserat Pontificem. Comitiis paulo ante Varsaviæ eadem causa indictis, sub eadem, quarto quintove die, postquam ægrotare cœperat, migravit e vita, anno ætatis quinto supra quinquagesimum inito. Levior initio febrilis fuit vis, quam ut medici de salute metuendum putarent : coorta inde gravior repente et concitatior, vires oppressit. Quoad poterat æger per intervalla, vitæ interim atque exitus sui momenta singulari animi devotione Creatori suo commendabat. Testamenta reliquit

Ejusdem testamentum.

duo : alterum maturius ante nuncupatum; in supremo morbo alterum, a se scribi cœptum, repentina morbi vi præcisum; in quo orationem suam, ad Sigismundum principio institutam, post ea, quæ interposuerat, sic ad eundem revocat :

« Ad te redeo, carissime nepos, princeps Transylvaniæ, Sigismunde Bathori : tibi in primis Collegium Cludiopolitanum et Albense lego et committo; quæ Collegia pater tuus et ego fundavimus propriis ex facultatibus nostris, sine cujusquam injuria. Quæ ita tuearis ac defendas, quatenus animæ tuæ, patriæque, cui præes, salus tibi cara est. Non deerunt, puto, Ariani, atque in primis Colosnarienses, qui ea eversa velint; favebunt eis senatores tui omnes, aut Calvinistæ aut Lutherani : nec deerunt opportunitati juvenes aut aulici pariter hæretici; qui, tibi adulantes, procaciter in eos invehentur, animumque tuum in transversum rapient. Sed, si vir es, facile omnibus simul resistes sola constantia et fervore zeloque pietatis, magis magisque piis contestatæ. O utinam potuissem vel in hoc solum meæ pietati satisfacere, ut si non omnes, saltem paucos, tibi intimos consiliarios et cubicularios catholicos et pios dare potuissem ! tibi ornamento, mihi securitati fuissent. Sed ea ibi est temporis et morum perversitas, ut omnes declinaverint, variisque hæresibus imbuti, atheismum plerique spirent. Quo difficilior itaque tibi restat concertatio, eo majus tibi præmium, et laus sempiterna etc. »

(1) Joanni Leoni in sua Historia Prussiæ, pag. 470, pridie idus decembres.

Extant suæ in Deum pietatis, et amplissimæ in Societatem plurima in Transylvania, Polonia, Lituania, Russia, Livonia munificentiæ monumenta immortalia, in primis Polociæ, Orsæ, Derpati, Rigæ, Albæ Juliæ, Claudiopoli Collegia; Cracoviæ item Domus Probationis ab eodem condita, ampliterque donata; Vilnæ Academica Universitas privilegiis aucta. Præter alias in hoc principe laudes religionis propagandæ studium, magnitudo animi, virtutes regiæ, splendore præcipuo eminebant. Tribunalia maximo reipublicæ commodo constituit. Præter Gasparem Bekiessium, res novas in Transylvania molientem, et Maximilianum archiducem Austriæ, æmulum de regno in Polonia, Moscoviticos, magno numero Polonis infestos exercitus apud Polociam, Sokolum, Susam, Krasnam, Usviatam, Disnam, Zavolociam, Lukos, Jezeniciam, Kossianum, Neseerdam, Nevelum, Ostroviam, Pleskoviam : vindicatis Livonia et Polocia provinciis, et peramplo Vielissensi agro, victricia circumferens arma, superavit. Perduelles Dantisci hæreticos, tum prælio Dirsaviensi, tum urbis etiam expugnatione edomitos, ad officium revocavit. Victoriam omnem clementer exercuit. In facinorosos animadvertebat ex legibus justitiæ, animo adversus obstacula periculaque firmo semper constantique. Cum insignis per Russiam Vallachus prædo, cognomento Podkowa, captus in forum produceretur, damnatus capite, procerum interim aliquis decreto regis intercederet; senatu judicibusque coactis, gladium et legum patriarum codicem afferri in curiam proponique intercessoribus jussit, atque hanc suo nomine pronuntiari sententiam : « si quid iniquius a se decretum esset, et legibus cives et « ultores gladio adversus potestatem suam uterentur; sin minus, malefici patro- « nique maleficorum jure meritoque suis quisque capitibus metuerent. »

*1586 Laus Stephani.*

Per interregnum oblata est adversariis, in primis Nicolao Dorohostayskio, Polocensium Palatino, idonea vexandi rursus Collegii Polocensis opportunitas. Tum ille maxime et suis ardua consiliis et nostris violenta tentabat omnia ad supremum usque diem; quem denique 1597, in sua, quam obstinato profitebatur animo, hæresi obiit; relicto et loco tranquillitati nostræ et munere meritis boni principis Andreæ Sapieha, sibi liberis civium suffragiis subrogati. Virum hunc præter alios cardinalis Hosius in epistola sua ad regem Poloniæ Stephanum, in qua hortatur principem, catholicorum ut potius quam hæreticorum opera et armis in suscepto belli contra Moscovitas negotio uteretur, eximium Christi cultorem, pietate insigni præditum civem appellat, commendatque. Præclaro id ipse exemplo sub ingressum suum in urbem Palatinam Polocensibus confirmavit. Iniquo ita more in ea provincia comparatum erat, ut ingredientibus primum

*47. Palatinus Polocensis Collegio iniquus moritur.*

*Succedit pius Princeps Sapieha.*

1586 urbem cum potestate Palatinis primus obviam procederet, suo stipatus sodalitio, Photianæ sectæ antistes, deductumque inde ad fanum suum invitaret; ubi, secundum jusjurandum ineuntibus eum magistratum solemne, crucis simulacrum, divinæ quasi gratiæ per se impertiendæ causa, osculo excipiendum obtrudebat. Aspernatus ut ritus Photianorum, ita juris sacri usurpationem iniquam Palatinus, subiturus urbem, quarto ab ea lapide, Collegii rectorem nostri advocat; eo comitante, ingressus oppidum, recta se ad templum Sociorum confert, ibi rite omnia, quæ Photiani ad se malis adhuc exemplis detortum ibant, exequitur; frustra hæreticis a consilio se revocantibus. Hoc Principe Collegium præsidiis tutante suis, eo industria Sociorum processum est, ut, redeuntibus ad Ecclesiæ auctoritatem hæreticis, brevi tempore adversarii fana sua omnino exhausta quererentur : cum paulo ante in universa Polocensium provincia Catholicorum profiterentur instituta, viri ordinis equestris non amplius decem, pauciores his in oppido incolæ censerentur : idque præter alios Stephanus Tyszkiewicz, provincialium judiciorum præses, ex pio animi sensu collacrymans, ætate jam ille exacta, sæpe memorabat. In eo rerum nostrarum otio ac prosperitate Photiani popæ, exedente animum invidia, continere se haud poterant, quin turbidos in plebe motus adversus hospites Socios concitarent. Sed ne ultra maledicta et leviores injurias malevolentia hominum se proferret, pœnis ad terrorem propositis, ultor Deus prohibuit. Horum aliquis quodam in oppido, qua Socii faciebant iter, obsistebat pertinaciter, edictoque vetabat ad Socios afferri infantes, christianæ religionis initiandos mysteriis. Accidit itaque, uti duo sine remedio salutari interierint. Paucis post diebus, cum Socii illac pergerent, deformatum eundem offendunt : facie, pectore, manibus misere ustulatum; quod pridie ejus diei, incendii in hypocausto excitati, quo duæ filiæ suæ absumptæ, serus jam ad opem in flammas se conjecisset. Non prætermittendam illi putarunt eam commonendi opportunitatem hominis; si forte culpam agnosceret suam, itaque caput gravioribus, quibus Justitia divina mactare posset, subduceret prudens suppliciis. « At ille, plagis nihilo melior, quin pervicacior etiam, ærumnosum se « quidem, sed probum virum dicere : non dubitare se, quin bene actum sit cum « prole sua, propter suam scilicet parentis sanctitatem. » Quid plura? alterum se impudens Jobum prædicare. Et erant, si crederes homini, res suas minime extenuanti, opes prope Jobi; in quo tamen nullum inerat vestigium nec simplicitatis, nec justitiæ, nec timoris divini. Pares eidem justitiæ pœnas dedit ministri uxor Ariani. Hæc cum die quodam, opportunum nacta ad crimen tempus,

Sociorum labor non sterilis.

Pœna Schismatici Sociis adversantis.

Virginis Beatissimæ imaginem, ad quam supplicare Deo solebat Rutenorum 1586
popellus simplex, execrata bonorum pietatem, in rogum injecisset, nocte proxima, Arianæ pœna mulieris.
exorto domi incendio, opes suas atque his cariora sibi pignora filios victimam impietati suæ præbuit. Ita videlicet impios, quod ethnicus etiam monet Sophocles, compendio occupant noxæ, deorum celeripedes.

Affine horum illud, quod subinde in ipsa Polocensi evenit civitate; haud ita quidem illustre, argumento tamen erat, quam superbe dæmon in illis volitaret locis, quamque impotenter in flagitiosorum colluvione hominum baccharetur. E profano Photianorum genere monachorum, quos ipsi popas vocant, ex civitate quidam ad arcem agebat se sub vesperam, onustus ille cibo, et sensibus meraco compeditis. Visus interim æthiops puer lurconi errabundo ductorem se obtulisse : hoc præeunte, ebrius, omnibus compitis Dunaque hyemante vagatus, detractis dein vestibus, raptatus ab æthiope per invia nivesque, capite denique in catonium demersus, pedibus cœlo adversis ; itaque repertus est postridie frigore præmortuus. Quo factum, ut ejus farinæ homulis exemplo esset, intemperantiæ et ebrietatis mala remis, ut ajunt, velisque fugienda. Interitus hominis improbi.

Vilnæ quatuor et quinquaginta agebant Collegæ ; rem unusquisque suam 48.
curabat diligenter, tum in templo, tum in gymnasio ; in quo jam discipuli septingenti fere censebantur. Pietatem illi suam cum alias, tum illo die maxime, quem Augustissimæ Eucharistiæ sacrum anniversario obimus ritu, præclare populo approbarunt. Convenerant adolescentes ex omnibus suis classibus, ornatu vestium illi et varietate exquisita ; facem quisque ceream præferebant ardentem, agmine quadripartito ; quorum unumquodque cogebat symphonia : miram illa voluptatem afferebat omnibus et vocum suavitate et novitate carminum, adhuc Vilnensibus inaudita. Incedebant adolescentes bini, ita æquato dispositi ordine, ita intervallis divisi paribus, ea vultus compositione et moderatione gressus, ut quo incederent, ad magnam spectatores admirationem secum traducerent. A dextra lævaque stipatores plebem per vias summovebant, et moderabantur incedentibus. Crux præalta medio ferebatur in agmine, auro conspicua et clavis gemmantibus : post hanc alia Salvatoris nostri passi insignia. Unicuique ordini erant sua pompæ anteludia. Hi divorum prophetarum simulacra vestitu imitabantur et vultu : thensam illi, holosericis obtectam velis, hastilibus prætentam altis anteibant ; alii niveis tecti et cataclytis vestibus pro pœnitentibus : pro geniis cœlestibus alii, aptis ex utroque humero pennis, inter micantibus lapillis et auro, se gerebant ; ea quiete et vultus modestia et incessus, ut, nisi videres progredientes, spirantia quædam diceres Vilnæ sacra celebritas die Theophoriæ.

1586 simulacra. Contraxit eo die in urbem, convenarum multitudine ferventem, pulchroque fulgentem apparatu, primum catholicos pii cura officii, deinde hæreticos etiam, schismaticos, Scythas, mahumetanos, cum conjugibus et liberis, fama rei novæ prænuntia. Quam ob rem venissent rogati, hæretici eam conventus sui afferebant causam, quod videre cuperent, qua Deum suum supplicatione venerarentur catholici. Et sane quanquam ea res superioribus etiam annis magna cum dignitate et majestate gesta; hic tamen annus ita populo celebris fuit, ut catholici tum gratiis Deo agendis, tum habendis gratulationibus præ se tulerint, se nullam unquam Vilnæ pompam similem non modo usurpasse oculis, sed ne auditione quidem accepisse : cæteri autem confessi sint, nihil fuisse alias in Lituania, quod parentes etiam sui viderint, jucundius, aut etiam fore, quod magis visendum putarent; itaque per consequentes dies multus de celebritate istius diei inter cives sermo. Neque res ea pertinuit solum ad oblectationem oculorum, et commendationem juventutis, sed ad scholarum etiam amplificationem et utilitatem animorum. Ex eo tempore modestius gerere se discipuli, et colere virtutem diligentius : quare permoti plerique hæretici etiam, liberos suos e schola Zvingliana, quæ olim magnis ædificata sumptibus Vilnæ magistra erat juventutis frequentissimæ, ereptos adducerent, nostra institutione formandos. Excitabat adolescentium animos pietas etiam erga sanctissimam Virginem, Dei parentem, commendata : lectissimi quique in ejus se fidem et clientelam conferebant; exstructo nuper Sodalitati Marianæ sacello, sumptu Francisci Vesselini, qui regi Stephano inter honorarios fuit a cubiculo. Eadem fere prosperitate, qua in filiis, in parentibus quoque opera ponebatur. Qui a recta deflexerant religionis salutisque via, trecenti amplius sub idem tempus revocati.

*Ejus utilitas.*

*Sodalitas et Sacellum B. V. Sodalium.*

49.

*Sapieha Procancellarius et complures ad Ecclesiam se revocant.*

Ante alios e pervetusta ac principe inter Lituanos familia, alienis a religione catholica parentibus natus, Leo Sapieha, Lituaniæ tum procancellarius, dein Dux exercituum ac palatinus Vilnensis, opinionem, quam Lipsiæ in Saxonia magistris hæreticis juvenis de religione combiberat, natu quoque grandior diu non est passus evelli sibi ex animo. Labem illam boni cætera viri benignitas divina non sustinuit. Invito is quidem animo catholicorum adibat templa, atque tum nisi, cum ratio muneris publici postularet; id quod sibi Cracoviæ, ad aulam Regis diutius commoranti, officii causa præstandum erat sæpius : quoties scilicet Rex pius ad comprecationes publicas, comitatu stipatus aulico, procederet; inde ille mox se cum suis asseclis ad Calvinianum fanum revocabat. Accidit forte, ut festo divi præcursoris die non siccus mysteriis sectæ suæ interesset : nocte quippe proxima

convivium ad lucem usque multam produxerat; cum a religionum suarum magistro, populo ad mensam, quemadmodum ipsi vocant, dominicam accumbente, ipse quoque et pane de ara et poculo invitatur usque adeo prolixe, ut frustra Leo et stomachi a recentibus epulis cruditatem, et alia non comparati ad tantum mysterium animi præpedimenta excusaret; asseverante contra ministro, ipsam ad ea sacra fidem afferri oportere; cæterum, madeat vino, an siccus sit, teneatur aliqua, an vacet culpa, in religionem verti non debere. Percussus isto tanto rei divinæ apud suos contemptu, exinde sacras ille Calvini dapes fastidire: ministrum eorum promum condumque diligentius observare; ubi præter alia illud quoque animadvertit: eum mystica consecrationis verba non super totum illud panarium suum integra, sed, cum offam primo convivæ ingereret, cœpta, postea quam plures pavit, magno demum dirempta intervallo, reliqua pronuntiantem verba.

1586

Mensæ Dominicæ apud Calvinianos reverentia.

Hujusmodi ritus novi causam rogatus, cum hisceret pastor, Leo inde, quid ipse religionis professus esset adhuc, superne admonitus, diem reliquum noctemque insequentem in mœrore et lacrymis, diuturni sui erroris pœnitens, traduxit. Postridie nihil cunctatus Petrum Skarga, salutaris causa consilii, accessit. Re cum eo, septem ipsos dies sic occulte tractata, ut ejus, præter conjugem suam, matronam catholicæ religioni semper addictam, consilii nemo unus esset conscius. Septimo inde die, festo illo, Regem ad templum de more comitatus, Petro secundum concionem suam sacrificanti ministravit; riteque execratus hæresim, in conspectu frequentis populi, religionem sinceram professus est; Rege et proceribus, rem primum novam admirantibus, deinde, quanto id minus sperassent, tanto vehementius inter se gratulantibus. Quem deinceps Leo Romanæ Ecclesiæ, quam pium adversus inimicos defensorem sese præstiterit, præter alios Joannes Ryvockius, vir in Lituana provincia cum vitæ sanctimonia, tum laudibus doctrinæ inclytus, scriptis suis posteritati reliquit commendatum. Eo Leonis cum Ecclesia in gratiam reditu gratulatus est quoque Romanus Pontifex, ejusque gaudii sui pignus, insignem obtulit crucem; quæ hodieque in templo Brestensis Collegii asservatur cum his notis: « HOC. SIGNO. SALUTIS. CLEMENS. VIII. PONTIFEX. « M. LEONEM. SAPIEHA. SUPREMUM. M. DUCATUS. LITVANIÆ. CANCELLARIUM. POST. « ABJURATAM. AB. EO. HÆRESIM. EX. URBE. SALUTAVIT. INVENTAM. OVEM. BONUS. « PASTOR. CHRISTI. BRACHIIS. AMPLEXUS. »

Pontifex Romanus Leoni gratulatur.

Insigne omnino et commemorabile juvenis Lubecensis facinus præterire hic non possumus. Lubeca civitatum Hanseaticarum caput est, patriarum hæresium sedes, peregrinarum receptaculum; hinc missus erat is adolescens Vilnam,

1586 50. Lubecensis juvenis insignis constantia.

addiscendæ linguæ polonicæ causa. Hospitem nactus catholicum, et pium, et Societatis nostræ in primis observantem, ejusdem consilio nostrum aliquando adiit Collegium; inde crebrius ille libentiusque Socios visere, modestia Patrum et pietate animum suum invitantibus. Brevi religionem catholicam adamavit ac professus est. Commovit graviter ejus rei nuntius parentes, cives Lubecanos; confestim illi mittunt majorem natu filium, qui fratrem revocet in patriam. Tentata et blanditiis frustra et minis virtute juvenis, dolo constantiam aggreditur. Repente et ipse catholicum se tibi fingit, ea larva uti imponat fratri; incautum abripit in Prussiam Regiomontum; datis ad certos mercatores litteris, qui perfugam ad Papistas demorentur tamdiu, dum ipse subsequatur. Sensit, quod erat, in ipso jam itinere juvenis. Vilnam se ille refert: cum ecce obviam frater. Multis ab eo indignis habitus modis, Regiomontum reducitur. Duriter ab hæreticis tractatus, occasione denique oblata, elapsus est, ac Brunsbergam versus intendit iter pedibus. Respectantem, si qui se insequerentur, lassum, jejunum, fertur nescio quis (Angelum fuisse a Deo oblatum creditum) ad quietem invitasse: sermone animum, vires cibo refecisse. Brunsberga Vilnam in pontificium alumnorum Collegium translatus, non multo post intervallo, proditis sodalitio insignibus pietatis exemplis mortem denique suam apposuit; extremò vitæ tempore placide religioseque confecto. Funus tanta cum Ordinum religiosorum et cleri, tum procerum et populi celebritate deductum, quantam Vilnenses, ne in Principum quidem magnorum exequiis adhuc se vidisse unquam affirmabant; multi se impulsu quodam divino ajebant in eum funebrem cœtum coivisse. Virtutem, opinor, boni juvenis, qui sic vocatui suo obediens fuisset et constans, imitandam multis voluit Deus hoc facto commendasse.

1587 51. Congregatio Procuratorum.

Claudio Aquaviva magistro Societatis generali, anno 1587 habita Romæ Procuratorum Congregatio. Electus ad hanc per conventum provincialem, actum Jaroslaviæ, Stanislaus Varszevickius. Maturius ante Socios polonos Claudius monuit, ne se reipublicæ negotiis ullo modo immiscerent; instituti sui memores tum semper, tum hoc maxime tempore, quo in Polonia sub electionis comitia cœtibus, consultationibus de Rege creando, dissidiisque plena essent omnia: cum hi ad solium regium, per mortem Bathorii vacuum, e Germania Rudolphum Romanorum Imperatorem, Maximilianum illi, alii a Suecia Sigismundum Finlandiæ Principem, Ducem Ferrariæ alii, alii a proceribus vel exteris vel indigenis alios, invitarent. In illo animorum ac prope armorum conflictu Socii numen divinum multis hostiis et indictis per Collegia, quadragenarum etiam horarum, supplica-

52. Comitia electionis turbida inter Polonos.

tionibus placabant. Erant nihilominus, qui Jesuitas etiam partibus studere, et per clandestina quæ nescio consilia hos Maximiliani, illos Sigismundi, alios aliorum factionibus implicatos esse, invidiæ conflandæ causa populo persuadere conarentur : proposito maxime Possevino, qui jussu Sixti V comitatus erat Hannibalem Capuanum, Neapolitanum archiepiscopum, apostolicum ad Polonos legatum. Hujus industriæ commissum esse putabant Suetici Principis negotium, atque eam in rem pecuniæ vim magnam ab eo collatam ex Italia electoribus largitione corrumpendis. Et erat is rumusculus, tametsi falsus, celebris tamen adeo, ut Romam etiam affluxerit. Ictus eo nuntio Claudius, proposita re Pontifici, et impetrata venia, ex ipso rerum æstu in Italiam revocat Possevinum.

1587

In Possevinum odia concitantur.

Revocatur ille in Italiam.

Ne pariter avelleretur ab aula Antonius Arias, Radivillo cardinali in comitiorum tempus concessus, nulla ratio postulavit. Percautum ille in officiis integrumque se ex præscripto legum suarum, et monitorum, quæ a præsidibus suis accepisset, servare studuit : quare multorum quoque sibi et suæ provinciæ conciliavit benevolentiam ; ut ita dignus sit visus, ad quem multis, qui ex altiore etiam gradu id honoris sibi deposcebant, præteritis, publicæ e suggesto regi electo, consensu fere omnium gratulationis officium deferretur. Deprecatus est a se speciosum donum Antonius : videbat prudens, honorificum id quidem futurum sibi suisque Sociis ; at idem invidiæ obnoxium eorum utique, qui, alia tum ancipiti animo respectantes consilia, nondum plane ad popularem electorum sententiam accessissent. Valuit ita apud omnes hominis prudentis deprecatio : cujus exemplo Bartholomæus quoque Villerus, a Stanislao Paulovio, Olomuciensium episcopo, Cæsaris Legato, adductus Varsaviam, officium idem pariter recusavit. Intempestivum utrique visum, sua prius homines Societatis profiteri studia, quam omnium consensu ordinum imperium delatum foret ad principem. Ante hæc comitia, quibus denique Sigismundus renuntiatus est Rex, in provincialibus per Lituaniam conventibus, Vilnæ maxime, id negotii legatis suis dabant commendabantque hæretici, acta Stephani regis de Collegio Polociensi curarent rescindenda, contra catholicis proceribus, legum illis patriarum et justitiæ religiosius observantibus, periniqua visa ea istorum postulatio ; itaque rejecta est, aliis eandem alibi respuentibus, atque ipso etiam Calvinianæ studioso sectæ principe, Nicolao Radivillo, Novogrodensium palatino, istis suorum consiliis refragante. Cæterum in pietate et virtute ipsius Regis Deus certius rebus nostris firmiusque voluit esse præsidium. Catholicæ religionis diligentissima, Regina Sueciæ, Catharina Jagellonia natus, sancteque a prima jam pueritia institutus, laudes fortitudinis suæ nullis vel diffi-

PP. Ariæ et Villeri munus recusantium modestia.

Sigismundus eligitur Rex.

Postulatio adversus Collegium Polocense rejicitur.

1587 Sigismundi modestia.

cultatibus vel periculis imminui unquam est passus. Invitatus ad regnum a Polonis per legatos, Martinum Lesnovolskium Podlachiæ palatinum, et Joannem Bojanovskium, tanta animi moderatione accepit nuntium, quanta decuit exercitatissimum in virtutis schola philosophum; ejus rei testis quoque fuit Bernardus Golinskius e Societate theologus, cujus consiliis princeps in salutaribus negotiis maxime utebatur. Prius ille, quam ad honorifica legatorum invitamenta responderit, consilii optimi capiendi causa ad Deum per obsecrationem et usum sacramentorum se convertit; tum demum, Joanne rege, parente suo, bene sibi precante, sinu Baltico vela dedit. Toto navali et toto terrestri itinere prospere confecto, Cracoviam (a cujus mœnibus rejectus est interim cum suo 16 millium exercitu competitor Maximilianus) triumphantibus gaudio civium ordinibus, electo Principi ibidem præstolantium, IV idus decembres ingressus, riteque regiis insignibus, diem Martino Turonensi sacrum consequente proxime dominica, ornatus est. Eo contendenti Sigismundo copias suas Maximilianus apud Petricoviam objectum ibat; verum per exploratores cognito, comitatum Sigismundi duplo fere majorem esse, quam suus foret exercitus (quippe triginta millibus stipatus ibat Sigismundus) retro iter vertit, inde Cracoviæ aditu prohibitus, instante acriter Joanne Zamoyskio cum manu viginti millium expedita, copiasque Germanicas ultra Poloniæ fines persequente, ad extremum prælio apud Bicinum, Silesiæ oppidum, victus, eodem cum reliqua manu trepide se conjecit: expugnato denique Bicino in potestatem victoris concessit. Clementer, quemadmodum decuit, victoriam exercuit Zamoyskius; eaque propter ab æqualibus ejus temporis scriptoribus laudibus celebratur. Id ei præter alios tribuit alienigena, isque in aliis malignus mortalium obtrectator, Jacobus Thuanus (1).

Ornatus regiis insignibus.

Maximilianus competitor capitur.

53. Sigismundo Campanus gratulatur.

Sigismundus, secundum ritus, regibus recens creatis solemnes, a sacra synaxi, in summa gratulantium celebritate procerum, accedenti Campano provinciali salutandi sui copiam fecit: tum, officio benigne accepto, multam patri gratiam habere se professus est pro insigni per Socios suos religionis cura operaque in patrio Sueciæ regno sibi suisque civibus egregie impensa; addit, relictum esse ad eam coloniam a se P. Humbertum ex eadem Societate virum navum; hujus Socium Bernardum Golinskium in Poloniam secum reduxisse. « Obsecrat denique, ne « in eo tam salutari gentilibus suis negotio, magnis a se nuper animis suscepto, « cessent: multa quidem in eo dura esse in præsentia atque aspera; cæterum « sperare se fore, ut emolliantur procedente tempore, ac delæventur; indu-

(1) Historiarum sui temporis, lib. 88, ad ann. 1587.

« striæque virorum et navitati, Deo bene juvante, omnis concedat pertinacia. » 1587

54. Riga reliqui Socii exturbantur.

Sub interregni tempus, reliqui tres e dissipato nuper Collegio Socii cum prorectore suo Theodorico Vestphalo, post multa molimina, Riga denique ab hæreticis exturbantur : metu nimirum amoto per mortem regis Stephani, cujus auctoritate et benevolentia res nostræ adhuc nitebantur, tempestas adversariis ad ejiciendos ex urbe Jesuitas visa est peridonea. Re per conventus agitata suos, hæreticorum antistites postridie kalendas septembres mittunt e prætorio tribunum plebis, lutheranis comitatum magistris, ad Collegium ; qui claves ædis S. Jacobi a Sociis repetant, suæque civitatis nomine edicant ipsis, « ne in urbe, ne in circumjectu urbis toto ausint deinceps ritus papisticos venditare : ita decretum esse « suo et plebiscito et senatus consulto. Licuerit ipsis civium tolerantia hæsisse « Rigæ tamdiu ; inde nullum sibi in urbe, nullum veniæ locum deinde fore « pertinacibus ; reliquum esse omnino, jam hodie se ut auferant ; nisi suam ipsi « malint perniciem. »

Deprehensus ita Theodoricus, jura Societatis salva per se omnino velle contestatus, neque hic auctoritati ulli, sed ipsi furori concedere, Dunemundam, in castellum proximum, ad præfectum arcis cum toto Collegio suo, septem Sociis subduxit se iræ civium. Eodem translata templi et domicilii supellex. Vix dum pedem Theodoricus extulerat, cum hæreticorum ministri in domum et reliqua involant, certatimque diripiunt ; magno catholicorum luctu, nostram suamque conditionem miserantium.

55. In Samogitiam ab Episcopo Socii abducuntur.

Ad excolendam interim gentem Samogiticam, ejus diœcesis antistes, vir insigni pietate, Melchior Giedroyc Socios invitat. Quam egens opis in sua provincia esset populus, litteris ad Præpositum Societatis generalem datis ipse perscripsit... « In maxima, inquit, episcopatus nostri parte, qui sit confessus in vita, invenias nullum ; nullum, qui communicaverit unquam ; nullum, qui *Pater noster*, aut signum crucis formare norit ; nullum denique, qui aliquam cognitionem mysteriorum fidei habeat ; uno hoc illi contenti : Lutherani non sumus : carnes die veneris non comedimus. Communiter sacrificare tonitribus, serpentes colere, quercus ut sacras venerari, manibus mortuorum dapes offerre, et similia multa, ex ignorantia potius quam malitia profecta, portenta in peccatis non numerant. »

Gens pessime corrupta.

Est autem popellus simplicissimus, et rerum divinarum suopte ingenio mirum quam studiosus. Duos e Collegio Vilnensi sacerdotes, strenuos illos viros, Emmanuelem Vegam et Hieronymum Kniskium in Samogitiam deduxit pontifex. His christianæ religionis instituta prædicantibus, concurrere undique populus : dili-

1587 genter auscultare : verba concionantium, ut ita dicam, devorare, ac gemitibus multis et lacrymis excipere : confiteri denique rite peccata, indeque se ad bonam frugem recipere. Itaque facilius passa gens est, exscindi suas quercus sacras. In aliquam earum cum sacerdos noster, stupente et sibi metuente per religionem, non penitus adhuc exemptam, populo, securim adigeret, obscœnus bubo, quem non temere quidam cacodæmonem fuisse crederent, edito stridore horribili, e cavo stipitis evolavit. Inde gens errores suos agnoscere, ritusque superstitiosos execrari.

Quercus et ales terrifica.

1588

56. Octavus et vicesimus hujus sæculi annus per Galliam, Hispaniam, Belgium, Scotiam, Angliam, implicitis bello gentibus, turbulentus, Polonis insuper pestilentia infamis, astronomicis Joannis Regiomontani prædictionibus creditus est respondisse. Hujus astronomi Joannes Kwiatkiewicz, noster e polonica provincia annalium scriptor, fatidicum carmen recitat ejusmodi. Post mille expletos a partu Virginis annos, et post quingentos rursus ab axe datos, octogesimus mirabilis annus ingruet, et secum tristia fata trahet. Idem annalium suorum auctor narrat, in regione quadam Pomeraniæ obscœnum ex piscium genere pecus, rostro mucronato, certis litterarum interstinctum notis, belluam xiphiæ similem, toto tergo ensium, pugionum, vexillorum, equinorum capitum, feretri, aliorumque formidolosorum signis monstrorum maculosam, piscatu esse comprehensam. Præter hæc haud procul Rhodopoli, urbe, opinor, Thraciæ, avaro nescio cui panes a se pistos, promptosque e furno, manasse quasi lacrymis, mox totum ejus mactræ factum in cinerem et favillam esse dissolutum. Quibus, si ita fuerint, signis an revera portendi aliquid, hominesque monitos Deus voluerit, haud equidem disputo. Utrumque mortalibus, ajunt, in religionem venisse ante periculum; successu denique pestilentiæ rerumque passim turbidarum præjudicatam ex ominibus opinionem fuisse confirmatam.

Temporis pestilentia.

Portenta calamitatum.

57. In Polonia, dissidentibus inter se Sigismundi regis et competitorum partibus, adventu Pontificii ad Polonos Legati, cardinalis Hippolyti Aldobrandini (quem paulo post Roma Pontificem Maximum Clementis Octavi nomine salutavit), omne, quod procerum discordia creabatur regno, discussum periculum; ejus rei summus rerum omnium arbiter jucundo polonicam gentem ostenso præmonuisse visus. Quo tempore prodibant obviam cives feciali romano, mœnia Cracoviæ subeunti, conspectum a multis, religioseque existimatum : prope cornua crescentis lunæ, invisum antehac ulli, miræ claritatis sidus, auguratione omnium prænuntium felicitatis publicæ. Toto illud ejus celebritatis tempore, unaque spes nescio cujus boni erectæ ad spectaculum civitati affulgebat; ingressus itaque pacificatoris legati,

Legatio Pontificia ad Polonos.

regi expectatus et civibus, illustris illo Lucifero mirabili, multo fuit jucundissimus. 1588
Offensior hic paulo Sociis nostris venisse visus : quod Possevinum, quem ab Legati offensa.
Claudio Generali flagitabat, non impetrasset comitem; tametsi vir sapiens id ipsum boni consulere poterat; neque enim obscure Claudius proposuit difficultatis causas postulanti : « alieno plerosque Polonos a Possevino esse animo, hujus « ipsius regis Sigismundi negotio, cujus partem Antonius nuper jussu Pontificis « sustinuisset odiose, offensos hæreticos in primis proceres, in memoriam suspi- « cionum et invidiæ, conspecto homine, redituros; reliquis videri posse, hoc « pacto venisse Antonium, ut se regi propinet, suaque et Societatis, si qua exta- « rent in principem, merita commendet importunus. Domesticorum etiam in aula « regia theologorum officiis Societatem odia multorum subiisse. Non igitur sub- « mittendis insuper et obtrudendis Sociis malevolentiam hominum esse lacessen- « dam. » Non æque simplici, atque afferretur, accepta animo excusatio; querelam ea difficultas sensumque offensæ intimum per occasionem Cardinali elicuit. Et erat ejus querimoniæ audiendæ occasio crebra : quippe nostri legato iter facienti, ubi occurri poterat, e domiciliis evigilabant in eo, ut suam voluntatem antistiti officiis omnibus approbarent : excitati ad id mature per litteras a Claudio dimissas; idque cum ob ipsius dignitatem legati tum propter præclara in Societatem merita fratris sui, Joannis Aldobrandini cardinalis. Ea scilicet tum erat Sociorum in Polonia conditio, ut ab his, iisque principibus, amarentur plurimum, laudarentur publice, invitarentur promissis multis ad suscipienda in aulis suis officia ; ab illis contra, quibus maxime suam afflavit pestem hæresis, vexarentur ex industria. Ante alios benevolentia Sigismundi in Societatem testatior animos 58.
invidorum urebat maxime. Præter Bernardum Golinskium, e Societate theologum, Societas in invidia
quo princeps ad sacras confessiones utebatur, concionatorem ex eadem familia, quam ob
eumque, quem hæretici odissent pessime, Petrum Skarga sibi adscivit rex. Id rem apud Polonos.
enimvero adversarii, ut quisque Jesuitas aversabantur maxime, ita ferebant molestissime; tametsi hi, et suapte modestia, et Claudii monitu, ita sua moderabantur officia, ut, offerente se etiam ultro, benignitate Principis et consuetudine uterentur quam parcissime : quæ interim muneris forent sui, obirent strenue; in occasionem religionis propagandæ intenti maxime, nullam profani partem negotii attingerent: memores denique, in ea tanta se constitutos esse luce, omnibus ad vitam recte instituendam exemplis suis prælucerent. Propterea pius rex arctius arctiusque complecti Socios, et Societatem adversus injuriosos opibus tueri omnibus.

Derpati e suo Collegio Socii desiderarunt P. Joannem Fornerium, virum cum

1588 apud domesticos, tum apud externos existimatione sanctitatis præcipua. Sedecim annos exegit inter Socios, in multorum itinerum et laborum patientia ; ætate etiam fessa, quæ requietem postularet, agendi utiliter, et addiscendæ interea linguæ livonicæ, quo pluribus ferret opem, percupidus. Primus hic Sociis in Livonia, sibi successuris, morte sua sepulcrum aperuit. Complures alibi mors contrusit in puticulos. Duplici aditu pestilentia in regiones nostras penetravit : ab oriente in Russiam ad Inferiorem Poloniam a Vallachia : in Superiorem, ac deinde in Prussiam, Masoviam, et Lituaniam a Gedano per commercia; Brunsbergenses, jam superiore anno tentatos, hoc vere ineunte corripuit; Vilnenses, adulto jam autumno. Horum Collegium Academicum, periculo mature occupato, in diversa distractum; paucis in urbe relictis, ad præstanda charitatis officia mortalibus; atque hi quidem, opera miseris præclare data, animas periculis devotas in tumulis sepultorum a se profudere : illi omnes ad unum, salubriore jam circumquaque cœlo, domum ad intermissa munera mense februario rediere incolumes. In suis per id tempus damnis numerabant Brunsbergenses interitum cari patris sui duodecim annos rectoris, quatuor alios aliis muneribus cum laude defuncti, Philippi Vidmanstadii. Natus in Suecia, oppido Nelligensi, a parvulo honesti amans, studiis pietatis deditus, lætæ indolis adolescens, et ad omne virtutis exemplum experrectus : Viennæ in Austria anno 1552 in disciplinam nostrorum traditus, homines Societatis cœpit cognoscere, mores suspicere, et in dies amare magis. Nihil hoc mortalium genere et instituto visum est sibi pulchrius. Suos itaque ipse mores conformare : benevolentiam Patrum per sua et litterarum et pietatis studia serio colligere : denique qui nuper ex consuetudine cum gentilibus hæreticis religiosos aspernabatur homines, atque adeo ipsum eorum declinabat occursum, Societati ultro se offerre. Cunctante præside provinciali, in cursu ejus consilii sui mora omnis adeo longa visa est juveni, ut prope tabuerit desiderio. Factus denique voti compos 1556 tertio nonas martias, anno ætatis suæ septimo decimo, non secus ac si recreatus e morbo gravi sibique renatus, hilaris inde, animoque ad omnia expedito, traditam sibi a tirocinio artium optimarum viam tenuit diligenter.

59. P. Fornerius extinctus Derpati.

60. Strages edita tempore pestilentiæ. Brunsbergæ, Vilnæ peste intereunt.

61. Vidmanstadius Brunsbergæ mortuus.

1589 Quæ per hybernum tempus depulsa frigoribus abierat, gravior post, junio exeunte anni 1589, renata vexavit Vilnenses pestilentia, resque a Sociis domum reversis, vix dum resarciri cœptas, plerasque ad communem scholasticorum utilitatem de integro institutas, disturbavit. Haud diu itaque ea voluptate uti licuit defunctis periculo, quam sibi vel revocata ad studium juventus academica, vel e

62. Pestilentiæ vis gravior.

populo jam quisque deinceps melior plagis, atque ad pietatis officia excitatior, 1589
vel regis Sigismundi, Vilnæ per id tempus commorantis, scholasque et Collegium revisentis, tum procerum benignitas, et studiorum nostrorum per eos approbatio afferebant. Sterilitas temporum, superioris maxime anni, civibus famem intulit. Ex agris et oppidis Vilnam undique, præter vagam passim mendiculorum turbam, rusticuli, tabernarii, opifices sellularii, tanquam ad fidum annonæ subsidium, confluebant. Miserabile tum enimvero tota urbe diu noctuque turmatim errantium, opemque lamentabilibus implorantium vocibus erat spectaculum. Succurrere hic Socii miseris pro facultatibus suis : partiri penum suam : famelicos greges, quos possent, subtracta sibi offa ad portam domicilii reficere : eorum, quos pudor hoc aditu prohiberet, stipe precario etiam coacta, clanculum inopiæ mederi. Ea propter sodalitium quoque misericordiæ et mons, ut vocant, pietatis, ad effigiem Salvatoris Domini e Cruce pendentis, divinis hodieque beneficiis inclytam (1) in sacello Corporis Christi dicto, excitata; unde certa deinceps egentibus remedia peterentur. Colligendis quoque curandisque convenis, quoniam nosocomia vetera jam hominum miserorum referta erant; ut amplius præterea diversorium sumptusque certi et curatores eorum impigri assignarentur, a magistratu impetratum. Urente acrius malo et majorem in dies edente stragem, subductum denique Collegium in agrum suburbanum; quatuor sacerdotibus, qui ægræ civitati procuratores salutis et consolatores adessent, aliquot item adjutoribus ad custodiam domus relictis. Urbem illi quatuor in totidem regiones partiti, die quoque, a primo diluculo ad extremum usque crepusculum, suos quisque vicos pererrabant; devoti sua sponte saluti mortalium, fortitudine tanta ac diligentia in ipsis versabantur periculis, ut in omnibus et virtutis suæ et pietatis admirationem amoremque excitarent. Illi tum ipsi per urbem omnem languentes reficere : moribundos salutaribus adjutare consiliis : subsidia miseris, undeunde contrahi poterant, afferre; desertas a dominis ædes, collectis, quæ passim per fugam jacebant sparsa, utensilibus, concludere, et contra fures, ea maxime tempestate grassantes, communire : quin ad restinguendum etiam incendium, quo urbs facile interiisset tota, adesse, ignavam hortari plebem, remedia suis ipsi manibus afferre. In eo periculorum æstu id unum Socii vicissim sibi precabantur, ut si utilis civitati, si grata Deo sua foret opera, non prius ipsi communi malo decumberent, quam reliqua civitas, divina benignitate, ex morbis convalesceret (jam enim abire videbatur pestilentia) opis suæ esset non indiga. Id quod duobus,

**Miseris Vilnense succurrit collegium.**

**Obsequia Sociorum.**

(1) Sodalitium Misericordiæ, Mons pietatis, et Nosocomium.

1589 Duo suis officiis et vita defuncti.

natu minoribus, Jacobo Golinskio et Joanni (quem Sacchinus Vilnensem vocat evenit : brevi alter alterum, bidui spatio, ad tumulum funere suo prosecutus est; utriusque exequias funeris universa, quanta superasset, civitas luctu incredibili et laudibus celebravit. Reliquos, qui ex atrocitate temporis superessent, orabat Patres, « ut, habita tandem salutis suæ ratione, quandoquidem malum « jam sedatum videbant, quiescerent, neque se, ætate illi imbecilliores et viribus, « ad extremum in ministeriis contererent : superesse, quod civitati reliquæ « præstarent pii : continerent se in suo domicilio : facilius ita eos inventum iri « perfugiumque certius in negotio futurum civibus; qui miseros adhuc tota quæ« ritassent urbe, non minus inde operæ pretium facturos, si confugientibus ad « se e suo loco præsto fuerint, quam si egentes vicis se omnibus quæsierint. » Itaque residui suo jam in templo cœtus pœnitentium ad se ventitantes exceptabant. Et quoniam difficultas annonæ, sævitia pestis intercluso commeatu omni, magis incensa erat, ut multi etiam fame disperirent, huic quoque malo subventum per Socios, stipe ab opulentioribus, urbe excedentibus, corrogata. Ita et corpora mortalium curabantur et animi.

Decem insuper alii.

In ea communi clade occubuerunt e Collegio Academico Socii duodecim. Eadem tempestate aggregati ad Ecclesiam Scythæ duo, hæretici undequadraginta, schismatici quinquaginta tres. Pœnitentium et supplicantium numerus in ea urbe post hominum memoriam maximus. Excitabat nimirum indormientes saluti suæ mortales impendentis metus exitii. Quin et flagitiosi, induratique facinoribus, catervatim se conferebant ad urbem; ipso hortante periculo, mortem ut prudentes confessione peccatorum anteverterent. Eveniebat interim animorum medicis, ut, cum incepissent nescientibus curationem adhibere, imponentes vomicæ spongiam scalpello inducto, a sanescentibus deinde orarentur, ut in curando persisterent, et a persanatis postremo gratiæ agerentur.

63. Hæretici Sociis Polociæ et Rigæ permolesti.

Gravius ipsa pestilentia afflictabat Socios tum Polociæ, tum Rigæ, tum alibi, indomita hæreticorum malignitas. Piget jam commemorare injurias identidem nostris factas, calamosque in illis describendis otiumque bonum conterere. Omitto, quid quantaque contentione patroni hæreticorum proceres apud regem et in comitiis pro suis Rigensibus egerint : quantum pecuniæ corrumpendis judicum animis profusum sit. Id paucis duntaxat narro : quatuor e senatu regni disceptatores causæ nostræ delectos esse : duos cardinales episcopos, Bernardum Maciejovskium Gnesnensium, et Georgium Radivillum Vilnensium; præter hos, Leonem Sapieha procancellarium Lituaniæ, et nescio quem alium e profano pro-

Rigensium causa disceptatur.

cerum Collegio, eumque hæreticum. Horum decreto quia cogerentur erepta Sociis restituere, scitisque Stephani regiis obsequi Rigenses, aliud illi postulabant forum et judices alios; quos scilicet prensassent jam ipsi atque corrupissent. Ibat hæreticorum conatibus, quacunque parte occurri posset, Campanus obviam; id denique a rege per cardinalem Radivillum impetravit, ut jus Societatis in res a Stephano Rigæ oblatas litteris suis confirmaret, legatosque mitteret, qui et Rigenses cives in concordiam, et Societatem in gratiam redigerent. Jussa per hos quiescere, civitas conticuit. Tria seditionis capita, in quibus erat Ghisius, in medio foro sublata. Magistratus auctoritas suum in locum restituta. Petulantia plebis plagis coercita. Idque auctoritate trium legatorum stetit; nam quartus, Calvinianæ amator sectæ, alia molitus est omnia : ille probare palam, quidquid hæretici adversus Jesuitas egissent : confirmare animos factiosorum atque ad facinora excitare : scrutari tabularia, atque eruere antiqua civitatis privilegia, eaque regiis Stephani actis præferre : omnia, quæ a Jesuitis facerent, fastidiose respuere. 1589.

Jus Sociorum Rigensium confirmatur.

Propterea Campanus et Socius suus Paulus Boksza, tricas pertæsi Rigenses, Vendam, quo hinc suum transferrent Collegium, respectabant. Invitabat eo Socios et sua civitatis quæ prima esset post Rigam, nobilitas, et ingenium civium tranquillius, et quod ea tempestate Venda sedes esset episcopi. Expectabatur interim Regis adventus, Livoniam collustrantis, et responsum a Claudio Generali ad litteras a Campano super ea re datas. Præstolabatur Regem et civitas, magnifico atque ad triumphi speciem instructo apparatu. Subeunti arcem Sigismundo occursus fit undique; conferuntur a senatu civico munera; salutant, orantque, in urbem ut descendat, suoque respectu dignetur suos oppidanos, expectatione diu arrectos, princeps. Senserunt illi porro primo statim in aditu iram principis, sua omnia et salutationes et munera et pompam dedignantis. Supplices cum donis suis rursus rursusque rejecti. Jussi denique spondere, reddituros se templa catholicis, admittuntur. Post gratulationes et ea, quæ civitates suis debent principibus, officia, quidquid sibi a Rege imperatum fuerit, paratos se facere profitentur; unum duntaxat id orant, ne templa princeps cogat restitui : hoc enim vero a se committi non posse, religione scilicet prohibente. Satis quidem, quid responsi meditaretur Rex, ex ipsa vultus severitate eminebat; illi nihilo minus sua. Denique Regis admonitu procancellarius regni, episcopus Premisliæ, Adalbertus Baranovskius : « gratulatio vestra, inquit, Rigenses, et solitum exhiberi a subjectis et debitum « principi vestro munus, gratius eidem multo et acceptius foret, si fides cum pro- « fessione obsequii consentiret. Nunc vos aliud verbis, aliud omnino factis profi-

Socii Riga Vendam transferre se cogitant

Rex munera Rigensium hæreticorum respuit.

Templa Catholicis restitui jubet.

1589 « temini. Obsequentissimi principi vestro videri vultis, cum tamen mandatis suis « refragamini. Reddite primum, quod princeps imperat; tum demum ita vestra, « ex animo esse profecta, officia probabitis. Templa catholicis jam nunc restituite. « Quod si recusatis, credite, quæ nunc orationibus vestris de Regis clementia præ- « dicastis, mox fore, per justa supplicia, perque maledicta vestra ut recantetis. »

Ea sententia perculsis, revixisse continuo Stephanus rex in Sigismundo Rigensibus visus est; minus inde expedita erat ad respondendum deliberatio, hinc pertinacia, illinc metu animos distrahente. Mox invidia metu superiorem fecit contumaciam : nam ad suum remissi prætorium, a meridie ad horam a Rege constitutam audaciores jam multo, in suo scilicet sufflati consilio, et verbosiores rediere. Ac primus quidem cum principe ipso expostulat : « quandoquidem ipsi obsequium « Regi detulerunt, æquum, inquit, uti vicissim rex illis aliquid clementiæ imper- « tiat, majorum scilicet exemplo. Id Stephanum, id superioris ætatis principes, id « olim magnos quoque Theutonicos Magistros factitasse. Nihil se iniqui postulare. « Quæ sui jam olim essent mancipii, non aliena, in foro justitiæ et clementiæ « regiæ repetere. Respiceret sapientissimus princeps, si magistratus, jussu regio, « rem civitati communem abalienarit, quid consequi oporteat : quanta pestis con- « sulibus a plebe sociisque ejusdem sectæ civitatibus immineat. »

*Hæreticorum contumacia.*

Eadem argumenta excepit alter, multisque orationem, memoriæ fideliter mandatam, ambagibus ad lassitudimem suam et auditorum circumduxit. Denique, ut stultiloquentiæ, fastidii plenæ, conciliaret gratiam, jussus perorare, duobus digitis, precatus nescio quid Regi gurdus, benedixit. Et stomachum itaque omnibus movit ea homuli oratio et risum. Castigata et horum impudentia et civium pertinacia regiis per cancellarium verbis, abire, et cum suis consulibus quiescere, jubentur, nisi dura velint experiri. At illi, rursus sibi ut fiat reliquæ ejus utique noctis ad deliberandum usura, orare; acturi scilicet, ut cives sui ad sanitatem redeant, moremque gerant principi. In ista tergiversantium obstinatione, quin malos male perderet, ipsa Regem clementia sustinuit. Quanquam sibi jam alio festinandum erat; adhuc tamen se in oppido continuit. Id etiam gratiæ iniquis datum triconibus. Addita ea veniæ conditio, ut, si obedienter exequi imperata statuerint, prima luce revenirent; sin obstinaverint animis, revellenda a cervicibus, capita protervi obtrudere irato principi ne auderent. Adsunt postridie primo diluculo; templum e duobus ereptis unum reddunt; more scilicet furum (id quod iratus atque ad insanam hominum malitiam subridens dixisse fertur Rex ipse) qui res dimidiatas contritasque reponant. Nam, ut alterum etiam templum reddatur,

*Orator insulsus Rigensium.*

*Tricæ de templis restituendis.*

cogendus est, inquiunt, cœtus plebis : ut cum senatu consentiat, blandis nisi multisque orationibus extorseris. Tantæ in istis civium rationibus spinæ erant tricæque. 1589

Campanus Mittaviam sequitur Principem.

Addunt tamen, quo Regis animum spe interim deliniant, curaturos se contentione omni, ut principis imperio suis satis fiat. Mittaviam, quo properaret ipse, negotii transacti nuntium postridie missuros se pollicentur. Regem sequitur Campanus. Paucis post diebus venit eodem Rigensium secretarius ; renuntiat de seditione plebis in magistros civitatis, quod se principi obsequentiores exhibuerint, per ministros religionum suarum concitata. Orare igitur infimis precibus senatum, ut ampliari causam, trajicique in comitia proxima negotium patiatur. Sed jam ludorum Rigensium affatim. Suam hic lenitatem irridiculo esse sentiens Rex, animo deinceps esse otioso Campanum cum Sociis jubet : suam, ajens, non ipsius rem Societatis, in eo verti ; futurum brevi, ut Rigenses pœniteat pervicaciæ. Reputabant interim secum illud Socii, quod se Roma Claudius monuerat : non profutura ad salutem violenta, quæ Rex pararet, animis exulceratis remedia ; vim fieri hoc modo libertatibus suis ; compellique se ad profitendam religionem catholicam quererentur hæretici : non cessarent animos civium inflammare in Jesuitas boni sui ministri ; quare in perpetuo metu et turbine versarentur Socii ; quorum omnis opera, nisi tranquillis benignisque accipiatur animis, frustra sit. Illud quoque in mentem venit, non magnis intervallis Vendenses discretos esse a Rigensibus ; excurri ad hos Venda posse sæpius. En Derpatenses Socios : quam feliciter ipsis cum in oppido suo, tum per omnes Livoniæ, citimos etiam Rigensibus, tractus suæ procedant industriæ, in messe multa paucis ibi fructu magno satagentibus rerum suarum operariis. Multos hoc ipso anno numeres ibi hæreticos ad Ecclesiam reductos. Polonice, germanice, esthonice, unus non raro ter, feriatis etiam diebus, ad confertissima agmina concionatur. In urbe et circumjacentibus oppidis pagisque ad salutem populi præclare esse instituta, etc.

Derpatensis Collegii labores frugiferi.

Polociæ confirmati in fide catholici nostro etiam cum hæreticis certamine. 64

Polociæ cum hæreticis certamen theologicum.

Convenerat in urbem, judiciorum causa, frequens nobilitas. Visum nostris per occasionem experiri, si quos dedocere possent malum, inscitia magistrorum et fraudibus detectis. Qui primus occurrit, provocatur in arenam, tumidus ille præsidensque Zvinglianæ hæresis prædicator, et in ea provincia sator. Ponuntur in medio e polemica theologia catholicorum sententiæ ; ad præstitutum e condicto diem Socii magistrum Zvinglianæ scholæ præstolantur. Quæsitus etiam postridie, ac denique inventus, argumenta sua Sociis per manus gregalis sui obtrusit ;

1589 omnino illa a proposito abhorrentia, meraque deliria, a suis etiam sectatoribus contempta. Ulturi ignominiam suam Zvingliani, fidentissimos tres suos ministros advocant, in his facem illam ac turbinem Rutenorum, Simonem Budnium, Pancratiasten ut ætate sic amentia præcipitem. Hospites istos continuo nostri adeunt, atque invitant. Præfinitur disputationi dies; controversia in medio de vera divinitate Messiæ Salvatoris; ventumque ad rem; sed, proposita a nostris ex utroque legum, hinc mosaicæ hinc christianæ, codice, insuper e Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, veritate, adversariis stupentibus linguæ exciderunt. Hortantur languentem partem Socii et urgent; tergiversantur illi, et inter se mutiunt; denique, etiam rogati atque etiam, ridentibus his, indignantibus illis, obstupidi consilescunt. Ergo aliquis auditorum, qui horum sectæ favebat præcipue, veritus ne, quod erat, catholici admirationem nihil respondentium et stuporem verterent in stultitiam; « mirari, inquit, desinite; ignota prorsus istis atque inaudita objectan- « tur: nimirum novitate rerum confusi, cæteroqui docti eloquentesque viri, ad « ista adversariorum monstra conticescere, quam de re ignota certare verbis, « maluerunt. Deinde, quasi ipse disceptationum arbiter ac rex: diffindamus, « inquit, hunc diem, litemque cœptam in aliud tempus differamus. » Illi, impatientes dedecoris, jam pluribus e suæ armamentario theologiæ instructi telis, quæ modo diu noctuque colligi poterant, die postero ad pugnam reveniunt. At hoc pariter certamine de veritate decretum nihil; nisi quod adversarii, verbis levissimis velitatione facta, terga domum majore cum ignominia retulerint. Itaque Zvingliani, quanto magis dissimulatione foret occulenda sua stultitia, tanto eam impudentius nudavere; catholicis triumphantibus, hæreticis frendentibus aliis, aliis suas Ecclesiæ Romanæ partes concedentibus.

Zvingliani pudefacti.

65. Hæretici complures ex illustribus familiis conversi.

Confirmavit multorum opinionem de religionis catholicæ dignitate matrona lectissima, Georgii Seredæ, Hungari e principe familia, filia, Janussi ducis Ostrogii conjux, Susanna palatina Volhiniæ, reditu suo ab hæreticorum turba ad Ecclesiam. Præivit ad id exemplo parenti bonæ Eleonora filia, vidua Hieronymi Jazlovieckii Podoliensium palatini, deinde Joannis Georgii Radivilli, Trocensium castellani, conjux. Ad eam utriusque felicitatem usus est Deus Societatis nostræ ministerio. Eleonora, cognitis sectæ Calvinianæ fraudibus, Nesvisium se contulit ad generum; ibi execrata hæresim, riteque expiata, die Augustissimæ Trinitati sacro, generum inter et filiam ad mensam divini convivii accessit. Inde vita religiosissime instituta, sexto mense ad eum, cui ad Ecclesiam suam vocanti obtemperasset, per obitum felicem transiit. In supremo morbo, præter alia, quæ sua sibi

66. Hæretici revocati.

suggessit pietas, templum in oppido suo condi, et, vectigali perpetuo assignato, sacerdotem ibidem curionem constitui, testamento jussit. Triginta alii a sectis Calvini, Photii, Lutheri, ad unitatem Ecclesiæ catholicæ per Socios e Nesvisiensi Collegio revocati. Hinc principi Radivillo, conditori ejus domus, incitatio animi ad ea, quæ pie instituisset, profliganda alacritasque in dies major. Jacta novi fundamenta templi: aucta domus vectigalia: bona Collegio tradita ut ab oneribus essent immunia, tum regio decreto, tum senatus-consulto, ipso procurante, sancitum. Brunsbergensi quoque Collegio sua interim fuerint incrementa (1). Quod diu ad rei litterariæ commodum desiderabatur, condita suisque instructa utensilibus, litterarum imprimendarum officina. Pro conducta alendis convictoribus, non amplissima illa (quæ habitatores septuaginta caperet non amplius) domo, data est, ad septuaginta annos gratis utenda, ædes commodior multo, et qua duceni facile possint contineri.

1590 Nesvisiensis et Brunsbergensis domiciliorum res auctæ.

Typographia.

Rebus præclare gestis in diœcesi Cracoviensi, quas historico polonicæ provinciæ relinquimus, anno 1590 gratum sibi ab urbe nuntium accepit Campanus: Ludovicum scilicet Masellum, qui provinciam lustraret lituanicam, Roma missum. Hunc ille comitatus, Varsaviam primum ad salutandum Regem, inde Nesvisium ad conditorem domicilii Nicolaum Radivillum, Trocensem tunc palatinum, se contulit; quo princeps Socios, quando quidem ipsis cogenda erat (2) provincialis Congregatio, invitabat. Invitatos accepit benignissime, suisque impensis sustentavit; quin etiam revenientibus ad sua domicilia liberaliter suppeditavit viatica; in primis Stanislao Grodzickio, Procuratori ad Congregationem Romanam electo.

1590. P. Masellus provinciam visit.

Duo huic negotia maxime commendata: alterum, ut præses provincialis ex provincia concessu Præpositi generalis legi possit, sufficiendus (3) Campano, jam ejus muneris, quod novem ipsos annos sustinuisset, ætate illi ingravescente, valetudine infirma, vacationem postulanti; alterum, ut viderent congregati Patres, commodius ne foret, provinciam hanc, quæ tantis inter se distantia intervallis haberet domicilia, dividi bifariam: in Lituanicam videlicet et Polonicam. In utramque partem Romæ disceptatum. Pluribus visum, nec provinciam esse dividendam, ut quæ unius esset gentis, et provincialem curandum maxime, ut mittatur ex Italia. Judicio plurium res stetit. Id consilii cardinalis etiam Radivillus, qui res Societatis perinde, ac si unus e nostris foret, curabat, datis ad Præpositum generalem litteris, collaudavit. Lituanica itaque et Polonica Masello visitanda

(1) Seminarium Brunsbergensium amplius. — (2) Nesvisii Congregatio Provincialis.
(3) De dividenda provincia tractatur frustra.

590 erant domicilia. Ille, ab ultimis usque lituanicæ partibus provinciæ, livonicis scilicet domiciliis, rem orsus (1) Rigæ, quandoquidem nostram cum civibus rex suam fecerat litem, non amplius curavit, quam ut sacerdos catholicus ad templum divi Jacobi consideret; remque ibidem Societatis nomine procuraret tantisper, dum quid certi statueretur in comitiis regni generalibus. Rigensibus interim cæterisque

67. Libellus famosus in Societatem a Rescio confutatur.

hæreticis gratificari voluit, qui famosum libellum, *Actio equitis Poloni* adversus Jesuitas a se inscriptum, vulgavit. Sustinere non potuit illam Sociorum contumeliam religiosissimus vir, Andrejoviensis antistes, Stanislaus Rescius. Hic suo scripto, quod nominavit *Spongiam*, calumniatoris mendacia luculenter confutavit. Confirmavit Sociorum laudem insigni exemplo nobilissimus juvenis Nicolaus

68. Lancicii vocatio et admirabile ejus studium.

Lenczyckius, quem hodie, auctoribus italis, Lancicium appellamus. Parentibus hæreticis in Lituania, anno 1574, IV idus decembres, feria hebdomadæ sexta, in diversorio (quo se ex itinere mater parturiens receperat), editus, a sacerdote catholico baptismi fonte ablutus, nutriculam quoque nactus catholicam ; quod ipse inter beneficia divinæ providentiæ gratus numerabat. Parens, nobili genere in Polonia ortus, multis a Nicolao Radivillo Nigro, Vilnensium palatino, invitatus promissis, transtulit se in Lituaniam. Hujus inductu principis et aliorum hæreticorum fraudibus ab Ecclesia romana ad calvinianam traductus sectam, et typographis hæreticorum Vilnæ præfectus, opinionibus novis imprudens filioli sui animum imbuendum curavit, calvinistico in scholis usus magisterio. Non ad istam disciplinam divina bonitas Nicolaum præparabat. Jam quinquennis puerulus a nutrice ad templum Divi Joannis nostrum Vilnense allatus, meminit ipse, oborta tum sibi primum divina repente luce, lumen rationis, quo adesse sibi hoc loco præsens numen moneretur, affulsisse. Itaque ad primum radium illum, sub elevationem divinæ in sacrificio hostiæ, procubuisse supplicem toto corpusculo, seque suo conditori Deo devovisse. Præsensit inde futura humani generis hostis : saluti ergo pueri inhiare, atque jam sub larva gigantis, apodum teterrimi, Nicolaum territare, jam discrimina capitis certa impellere; tutante contra salutis suæ præside bono genio. Vilnæ, in scholis Calvinistarum, adolescens, ad theologica nostra cum hæreticis certamina et ipse accurrebat; redibat pariter cum suis victis pœnitens ignominiæ ; utque animatus erat, quo suarum religionum ardens profiteretur studium, nudato collo, paratus ille scilicet ad excipiendos quosvis pro sua religione ictus, fora civitatis plateasque obambulare aliquando , mirante populo, succensentibus suis etiam sodalibus non dubitavit. Id vero mirum erat, quod, tametsi adolescens tam

(1) Rigæ in domicilio Societatis curio sacerdos collocatur.

incenso professionis suæ arderet studio, adduci tamen non poterat, ad cœnam calvinisticam ritu suorum ut accederet. Nimirum noluit divina bonitas puerum suum istis initiari sacris tam profanis. 1590

Fastidium juveni creabant sensim : adipalis illa Calvinistarum in fano cœna : illa in odis suis rauca cantitantium pietas : illi pastorum suorum ritus moresque. Cogitanti itaque secum, et, quæ vidisset, quæque audisset in templis catholicorum, in scholis et cœtibus, cum suis Calvini sanctitatibus conferenti, injecta divinitus, penitusque inhæsit de veritate dubitatio. Respicere jam ille nostros : itare ad Petrum Skarga consilii salutaris causa ; misso denique calvinistici pædagogii pistrino, poeticæ jam candidatus, in cœtum Academicum nostrorum se aggregavit ; mox ipsa divo Nicolao suo luce sacra, hæresim ad mensam divinam execratus est.

Inde, eodem spiritu divino instinctus, duplici obstrinxit se voto : castitatis, nulla adhuc violatæ culpa, et Societatis Jesu per vitæ institutum amplectendæ. Nihil deinceps cunctatus, in cœtum Sociorum jam hodie se ut admittat, P. Masellum orat suppliciter. Experiendum adolescentis ratus animum præses, negat se id præstiturum prius, quam parens etiam suus ad Ecclesiam redierit, suaque Nicolaum sponte Societati obtulerit. Gratiorem ita Deo se fore hostiam, merito scilicet tum suo tum parentis commendatam. Duplex in parente difficultas juveni, omni suo major consilio, erat superanda : quod et Nicolai amantissimus parens, et calvinisticæ sectæ esset senex tenacissimus, quæ conditio adolescentem in ægritudinem primo, deinde in morbum difficilem conjecit. Festo divi Nicolai die, mœrens ad febricitantis lectulum parens : « me miserum, inquit, fili mi, spes meæ « domus unica : neque enim suppetit, quod hodie, his tuis nominalibus, tibi « mihique gratuler ; te languente, spes omnis me plane deficit. Quis mihi deus te « præstet incolumem ! Atqui mi parens, ad hæc Nicolaus, si quidem me bene va- « lere cupis ; non est, quod diu requiras sollicitus. Domi est nobis Æsculapius, « qui malo nostro remedium attulerit præsentissimum. Non ignoramus, Deum « vitæ et necis esse Dominum. Vereor equidem, ne hic iratus sit nobis : quod « sibi, me ad religiosam Societatis Jesu familiam vocanti, te vero, pater, ad « sanctam Ecclesiam revocanti, imprudentes homuli obluctamur. Videndum porro, « ne morbus idem, quo me depasci doles, contumaciæ sit nostræ cauterium ; id « quod ego omnino existimo. Itaque, nisi jam nunc obtemperemus Deo, uterque, « ego vi hujus morbi, dolore suo parens, oportet, moriamur. »

Excussit seni lacrymas ea pueri oratio, animumque propositi sui tenacem adhuc commovit adeo, ut paucis post diebus ipse collegium Societatis adierit, ibique,

1590 sacrilegi sui pœnitens transfugii, rite se restituerit Ecclesiæ. Id nuntii tanta Nicolaus excepit lætitia, ut oblitus omnis languoris e lecto exsiluerit, confestimque a se febris, ipso lætitiæ discussa æstu, discesserit. In eo tam manifesto consilii divini argumento triumphare juvenis, ac tum Patres fidei, quando quidem standum erat conditione, tum parentem promissi admonere. Extudit tandem precibus, quod optabat, effecitque, ut senex non modo veniam abeundi daret, sed ipse etiam cum lacrymis filium ea devotione animi, qua Isaacum suum obtulisset Abrahamus, adduceret ad Masellum, Deoque obsequens offerret (1). Acceptus Vilnæ, Cracoviam ad novitiorum palæstram anno 1611, mox Romam ad absolvendum religiosæ vitæ tirocinium translatus.

(1) Plura de Nicolao suis locis, maxime inter res anni 1653, num. 6.

LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER QUARTUS

(1590-1600.)

Coacti Rigenses regio Sigismundi III mandato, et communi gentis per comitia generalia decreto, justitiæ tandem et auctoritati concessere. In antiquum jus repetitum Rigæ domicilium : Socii anni 1590 æstate, tranquilla civitate, ad sua rediere. Refectis, quæ exilii quinquennio vitium fecerant, ædibus, collegium numero convenarum expletum ; quin tironibus etiam, intra eosdem parietes ad officia vitæ religiosæ instituendis, apertum gymnasium ; octo novitiis Vilna, pluribus Cracovia deductis. Præfuit domui P. Von der Ave, rector idem Collegii et tironum magister, hujus magistri Socius, et germanicus in æde divi Jacobi concionator, Fabianus Quadrantinus muneribus suis fungebatur. E recenti Collegio duo sacerdotes in Samogitiam ad eam repastinandam vineam missi, Petrus Bludeckius et Laurentius Manukiewicz. Duo in urbe templa hospitibus restituta : divi Jacobi apostoli, et Beatæ Mariæ Magdalenæ, cum cœnobio religiosarum virginum, hoc anno ad unam jam extinctarum : sacellum præterea ad ædem divi Jacobi, in quo sacræ conciones ad Polonos habebantur.

1591

1

Rigam exules Socii revocantur. Novitii instituuntur.

Quo anno juvenis beatissimus D. Aloysius Gonzaga e Collegio Romano in illam Dei civitatem transiit, eodem beati Stanislai Kostka carus in tirocinio

1591 2. Stanislai Varsevicii obitus et elogium.

olim collega, Stanislaus Varszevickius, V idus octobres excessit; pestilentia extinctus in ministerio civibus impenso Cracoviæ, annos 64 natus. Sepultus in templo divi Mathiæ. Genere in Polonia ortus clarissimo, patre Joanne, Vissogrodensi aliis, familias Polonorum censentibus genealogis, Varsaviensi aliis, castellano, adolescens ingenium ad litteras nactus feracissimum. Latinis græcisque excultus, ab Augusto I Polonorum rege publicis ornatus est muneribus: jam legati ad imperatorem Turcarum et principes in Europa, jam scribendorum et obsignandorum magistri diplomatum, jam in ecclesiastico statu canonici, scholastici Gnesnensis, Posnaniensis cancellarii. Infulæ denique pontificiæ viro bene merito parabantur. Hæc ille omnia præ Christi paupertate, quam in familia Ignatii religiosa adamasset, aliis putavit relinquenda. Acceptus in tirocinium Romæ anno ætatis quadragesimo, riteque jam institutus revocatur anno 1570 in patriam. In omnibus officiis magna cum laude versatus, sive concionaretur ad aulam regiam, sive Collegia Rector gubernaret. Lacerante Vilnenses pestilentia, ipse in civitate ad præstanda moribundis officia cum paucis restitit; neque ex his, qui se ita devovissent, desiderati uno plures, Deo servulos suos præstante incolumes. Bis visit Sueciam, a Gregorio XIII ad regem Joannem legatus. Ibidem, missionariis Sociis præfectus, feliciter in catholica piaque regii principis Sigismundi educatione operam collocavit. Lublini Collegium gubernavit annos octo. Primus e Societate Vallachiam adiit, jussu Pii V Pontificis, cum litteris ejusdem ad ejus gentis principes. Conciliata ducis Vallachorum benevolentia, biennium ibi commoratus, multa salutaria confecit negotia. Ab obitu suo annis

Apparet Petro Skarga.

amplius decem (1606) P. Petro Skarga medio die spectabilem se obtulit, decumbenti ex febri. Oranti ægroto Deum, vitam sibi annum saltem unum clemens prorogare ut velit, quo pluribus pietatis officiis gratum Deo suum pro beneficiis profiteatur animum : « quin tu, inquit, mi Pàter, decem utique annos vitæ propagandæ precaris? » Dixit, dictoque ocius evanuit. Convalescit Petrus continuo; inde annos decem vires exercet in laboribus Ecclesiæ utilissimis. Meminit hujus carissimi sospitatoris, olim collegæ sui, Petrus in suô apologetico adversus hæreticos Societatis calumniatores libro (1) : « videat, inquit, alia etiam Jesuitarum « officia, qui eos malitiose insectatur. Omnis civitas, in qua hi degunt, omnem, « quam tempus et necessitas flagitet, compertam habet usu istorum charitatem. « Fideles sunt salutis curatores; illi inclusos periculis mortales non destituunt : « salutis æternæ causa, ultro se in discrimina vitæ objiciunt : miseros solantur,

(1) Lib. *Proba wtòra*, sect. 3, pagina 177.

« fovent, reficiunt. Sic tu Cracoviæ, mi Varsevici carissime, vovisti caput tuum 1591
« pro tuorum salute civium, in eoque ministerio eximius pietatis magister occu-
« buisti : inde ad præmia virtutis tuæ evolasti. Sit tibi curæ, obsecro, salus mea
« collegæ tui; qui tua præeuntis exempla pro viribus sectabatur. »

Varszevickii Christophori elogium.

Minime degenerem nactus P. Stanislaus fratrem germanum, Christophorum, canonicum Cracoviensem, regium secretarium. Quos hic, quam multos, quanta eruditionis suæ monumenta, conscriptos a se libros posteritati reliquerit, censet in suo de nobilibus Polonorum familiis opere nobilis e Polonica provincia scriptor, P. Gaspar Niesieckius. Diserte eundem neque immerito laudat in sua epistola doctissimus vir Stanislaus Minskius, Lenciciensium palatinus : « te etiam atque etiam diligo, et admiror me hercule, qui inter tot tuas calamitates et adversæ fortunæ procellas non modo animum te dignum non remisisti, sed et studia ac litteras ita coluisti, ut nunc plurima laborum et lucubrationum tuarum monimenta externorum manibus, summa cum laude tua passim conterantur. Ita senescere oportet virum, qui tot imperatoribus, tot regibus, tot principibus servierit et carissimus fuerit, negotia domi forisque tractaverit, multas gentes, regiones, moresque ipsarum viderit, etc. »

3. PP. Ariæ et Arturi elogia. Theologiæ Doctores in Academia Vilnensi.

Collegium Vilnense duos hoc anno desideravit Socios, eosque primos in sua, nuper instituta, academia sacræ theologiæ doctores, ejusdem ibidem magistros eximios, viros scholis hæreticorum formidabiles : Laurentium Arturum Fauntneum et Antonium Arias. Laurentius in Anglia natus, in Germania studio litterarum adolescens operam dedit. In Societatem ibidem acceptus, artem dicendi et philosophicas in Germania disciplinas, Romæ theologicas didicit. Eo curriculo confecto, jam sacerdos, missus in Lituaniam, bonis artibus in magnam doctrinæ et sanctimoniæ apud omnes existimationem venit; quam editis etiam libris (1) præclare confirmavit. Obiit diem suum Vilnæ in Collegio academico religiosissime 1591, annis in Societate 25 magna cum laude exactis. Eandem indidem viam iniit V nonas martias hujus collega Antonius, ex Hispania ad instituendam theologiæ scholam invitatus. Quid hic theologus in aula regia Stephani Batorii egerit, jam memoravimus.

P. Ariæ doctrina.

Modestia etiam in aula regia

Exstat in Lituanicæ provinciæ archivo de sanctimonia patris Antonii testimonium, grave illud ac firmum, Romæ in congregatione generali anno 1608, III idus apriles, a P. Garsia Alabiano, rectore nuper academici Vilnæ Collegii, id vero temporis Socio præsidis provincialis provinciæ Aragonicæ, indidem ad eandem

(1) V. Indicem Scriptorum.

1591 congregationem misso, rogatu P. Pauli Boksza præpositi interposita sancte fide datum, auctoritate publica litterisque Romæ in apostolica, ut vocant, camera rite confirmatum. Laudantur in hoc viro præcipue : religionis studium, firma fides, spes rebus in arduis experta, amor Dei et memoria ejus præsentis in omnibus vitæ officiis perpetua ; quod vultus etiam suus et sermo exæstuans indicabant ; charitas, et diligentia in cura egentium maxime et miserorum incredibilis, obsequium et observantia in omnes, præsertim in præsides suos ; quorum nutus etiam diligentius, quam aliquis felicitatis suæ auspicia, observabat : tum modestia, submissio, comitas cum gravitate morum, in rebus cum prosperis tum adversis semper constans sibi, erectus attentusque ad occasionem virtutis et meritorum omnem animus. Sic prudens ille semper et circumspectus, ut ipsos quatuordecim annos, quibus secum convixerint, ne verbum quidem, quod non omnino esset religioso dignum viro, se ex P. Antonio unquam audisse, Garsias idem affirmaret. Omnium ille pie studiosus, amans atque observans : omnium suo ipsius sensu infimus : contra ipse opinione omnium vir apprime doctus, sanctus, venerabilis. Ipse viri conspectus pro magisterio pietatis erat academicis maxime juvenibus. Horum aliquis in suo cœtu contemplatus Patrem, affectusque admiratione, ad suos conversus gregales : « bone, inquit, Deus ! si tantum e vultu sacerdotis hujus eminet sanctimoniæ decus : quantam oportet esse lucem hujus dignitatis in illa Sanctorum omnium corona, in Christo Jesu, in Matre ejus Beatissima ? » Ex illo tempore adolescens et ipse suos castigare mores, pietatem colere impensius, offerre se Patri, eodem animi sui uti arbitro et vitæ magistro. Eadem morum suavitate allecti juvenes alii complures, ipsi quoque se, præceptionibus ejus formandos salutaribus, ultro dabant : frequentes quotidie cathedram Antonii, confessiones exceptantis, circumstabant. Mendiculis rusticulisque pro curatore erat ac patre. Quidquid sibi oblatum esset, concessu præsidum, totum in egentes erogabat.

*Virtutes præcipuæ.*

Dimissus ex aula regia, quod ipse vix precibus multis impetrarat, cum in Lituaniam ex Polonia rediret, in itinere demum comperit, multa in suum currum, piæ reginæ jussu, ingesta clanculum pro viatico, nec pauca utensilia ; quæ ille omnia in occurrentes sibi mendicos distraxit : succensentibus id suis comitibus, quibus ea largitas profusioni quam liberalitati similior videretur. Lepidum illud, quod fecerat in itinere cum cardinale Georgio Radivillo, diœcesim suam collustrante. Hyeme perfrigida, serotino tempore, ad principem diversantem concurrit frequens ex pagis populus cum supplicibus libellis. Ad occupatum negotiosis epistolis præcluso aditu, nox erat sub dio algentibus transigenda. Sustinere id

incommodi charitas Antonii non potuit. In suum ille cubiculum omnes colligit : 1591
calefactos cibos potuque reficit : fœno denique comportato, stragulisque explicatis, plebeculam invitat ad quietem. Obsecuta facile charitati paternæ rustica simplicitas; quæ quidem risum omnibus, bonitas vero Patris admirationem movit. Ægrotum Vilnæ mendicum, in sterquilinio jacentem, suis ipse sublatum humeris sub tectum transtulit, inque molliore strato curavit componendum. Quo utilior Lituanis esset, linguam gentis patriam, alienigenis difficilem, condidicit, ea præceptiones Christianas explicabat rudibus, confessiones paganorum exceptabat, magno tum populi fructu tum merito suo. Anno pestilenti Vilnæ dum alacer moribundis salutarem dat operam, noxam concipit insanabilem. Exhausto laboribus perpetuis et afflictationibus corpusculo ut plusculum indulgeret, ne supremo quidem in morbo poterat induci ; quin paucis etiam ante obitum diebus sic tergum flagellis lacerabat, ut se animus prope per ipsa verbera relinqueret, opusque inspector esset, qui Antonium ab ea severitate dehortaretur. Dehortantibus illud divi Augustini objectabat : nemini, quamlibet innocenti, ex hac vita discedendum esse sine pœnitentia. Judicii divini timorem affectu spei et gaudii temperans, illud Davidicum : *cantabo Domino in vita mea*, *psallam Deo*, *quam diu fuero*, exhalaturus proxime animam, cantitavit. Funus magno populi luctu deductum 1591, IV nonas martias.

Octavo inde anno, scilicet 1599, IV nonas martii e communi Sociorum sepulcro translatum a Nicolao Christophoro Radivillo, Vilnensi Palatino, in sacellum Beatæ Virginis Mariæ ; quod hodie Sodalium est Congregationis Maximæ, ibique ad lævam altaris conditum cum hoc in tabula elogio : D. O. M. NICOLAUS. CHRISTOPHORUS. RADZIWILL. DUX. IN OLYKA. ET. NIESWIEZ. PRO. SUA IN. DEUM. EJUSQUE. HUMILES SERVOS. PIETATE. OSSA. HÆC. P. ANTONII. ARIAS. NATIONE. HISPANI. PRÆTER. ALIA. VIRTUTUM. ET. INSIGNIS. SAPIENTIÆ. ORNAMENTA. SPECIALI. QUADAM. CHARITATE. ET. HUMILITATE. PRÆDITI. IN. HUNC. LOCUM. ET. LOCULUM. TRANSFERRI. CURAVIT. ANNO. MDXCIX. SECUNDA. MARTII.

Monumentum.

De rebus anno 1592 gestis nihil admodum memoratu dignum reperio. Multi ad frugem correcti, conciliati Ecclesiæ multi. Sed argumenta ejusmodi dies fere omnis suppeditat. Brunsbergæ in gymnasio institutæ lectiones theologiæ tum moralis, tum polemicæ; adjuncta his classis philosophica (1); cujus dies quasi natalis mense septembri celebratus magna procerum frequentia : pulchro apparatu simulacro- 1592 4

Brunsbergæ auctum scholis gymnasium.

(1) Magistro hujus facultatis primo P. Richardo Singletono Anglo. V. Hist. Prussiæ Leonis. Lib. VII, p. 471.

1593 rum, emblematum, carminum, propositorum e vestibulo gymnasii, quibuscum domesticæ musæ advenis prodirent quasi obviam, easque consalutarent.

5. *Alberti Radivilli funus Vilnæ.* Vilnæ in templo academico pie magnificeque parentatum principi S. Romani Imperii, mareschallo Lituaniæ, tertio Nicolai Nigri Vilnensis palatini filio, Alberto Radivillo. Funus Cracovia, ubi diem hic suum obiit, deductum; procurantibus id fratre suo cardinale Georgio, et Anna, conjuge vidua, Gotardi Ketleri Curlandiæ ducis filia. A Calvini secta reductus per Socios ad Ecclesiam Albertus. templa catholicis, ab hæreticis erepta, restituit ac refecit, quædam, a fundamentis excitata, redditibus donavit amplis. *Laus ejusdem.* Academicum Vilnæ divi Joannis fanum ara majore, organis, aliisque auxit ornamentis. Divinæ laudis fuit perquam studiosus. Non pigebat interdum principem ad divina altaris mysteria inter musicos canere fidibus; cujus artis apprime fuit sciens. Inedia corpus modisque exquisitis salutis æternæ gratia afflictabat. Sacrificiis quotidie intererat. Munera præclare obivit multa. Præcipua industria cives inter et Moscoviticam gentem conciliavit pacem legatus. Adversus eosdem, nuper hostes, secutus regem Stephanum, prælia apud Polociam et Vielicolukos insigni virtute sustinuit. Arbiter funeris Georgius cardinalis, justis fratri persolutis, cum sua familia lugubri apud Socios in Collegio cœnavit. In eo luctu consolabatur se fratremque cardinalem Nicolaus Sierotka, tunc castellanus Trocensis, commemoratione sui Collegii Nesvisiensis, aucti insigniter (1) : pulchro in primis augustoque templo, nuper ingenti civium gratulatione aperto ad cantus, ignes artificiosos, et festa e bellicis machinis tonitrua.

7. *Congregatio provincialis Pultoviæ.* Pultoviæ habita provincialis e triginta Patribus Congregatio, præside et visitatore provinciæ Ludovico Masello. Duo Romam ex ea legati : Jacobus Vujekus Vangrovickius, et Stanislaus Grodzickius. Congregatos insigni liberalitate Plocensis episcopus Adalbertus Baranovskius sustentavit.

8 *Sigismundus Sueciæ hæres, coronatur.* Ad revisendam exulibus Sueciam aditus Sociis patefactus esse videbatur : legitime in solium, a Joanne III per mortem relictum, succedente regio ejusdem filio, rege Polonorum Sigismundo III. Invitatus a Suecis suis ad gubernaculum, comitiis ea super re Varsaviæ mense majo habitis, ægre a Polonis, neque aliter, quam interposita sponsione de reditu suo, intra spatium anni dimissus. Gedano vela fecit mari Baltico mense septembri. Octobri ineunte appulsus Stokholmiam. Pergratus fuit Sueciæ toti principis sui adventus, si regni competitorem Carolum patruum suum excipias. Is relictam a Joanne coronam sibi vindicabat, hærede polonici regni negotiis occupato. Prensabat Carolus cives, seque commendabat hoc nomine maxime, quod lutheranæ sectæ, quam profiteretur

(1) Nesvisii templum Collegii perfectum.

1593 cum civibus communiter, futurus esset propugnatur et vindex; cujus promissi spes a Sigismundo minime offerretur. Eum itaque (verbis hic Poloni historici Piaseckii utor) (1) omnes doctores lutheranos exterminaturum, vindicaturum templa omnia catholicis, in vulgus spargebat; et ad eam operam ipsum in regnum Jesuitas ultra mille (peditatum omnem Hungaricum simulato interim nomine et habitu militari Jesuitas esse insinuans) mutata veste introduxisse. Absentem denique ex arbitrio Polonorum, et per externos, regnum Sueciæ gubernaturum, legesque patrias immutaturum. Ejusmodi causas cupiditati suæ prætendebat rivalis regni, quo facilius levaret suspicionem ambitus. Quæ patrui calliditas ne Sigismundo fraudi esset, Polonorum quidam procerum scripto regem monendum putavit (2). Ex eo monito intelliges, unum ipsum objacuisse præpedimentum, ab hæreticis objectum Sigismundo ad solium patrium : religionis videlicet studium catholicæ; cujus hic in suas restituendæ sedes fuit percupidus; nam de administrando regno Sueciæ per eundem Poloniæ regem negotium omne facile cōnfectum. Quod religio sincera ac vetus, per divum Olaum regem annis abhinc prope septingentis (3) a Suecis accepta, indeque regum et bonorum antistitum studiis propagata ad Gustavi usque tempora, per Laurentium et Olaum Petersonios, fratres germanos, Lutheri olim Vittembergæ discipulos, corrupti, deteriore esset loco, ea maxime cura bonus princeps angebatur. At exspectanda erat idonea magis rerum agendarum opportunitas, concedendumque tantisper hæreticorum pertinaciæ.

Bella de Jesuitis fabula.

Causæ excludendi a regno Sigismundi.

1594 Postulabat a civibus in primis eandem sibi jurisjurandi proponi formulam Sigismundus, ex qua parens suus suam fidem in aditu regni ritu gentili obstrinxisset : ut, quando quidem Augustanam confessionem tantopere curarent, catholicæ quoque religionis studium e compacto sinerent cuique esse liberum : tum, ne insigne regni, coronam, capiti suo imponeret alius, quam præsens Romani nuntius Pontificis, S. Severi episcopus, Malaspina. Et primum quidem postulatum, post tricas multaque verba ultro citroque habita, admissum est; alterum nulla ratione evinci potuit, Carolo maxime adversante. Itaque a pseudo-episcopo Upsaliensi, Abrahamo Andersono, lutherano, Sigismundo et Annæ conjugi, Upsaliæ in templo ante majorem aram, cæremoniis utique omnibus e rituali romano observatis, imposita regni Suetici insignia. Rebus denique omnibus per comitia generalia, exeunte martio 1594, in Suecia compositis, regnique administratione Carolo commissa, Sigismundus, duabus insignis coronis, rediit in Poloniam, XLIV navibus Stokholmia Gedanum comitatus.

Postulata Sigismundi duo.

Alterum ab hæreticis non admissum.

Ornatus rite insignibus regiis redit in Poloniam

(1) Piasecki, Chron. gest in Europa, an. 1594.—(2) V. Piaseckium ib.— (3) Antiquitas religionis in Suecia.

1594 et 1595 Suecis ita hæresim suam tueri obstinantibus, Ruteni interim, in provinciis Poloniæ et Lituaniæ permixti cum catholicis, jam diu a Romana Ecclesia et opinionibus dissidentes Græcanicis et ritibus, sub hoc denique tempus in gratiam cum Romanis rediere. Complures ex ea secta dynastas et sacerdotes, in primis Zaslaviensium ducem, Janussium, Palatinum Volhiniæ cum sua conjuge et familia, anno circiter 1594 strenui e Societate per Russiam operarii, PP. Gaspar Nahaius et Martinus Laterna, eadem tempestate revocarunt. Eodem contraxit innumerabiles conjunctio Rutenorum cum Ecclesia Romana, conciliari cœpta per synodum, Brestæ, in oppido Lituaniæ, a Latinis pariter et Græcisantibus Rutenis habitam, anno 1596, pridie nonas octobres institutam. Quæ res cum memoria sit digna per se, et partes nostrorum quoque fuerint in ea Sociorum, copiosius etiam, quam fortasse quis hoc loco postulet, narrabitur. Frequens is conventus fuit ac nobilis. In primis censebantur Græci ritus episcopi (1): Michael Rahosa, Kijoviæ, Haliciæ antistes, et universæ metropolitanus Russiæ; Hypatius Pociey, Volodimiriæ et Brestæ protothronius; Cyrillus Terleckius, exarcha Luceoriensium et Ostroviensium; Hermogenes, archiepiscopus Polocensium et Vitebscensium; Joannes Hohol Pinscensium et Turoviensium, Dionysius Zbieruskius Chelmensium et Belsensium antistites; tum a Romano Pontifice Clemente VIII internuntii: Joannes Demetrius Sulikovskius, archiepiscopus Leopolitanus, Bernardus Maciejovskius Luceoriensium, Stanislaus Gomolinskius Chelmensium, præsides infulati; consciis, atque eam synodum probantibus, Sigismundo Poloniæ et Sueciæ rege, et regni primate Gnesnensium archiepiscopo Stanislao Karnkovskio.

1596 9

Unio sive conjunctio Græcisantium in Lituania.

PP. Skarga et Rabus.

Cum his aderant e Societate nostra theologi, pontificum et procerum postulationibus obsecuti, in primis Petrus Skarga et Justus Rabus. Negotium rite a comprecatione et divini numinis invocatione exorsi antistites, præstolantur legatorum a rege adventui; quorum scilicet præsenti autoritate freti, securius inter se agitent. Erant enim qui, copiis hæreticorum contractis, eorundem duces, ad dissipanda catholicorum consilia cum Ostrogio principe accurrerint. In illo bonorum metu et expectatione, ecce tibi a rege princeps Nicolaus Radivillus, palatinus Trocensis, Leo Sapieha cancellarius Lituaniæ, Demetrius Chaleckius Lituaniæ thesaurarius. Horum adventu depulsus metus, proposita regis nomine ad rem persequendam invitamenta congregatis. Expostulare hic legati regii cum hæreticis,

Hæretici Synodum disturbare conantur.

(1) De synodo hac vid. plura in Miscellaneis P. Alberti Kojalowicz a pag. 51. Ibidem de schismate Photiano, a pag. 43.

salutaris ejus consilii turbatoribus, tam cito oblitis promissorum, et fidei nuper 1596
super eadem re Sigismundo regi obligatæ; qui cum istis armatorum, poparum agrestium, glebæ ascriptorum, turmis, contractis etiam alienigenis, Brestiam irrupissent, atque adeo in ipsum tam illustre sacrumque concilium involassent. Ratione facti sui legatis exposita, dux Ostrogiensium, turbarum istarum auctor, palatinus Kijoviensis, Constantinus, pollicitus est, nihil perniciosi partibus se tentaturum, modo patres conscripti certas pacis conditiones a concilio suo afferrent. Vix dum hoc patribus in consessu renuntiatum est, cum a suis monentur, convenisse ex adverso in Volodimiriensis episcopi ædem adversarios; jam ex eo comitio delectos esse ad metropolitanum internuntios. Eo se quoque nuntii regii extemplo conferunt; comperiunt id, quod nollent: metropolitanum reprehendi a factiosis, quod cum Romanis de negotio religionis consentiret: quod synodum coegisset, non consultis sectæ suæ episcopis: quod hoc tempore suis aditum præcluderet; itaque profanatum factis suis, magistratum pontificium sibi esse abrogandum, seque dira proscriptione segregandum ab Ecclesia Græcanica.

His experrecti legati regii palatinum Kijoviæ conveniunt, rogant an, quæ in conciliabulo suorum agerentur, sciret ipse probaretque. Nihil dissimulat ille; quin auctorem etiam ejus factionis se gloriosus jactat. Averso enimvero responsum acceptum animo. Proposita tum rei indignitas « male hoc pacto consuli famæ suæ, male « saluti mortalium, male divinæ gloriæ : modo pacis conditiones peti, modo civile « bellum inflammari. Consideraret porro palatinus secum, quam iniquum esset, « ferri sententiam prius, et sacrorum condemnari antistites, quam causam suam « dixerint : celebrari conventus adversus cives, amicos, et cognatas sibi familias : « hominem denique profanum de religionibus disceptare, et arbitratu statuere suo, « quis pius aut prudens sustineat? Id muneris certe ne ipse quidem communis om- « nium civium Princeps sumere sibi voluit aut potuit; quare idem arbitrio ipsorum « hominum religiosorum commisit. Jam qua auctoritate magisterium metropolitano « sacrum palatinus cum suis centurionibus iret abrogatum? Omni profano id pote- « statis superius esse subsellio. » Ejusmodi rationibus adductus denique est palatinus, ut adessent e suo cœtu hæretico, quibuscum catholici coram de negotio conferrent. Duo ad id ex ejus collegio lecti, Premisliensium alter, alter Leopoliensium, antistites Rutenici. Ad hos regiorum legatorum alter instituit orationem; quam a nobis, ex vernaculo apud Petrum Skarga (1), in Latinum conversam, accipe :

(1) V. librum, quem hic inscripsit *Kazania przypadkowe* [seu *Conciones* diversis et variis opusculis auctæ inter quæ illud de *synodo Brestensi*.]

1596

Legati regii oratio invitantis dissidentes ad concordiam.

« Ut cuique mortalium dulce ipsum est pacis nomen atque concordiæ, quæ multijugis boni fortunata sit parens : sic regi quoque nostro serenissimo. Gratus « fuit jucundusque omnino is nuntius, quem annis abhinc tribus a venerabili « Patre metropolitano, ab antistitibus universis, atque a vobis etiam, Leopoliensium et Premisliensium episcopi, quodque vos ipsi litteris vestris confirmastis, « princeps acceperat : id scilicet apud vos constitutum esse, ut gens ritus vestri, « sacræ regiæ majestati subjecta, ad Romanæ auctoritatem Ecclesiæ, ad summum « ejusdem Pontificem, tanquam ad caput suum divisa membra, aggregentur ; « nuntio jam hodie Græcis et suo Constantinopolitano patriarchæ remisso. Ad id « consilii, quod scitis, regia majestas sollicitavit e secta vestra neminem. Gaudebat « interim spei plenus, per eam religionum et animorum conjunctionem fore, ut « gloriæ divinæ ad incrementum, mortalibus ad salutem et bonum civitatum commune recta detur via atque expedita. Tenebat idem, quid animi hac in re esset « illustrissimo palatino huic Kijoviensium, quantopere annis superioribus curaverit, « usus etiam opera Pontificii legati Possevini, ut Gregorius XIII negotium idem « susciperet, diligenterque expediret. Meminit quoque, istas religionum partes « jam olim studio majorum suorum, Poloniæ regum, in istis provinciis a Florentino « Concilio secum aliquando coaluisse : ut eas hodie pariter in unum colligat, enimvero satagit pro suo addictæ Deo voluntatis officio. Hoc favente, cum initia jam « processissent, rediissentque Roma istorum legati antistitum, gratulabatur cupiebatque ipse palatinus etiam, quam primum posset, cogi synodum hanc ; idque « a rege proximis comitiis flagitabat, studium suum et omnem operam ad eam « promovendam pollicitus.

« Appetente præstituto conventus die, idem palatinus pluribus ante mensibus, « suo et nobilium provinciæ Volhiniæ civium nomine, per delectos ad id internuntios, Mathiam Malinskium et Laurentium Dyrwinskium, primo gratias regi serenissimo pro synodo indicta egit ampliter, deinde flagitavit : primum quidem, ne « cui armato, multis stipato satellitibus, consilio huic liceret interesse ; quo liberius « patres religiosi suis de rebus inter se disceptarent : alterum, ut apertus esset ad « hoc comitium cuique aditus, cujuslibet etiam religionis professione dissidenti : tertium, ne hoc aditu prohiberetur Nicephorus Græcus, e Chotimensi nuper custodia, « in quam cum Rossvano in Vallachia comprehenso conjectus erat, elapsus : nisi denique (quod quarto loco petebatur) inter disceptatores partesque per synodum convenerit, integrum ut esset, ab ea ad generalia regni comitia provocare. Ad hæc « quid serenissimus princeps respondeat, en litteras suas publico sigillo communitas.

« Primum, tantum abest ut neget, ut percupiat etiam ac mandet; propterea inter- 1596
« nuntios huc misit, qui cœtus nostri otium et tranquillitatem procurarent. Quod « alterum cum suo palatino postularent hæretici, ejus hoc loco nihil interesse : « ubi scilicet ipsos græcos inter et catholicos romanos præsidum summorum con- « cessu negotium tractaretur. Quod ad Nicephorum attinet, ut ne cum eo com- « municaremus in consilio, rex ipse suos cautos voluit, cum homine videlicet « perverso : qui Rosvanum addixisset in Vallachiam : qui consilia cum hostibus « Polonorum Turcis consociasset de republica. Ut denique a sacro ad profanum « provoces forum, appellationi principem, legum et majestatis ecclesiasticæ obser- « vantissimum, assentiri haud posse : nimirum comitia inter et synodum tantum « esse discriminis, quantum sit inter profanum jus et sacrum.

« Ad hæc, nobis palam omnibus est ista contentio tam iniqua : nam, qui nuper « synodum flagitarent ipsi prius, quam esset instituta, eidem hodie tam repente « inclinatione voluntatis adversa obnuntiant. Neque id nobis non manifestum, quo « consilio iste equitum peditumque armatorum tam frequens coaluerit cœtus « vester, contra quam ipsi statueritis, id quod ex vobis vestris ipsorum litteris, « nomine Volhiniensium civium datis, riteque communitis, confirmamus. Quem « tandem hujus conspectu exercitus territatis? Ita scilicet promissis fidem exsol- « vitis? Atqui, fratres, in comitium sacrum non in aciem, ad conglutinandam inter « cives de religione concordiam non ad pugnam convenisse nos, memineritis. Si « antistites religiososque viros deterritum a consilio et suffragatione libera aver- « sumque itis, id enimvero pati non possumus : certum hic nobis pro nostrorum « salute patrum vitam etiam profundere. Nos precibus vestris promissisque con- « fisi, tranquillis animis, placide, quasi in templum ad comprecandos Superos, « convenimus; non ignari, ad ejusmodi consilia, quibus ipse auctor pacis Spiritus « Sanctus præsit ac moderetur, tranquillitatem animi et concordiam afferri opor- « tere. At vobis consultius fuerit, non rogasse id, quod non vestri foret propositi, « quam, ubi impetraveritis, rem tam violenter dissipare. Jam multitudine vestra « et isto apparatu freti, re neque disputata neque ex nobis quæsita, secessionem « fecistis, irrito cœtu, ejusque inter vos præside electo, contra leges patrias et « auctoritatem regis serenissimi; qui nos eo huc miserit consilio, ut ipsi præsidis « munus in isto conventu obiremus; ipsi et arbitri ordinis boni, et sequestri pacis, « et confectores negotii. Contraxistis copias delectu non optimo : homines vide- « licet non modo religionis incertæ, sed infames etiam, et capite diminutos; « quodque turpius est, præclaræ panegyri vestræ Nicephorum, græculum, homi-

1596 « nem regi nostro proditionis nomine suspectum; qui nuperrime e carcerariorum « manibus virgatorum elapsus sit, bucædam, maledicentissimum sacræ majestatis « (qualem se ipse nuper vobis probavit coram) obtrectatorem, præfecistis.

« Quare iste conventus vester tantum abest, ut synodus appellari, ut ne inter « profana quidem, quæ honesta legitimaque sint, conventicula locum habere pos- « sit : ut qui adversetur regiæ majestati et magistratibus sacris, a Deo constitutis, « cujusmodi peccatum, contumacia scilicet, cum hariolorum et idololatrarum impie- « tate in litteris divinis comparatur. Metropolitanus synodum coegit, non Nice- « phorus neque Balabanus neque Kopystynskius. Non in profanis ædibus, hæretica « impietate contaminatis : sed in templis, in sessimoniis, religiosorum comitia « ordinum, oportet, celebrentur. Contemnitis auctoritatem præsidum, vobis a Deo « præfectorum : præcipientibus sana per vestros legatos renuntiatis superbe, « eosque inter vos facultate nescio qua exauguratis. Sed unde, quæso, hæc vobis « ecclesiastica regiaque potestas; cum homines sitis profani perinde ac nos? Nihil « omnino sacri usurpare nobis, nisi per sacrilegium, possumus. Synodus ipsorum « ecclesiasticorum ordinum tribunal est, profano omni magistratu superius. Hinc « aliquando græcus vester, divus Athanasius, Constantium Imperatorem, quod « se immiscebat indictis per episcopos conventibus, Antichristum vocare non « dubitavit, monereque : suas ut Imperator arces, civitates et regna curaret; « quod juris ecclesiastici foret, integrum id ecclesiasticis relinqueret : id scilicet « Deum velle. Qui hæc Constantio, tot gentium Imperatori, tam fidenti objecit « animo, quem hic vestrum idem eadem de re monuisset timidius? »

« Ipse rex serenissimus Græcis offert episcopos, pro suo apud eos summi « patroni munere; qui eos igitur, nesciente Principe, isque privatus, turbatum « iret; potestatem ille sibi, regia ampliorem, vindicaret. Hieremias Patriarcha, « cum suos in regno Poloniæ viseret, atque alios aliis episcopos subrogandos « censeret, veniam ejus rei a rege petiit; vos, majestati regiæ subjecti, potestate « ecclesiastica nulla præditi, jus regium ut vobis usurpetis? vos ut arbitratu « vestro privetis potestate episcopos, sacerdotii usu et privilegiis sacrorum reges? « Videte, quæso, mature, quo hæc aliquando vobis vestrisque sint eventura. « Magno crimine antistites vestros, metropolitanum et episcopos, arguitis; quid « ita? Novis, inquiunt, rebus student; paci nempe et christianæ concordiæ, cum « Latinis agitant consilia : patriarcham Constantinopolitanum aspernantur. Pro- « pterea albo episcoporum erasi in peregrinitatem a vobis rediguntur. Quod illis « crimini datis, quod scilicet christianos, fraudibus malis distractos, in pristinam

« concordiam reductum eunt : quod Ecclesiæ pacem conciliant : quod eodem pacto 1596
« multos adjuvant in salutis negotio; pium igitur, oportet, sit vobis, et præmio « dignum, concitare inter fratres seditionem ac discordiam : tunicam Christi incon« sutilem discerpere : inter discipulos ejus serere certamina ? Istuc, credo, amatis « probatisque. Nunquidnam vero in mundo gratius Deo, aut hominibus et reipu« blicæ utilius, quam consensus, charitas, et unanimitas esse potest ? quod ipsum « Christus tantopere nobis sacrosancto suo testamento commendat, præcipit, « indignosque eos pronuntiat, qui sui vocentur discipuli, nisi charitate officiisque « mutuis conjungantur ? »

« Indignus est, quem christianum, quem Christi discipulum appellemus, qui se « ab Ecclesia segregat, aut fovet, non tollit, quoquo modo potest, dissidia. Quid « est vero, quod nos catholici adeo vobis execrabiles simus, ut præsides vestros, « qui nobiscum jungunt amicitiam, contaminatos, sacraque detestatione jugu« landos putetis ? His, si in aliquem hæreticorum numerum se aggregarent, « gratias fortasse ageretis. Quærendum utique ex ipsis erat, cur id faciendum : « quam ob rem Constantinopolitanum patriarcham relinquendum putarent. Res« pondissent vobis e sacro legum divinarum codice, e doctrina sanctorum patrum, « orientalium et occidentalium Ecclesiæ doctorum, ex conciliis et canonibus, e « vestris denique ipsorum monumentis græcis : neminem sempiternæ saluti suæ « posse consulere, qui non sit in cœtu Ecclesiæ catholicæ; quod ipsum Petrum « Deus ovibus suis pastorem præfecit ; huic qui non obaudit, extra ovile Christi « errat. Rem itaque illi suam iis confirmassent argumentis, ad quæ ne hisceretis « quidem ; quin etiamnum idem vobis illi præstare sunt parati, si vos placidos ad « colloquium et controversiam obtuleritis.

« Quod a Constantinopolitanis patriarchis ad catholicos desciscunt Rutenorum « episcopi, merito id faciunt et jure optimo : nam illi dereliquerunt Deum patrum « suorum ; defecerunt ab imperio summi Pontificis ; religionem sinceram et aucto« ritatem Ecclesiæ detrectant ; ad cœtum fidelium redire seu nolunt, seu propter « servitutem, quam tyranno Turcarum serviunt, non possunt. Illorum causa perire, « neque ad portum fidamque stationem, quæ sibi offeratur, ex naufragio recipi « velle, stupidi omnino id hominis sit atque adeo amentissimi. Præsides vestri et « sibi ipsi et vobis pariter consulunt ; ad portum salutis præeunt sequentibus, non « ad interitum sempiternum. Docebunt id vos illi diligentius ; nos super hoc apud « Superos querimur, quod potestatem vobis adversus antistites vestros judiciariam « arrogetis ; eosque, culpæ nullius convictos, condemnetis. Utrumque hoc iniquum

1596 « atque flagitiosum adeo, ut non alio jam nisi seditionis ac tyrannidis nomine « possit nuncupari, atque hinc maxime, quod, cum ipsi e varia sitis multiplicique « secta homines, Græcorum non religiones modo non probetis, verum oppugnetis « etiam, sacra eorum diripiatis, evertatis fana, ipsi anabaptistarum aliorumque « ducum similium sectatores.

« Quod vobis ut impune sit, si omni studio et artificio contenditis, armisque con- « jurationis vestræ (per quam decrevistis, neminem religionis causa puniri « debere) vestra defenditis crimina : vos ut hodie religionis nomine supplicium ab « aliquo expetatis? ut exauguretis episcopos; qui non ad hæreticas fraudes, sed « ad religionem sinceram, ad columnam et firmamentum veritatis, ad illimem « christianæ doctrinæ fontem se contulissent? nunquidnam est aliud, quod magis « vestro illi decreto, quam hoc ipsum facinus vestrum ádversetur? Vobis ut reli- « giones Græcorum respuatis, nihil officit; illis, si easdem confirment; nihil « novantibus, neque in traditionibus veterum in Græcia Ecclesiæ patrum, neque in « ritibus et sacrificio, neque in sanctis Orientalis Ecclesiæ institutis. Cujus igitur « peccati exigitis piacula; cum ipsi maxime transfugii vestri pœnam sustinendam « putetis nullam? Illi sunt præsides vestri : ex illorum auctoritate vestræ tum « doctrinæ tum hæreses essent castigandæ : hujus enim rei datam sibi a Deo « potestatem habent; illi pastores, vos oves; illi præpositi, vos subjecti; ab his « magistris doctrina salutari institui, his obtemperare, vos Deus jubet. Obse- « cramus itaque vos, advertite huc mentem atque ad saniora consilia appellite; « redite nobiscum in gratiam; omittite obtrectare auctoritati hujus synodi; disso- « lutis istis nundinis, conciliabulis inconditis, ad templum nos conferamus pariter; « auscultaturi placate, quam amanter de salute nostra nostri agant antistites, con- « jungantque pacis consilia. Ipsi, nostro etiam nomine, rationes Deo referent; « ipsorum doctrina nobis minime fraudi fuerit; nam ipsis, oportet, præsto sit « promissus a Christo Spiritus Sanctus, magister veritatis. Habent Pontificem « summum, pastorem populorum; sancte promissa divo Petro conjuncta sunt cum « summa potestate; habent sanctos sapientesque episcopos, antiquitatem græ- « corum patrum venerandam, omniaque veritatis documenta. Nolite, quæso, exi- « stimare, nos huc eo convenisse consilio, ut aliquid novi in aliquo capite legum « christianarum aut religionum per istam cum Græcis conjunctionem novemus; « nihil in græca latinave Ecclesia mutandum curamus; ipsius concordiæ, qua « nostri coalescant animi, procuramus negotium.

« Jam vos miseri, Vladicæ duo, omnesque popæ, ecquid agitis? quid prudentes

« molimini? cæci omnino sitis, oportet, nisi mala, quæ vos circumstant, conspi- 1596
« citis. Non vos piget pudetque, cum hæreticis non tantum conventus facere, abire « in consilia impiorum, et in via peccatorum stare, sed consiliis etiam imperiisque « ipsorum auscultare, ultroque indignis subjici? Morem gerere catholicis præsi- « dibus, sancta ac salutaria proponentibus, non libet; libet malesuadis circulato- « ribus servire servitutem; ita Deo sinente, ut qui veritatem præfracte respuunt, « vanitati et falsitati ancillentur. Ac recte id sane : multi vobis in illis et antiquis- « simi sunt amici, qui vobis in ipsa Novogrodensi provincia, quod scimus, sex- « centa amplius fana vestra profanarint atque everterint; ubi hodie e sexcentis « amplius nobilibus familiis ritus olim Græcanici vix decem hodie reperias, quas « Anabaptistarum pestis præterierit intactas? Nunc se illi vobis filios, nunc se « vestro obnoxios imperio profitentur; mox, cum ex ipsis quæsieritis, ecquid cre- « dant, ubi sacris interesse soleant, hirriet hic et ille, genuinumque in vestris « frangent capitibus; ad extremum vos ovesque vestras dissipabunt. O cæcitatem « vestram! illorum amantiores vos, qui templa vestra, qui vestras religiones, qui « vos perditum eant; eos vero aspernamini ac defugitis, qui vos et vestra omnia « sarta tectaque esse velint, qui vobis auxilia adversus injurias sponte communi- « terque offerant.

« Vestri quoque nos pœnitet, heroes boni, qui hæc in Deum et christum ejus, « regem vestrum, committitis; in magistratum contumaces, perniciosi inter socios « discordiæ concitatores, pacis et charitatis hostes : veritatis, doctrinæ chris- « tianæ, potestatis tum ecclesiasticæ tum civilis contemptores. Quis Deus vobis « tantorum criminum det veniam? Enimvero impunita hæc Superi non sinent. « Versabit vos jactabitque olim erumpens ex orco turbo; veremur, ne nostras « quoque res cum vestris promiscue corripiat. Quare contestamur te, Deus noster, « abesse nos a culpa. Quantum in nobis situm, regio fungentes munere, monitis, « persuasu, rationibus omnibus sollicitamus vos ad concordiam et charitatem in « Dei ecclesia, ad curam salutis vestræ et reipublicæ; quæ ipsa charitate constat « et amicitia. Ita opem patriæ, crudelitate et intestinis hostibus laboranti, facilius « contuleritis, vosque ipsos et penates liberosque vestros, vestra Deo fortunante « consilia, servaveritis. Videte, quæso, etiam atque etiam videte, ne per ista « inter vos dissidia comitiis difficultates afferantur, sitisque impedimento ad vim « Turcarum immanem, cervicibus nostris imminentium, defendendam : ne a ty- « ranno cum vestris pariter amicis et conjugibus et liberis in servitutem diram « abstrahamini. »

1596 Secundum hanc legati orationem patres opperiebantur hæreticos, si qui forte catholicos ad certamen de religione theologicum provocarent; quapropter in suum conclave Petrum Skarga concionatorem regium, oratu procerum ad synodum a rege dimissum, et hujus Socium P. Justum Rabum, expertæ virtutis virum, acceperunt. Non sunt ausi doctrinæ suæ periculum facere adversarii; rogarunt tantum, in cœtu suo sibi liceret uti consilio, percontari in primis, num quidnam ad legatorum propositiones responderent. Eadem illi vespera reponunt ex suo consessu : « Conjunctionem Græcorum cum Latinis perarduum sibi videri et inexplicabile negotium : facturos prudentius, qui se in pacificationem istam non interposuerint; tentasse id aliquando magnos principes, nec profecisse quidquam. » Salutare ita consilium repudiantibus adversariis, die postero legati græcos monent et latinos episcopos, rem bene institutam magnis ut animis persequantur, obtrectatione hæreticorum contempta. Nihil cunctantur moniti. Infulis illi et omni reverendo apparatu conspicui, magna pietate, et firmandæ desiderio concordiæ, cum universo clericorum patrumque religiosorum collegio in templum divi Nicolai se comportant. Hic Deum precati, ut consentientes benignus acciperet, dissentientes aggregaret, loco quisque suo et ordine consedere : ante alios pontificius et regius legati. Mox Polocensium archiepiscopus Hermogenes publicas fœderis litteras, notis partium et sigillis rite munitas, e superiore loco voce contenta legit :

*Tricæ hæreticorum.*

« In nomine Dei, Unius-Trinique, ad laudem et sanctam gloriam ejus, ad humanam salutem, et religionis catholicæ confirmationem, omnibus, quorum scire interest, nos in Christo ad synodum rite ordinatam, Brestæ in Lituania, anno salutis 1596, die IX mensis octobris, congruenter ad vetus kalendarium, in templum divi Nicolai congregati, metropolitanus et episcopi ritus græci infra scripti notum facimus ad immortalem memoriam; quod nos, contemplati, quemadmodum monarchia Ecclesiæ divinæ in evangelio et verbis Domini ac Dei nostri Jesu Christi condita sit : ut in uno Petro, tanquam in petra, firmiter collocata Christi Ecclesia ab uno regatur teneaturque : ut in uno corpore unum caput, et in una domo unus paterfamilias, et condus promus cibariorum salutarium familiæ præpositus, administrationem rerum et commune bonum procuret; atque ita gubernationem Ecclesiæ divinæ, inde a temporibus apostolorum durasse sæculis omnibus : omnes patriarchas ad unum S. Petri Pontificis Romani successorem in negotiis religionis, in accipienda ecclesiastica potestate et jurisdictione pontificia et appellationibus retulisse adhuc; id quod ex conci-

*Consensus bonorum et professio.*

« liis et canonibus, sive legibus Patrum sanctorum, liquet; et nostra monumenta 1596
« sclavonica, ex græco in patrium translata, luculenter in canonibus Patrum « sanctorum faciunt; idque veteres sancti Patres Orientalis Ecclesiæ testan- « tur, qui hanc divi Petri sedem et potestatem atque imperium in episcopos « universe confitentur.

« In his multo tempore profitebantur nomina sua Constantinopolitani etiam « patriarchæ, a quibus hæc pars Rutenorum religionem ritusque sibi traditos « accepit; reverebantur Romani Pontificis auctoritatem, ejus imperio obtempe- « rabant, precatione ejus solenni lustrabantur. Ab hac potestate quoties descive- « rant, toties ad eamdem se aggregarunt supplices: extremo per Concilium « Florentinum, ductu Josephi patriarchæ, et Joannis Palæologi imperatoris Con- « stantinopolitani, ad Ecclesiæ auctoritatem anno 1439 rediere; professi obedien- « tiam Pontifici Romano debitam: ut qui esset papa et magister et rector universi « populi christiani, ac legitimus divi Petri successor. Ei Concilio Florentino « noster quoque Kijoviensium et universæ Russiæ metropolitanus Isidorus inter- « fuit; hic istam conjunctionem Constantinopolitani, ut vocant, patriarchatus « omniumque Græciæ ecclesiarum intulit, atque has gentes in officio ejus obe- « dientiæ continuit. Eam ob rem reges Poloniæ, nominatim Vladislaus Polonorum « et Hungarorum rex, aliique principes, immunitatem munerum ritu græco « sacerdotalium, quales haberent Latini, in comitiis generalibus dederunt. Sic « aggregati patriarchæ Constantinopolitani, cum eam conjunctionem rursus « dissolvissent, atque ita, Deo perfugas puniente, jugum Turcarum accepissent « tyrannicum, inde errores multi et mores improbi. et procuratio munerum « in his Russiæ provinciis diu neglecta, et multa sacrilegia, sacerdotiorumque « nundinationes, consecuta sunt.

« Hinc disseminatæ hæreses totam pene Russiam malis suis infecere: hinc ista « in fanis Rutenorum solitudo, et rerum divinarum vastitas, et ruinæ. Piget jam « diu hujus nos tantæ impietatis atque hujus barbaricæ inter mahumetanos servi- « tutis, qua oppressi jacent Byzantini patriarchæ: piget defectionis istius ab « Ecclesia ac discordiæ. Itaque adversus hæreses et opis ferendæ causa populis « misere pereuntibus, et rebus divinis, horum omnium religione animis incussa, « anno superiore misimus ad pontificem sanctissimum, Clementem VIII, nostros « legatos, venerabiles Hypatium Pociei protothronium, Vladicam Vlodimiriæ, et « Cyrillum Terleckium, Vladicam Luceoriæ; conscio, concedente, ac probante « serenissimo rege Poloniarum Sigismundo III, pio principe; cujus regnum

1596 « prosperum sit ac diuturnum. Per eos nuntios oravimus, ad suam Ecclesiam, « cujus esset summus pastor, nos aggregare ut vellet: ut, a Byzantinis patri- « archis liberatos, sibi deinceps emancipatos nos haberet, atque improbitatis suæ « absolveret perfugas; salvis atque integris, quibus utamur, græcis ritibus. Id « quandoquidem præstitit, atque eam in rem privilegia codicillosque suos misit; « edicens, ut, cœtu coacto, professionem faciamus, pariturosque nos sibi divi « Petri vicario et successuris Pontificibus Romanis spondeamus; hodie per hanc « synodum confecimus; quod litteræ etiam characteresque nostri testantur; quos « legatis Patris Sanctissimi Pontificis Clementis præsentibus, reverendissimo « archiepiscopo Leopoliensium Joanni Demetrio Solikovskio, Bernardo Macie- « jovskio Luceoriensium episcopo, et Stanislao Gomolinskio episcopo Cehlmensi « obtulimus; præsentibus legatis regis serenissimi Sigismundi III: Nicolao « Christophoro Radivillo duce in Olyka et Nieswiez palatino Trocensi, Leone « Sapieha magno Lituaniæ cancellario, Demetrio Chaleckio thesaurario ejusdem « Lituaniæ, præfecto Brestensi, aliisque compluribus e statu tum ecclesiastico « tum profano viris principibus. »

Post hæc episcopi Occidentalis Ecclesiæ consurgunt, atque ad amplexus, ad Gratulatio. pignora sanctæ pacis oscula, Orientalibus danda præsulibus, læti alacresque convolant: pactum et amicitiam mutuis benevolentiæ testimoniis confirmant. Inde gratulabundi cum universo cœtu ad ædem Beatæ Mariæ, Latinorum ecclesiam, auctori ejus gratiæ Ambrosiana decantant eucharistica; idem postridie in fano græcanico divi Nicolai pietate eadem concelebrant. In eo conventu Petrus Skarga (1); qui et vindicationes hujus synodi adversus obtrectatores hæreticos conscripsit vulgavitque (2); faustum ac fortunatum fœdus partibus gratulatus ex cathedra. Itaque Ruteni, græcum in Polonia et Lituania sectantes ritum, eam cum Romana Ecclesia concordiam in religione professi, quæ olim Orientalem inter et Occidentalem Ecclesiam viguit, quæque Isidoro Rutenorum et Bessarione Nicæno, archiepiscopis, adjuvantibus, vel renovata fuerat in Concilio Florentino vel constituta. Hinc quoque græcisantes vulgo *Uniti* hodieque in Polonia appellantur. Acta rei, singillatim conscripta, cum omnibus, quæ ad Rutenorum nomina, mores, et religiones spectant, leges apud cardinalem Baronium in commentario, quem ad tomum VII Annalium suorum apposuit.

(1) P. Petrus Skarga de negotio confecto Patribus gratulatur.

(2) [In opusculo de Synodo Brestensi, superius citato.]

Anno 1597 P. Bernardino Confalonerio administrante provinciam, Pultoviæ a XXXIV Sociis celebrata congregatio. 1597 10

Pultoviæ Congregatio. Romæ de dividenda provincia agitur.

Missus ex ea Romam procurator Paulus Boksza. Actum in urbe maxime de provincia in duas partes dividenda. Sed partiri fuit difficile : Prussiam Lituanis suæ, suæ Polonis attribui provinciæ, postulantibus ; quod ipsis nullum, Lituanis autem duo erant seminaria : Vilnæ alterum, alterum Brunsbergæ. Quapropter suspensa res est ; dato negotio dispiciendi status et faciendi periculi Friderico Bartscio : qui interim vices munusque provincialis obtineret, Confalonerio, utrique parti præposito, obnoxius. Ne Polonis suum desideraretur seminarium, id Aquaviva duxit Posnaniæ collocandum. Mense hujus anni januario Confalonerius Rigæ et Dorpati omnia reperit tranquilla. Sed Rigenses, verno tempore, VI kalendas majas, prope erat, ut interirent : adeo 11

Rigæ fœda eluvies.

amnis Duna, soluta glacie, peregrinis auctus torrentibus, congelato insuper mari impeditoque, quo se exoneraret, alveo, superfusus est ; pontes, valla, anteriorem mœnium partem subruit ; tecta corrupit alia, alia secum corripuit ; perculsa civitate tota, nihilque certius quam suum interitum præstolante. Tum demum illi ad Collegium Sociorum omnes concurrere, tum hæretici pariter atque catholici divinum numen deprecari : neque enim erat, quo aut qua penetrarent in fugam, eluvione undique repentina interclusi. Cunctis in ea trepidatione supplicantibus, citius quam sperarent, colliquescere hiberna maris repagula ; relabi in suos, jam liberos, meatus interluvies ; respirare a metu cives et requiescere ; familiarius inde uti nostris hæretici : frequentes ex urbe et pagis catholicorum templum visere ; interesse mysteriis, laudare et apparatus sacros, et precationes, et conciones, et ritus omnes. Tirones, qui in domicilio Collegii exercebantur, casus Raphaelis Wasilewicz, e suo contubernio nuper dimissi, miserandus, in suscepto 12

Dimissi e Societate interitus.

vitæ religiosæ consilio confirmavit. Mense ille a dimissione quinto, dum hospes apud fratrem rusticatur, et cædentibus in sylva abietes famulis otiosus astat ; succisa arbor, ea regione, qua minime putares casuram, tota in imprudentem ruit, itaque conterit, ut corpus miseri frustatim legi debuerit. Sic sua amplissimi in Polocensi diœcesi, ad quod se affines sui e Societate elicuerant, sacerdotii Rutenici potiundi, suorumque pariter spes occidit ; relicto eis documento, qui, sponte sua Deo in statu vitæ religiosæ addicti, ad illecebras profanis relictas, illasque, quas cupiditas exaggeraret ipsa, amplitudines, respicerent.

13

P. Jacobi Vujeki elogium

Præclarum hujus provinciæ lumen extinctum Cracoviæ, P. Jacobus Vujekus, patria Vangrovicensis, Vilnæ olim academici Rector Collegii. Vivere pariter ac laborare desiit nono kalendas sextiles, annos natus septem et quinquaginta, ex

1597 his egit in Societate XXXII. Piis honestisque editus parentibus, a puero ad litterarum studia diligenter incubuit. Philosophiæ magisterio Viennæ in Austria ornatus : Pultoviæ laurea doctoris theologiæ auctus : ibidem 1571, quarto idus julii vota quatuor professus. Adolescens Romam Vienna profectus, ibi nomen Christo dedit in Societate sua anno salutis 1565. Positis in tirocinio religiosæ vitæ rudimentis, græcis et hebraicis litteris excultus probe, ibidem mathematicam publice docuit. Deinde in Transylvania Sigismundum Batorium, postulatu Stephani Poloniæ regis, ad litteras et pietatem instituit. Primus Collegium Sociorum rexit Posnaniæ primum, tum Vilnæ, Claudiopoli, Cracoviæ domum professam. Triennium vices provincialis obiit. Cum ita regimine multorum occuparetur et negotiis familiæ, concionatoris insuper munus per se explebat ipse, idque utilitate præcipua. Vir erat doctrina æque ac sanctitate, conjuncta illa cum suavitate morum, insignis. Idem semper ad salutaria animorum lucra perattentus : ad omnem rerum piarum tractationem sensu tenerrimo ; ex quo sæpe, ubi de Deo incidisset sermo, inter praudendum etiam, præsertim cum vitæ Sanctorum legerentur, illacrymare visus. Quos libros, quam utiles emiserit, in indice scriptorum nostratium ad calcem operis censebimus. In extremo morbo, Augustinum imitatus, psalmos, quos pœnitentiales vocamus, lectitari sibi voluit ; sententias in illis singulas pensitabat, singulasque voculas demittens in animum, gemitu et lacrymis exceptabat. Noctem supremam mente et animo in contemplatione vulnerum Christi in crucem suffixi defixus transegit ; in precatione denique et suspiriis animam placidissime exhalavit.

Mathematicam Romæ profitetur.

1598

14 Martinus Laterna, Drohobicii, nobili a salinis oppido Poloniæ, natus, ab ineunte ætate ad pietatem artesque ingenuas propenso fuit animo. Institutus humanioribus litteris Calissii, excurrit Brunsbergam ; exploraturus oculis, an quæ de Sociis, in Prussiam nuper ab Hosio accitis, celebrarentur laudibus, cum re consentirent. Veritate comperta, Calissium quidem rediit, sed animo interim Brunsbergæ in Collegio habitabat et vultibus Sociorum ; quorum extunc mores et institutum adamasset. Affectus ita, exemplo insuper magistri sui Alberti Mroskowskii, ad Societatem antegressi, incitatus, plenas desideriis Brunsbergam dat litteras, alteras ad rectorem Collegii soluta, alteras ligata oratione ad Socios. Admissus mense majo anni 1571. Decurso tirocinii spatio, in litteris profecit adeo ut Vilnæ in Academica Universitate laureas, tum philosophicam tum theologicam, ex merito reportaverit. Ad majora deinde intentior præmia, a litterarum studiis ad instituendam præceptionibus christianis plebem animum transtulit ;

P. Martinus Laterna in mari Baltico ab hæreticis mergitur.

eoque progressus est, ut vix noctu cessaret vel habendis concionibus vel confessionibus excipiendis; vigil cupidusque, si qua spes lucri salutaris offerretur. In hæreticis insectandis ita moderabatur animo, ut ipsæ reprehensiones suæ, vehementiores etiam illæ, blanda quædam ad amorem veritatis cuique invitamenta esse viderentur. Libenter itaque sermones de religione suos exceptabant; plerique eis convicti, posita contumacia, magistro veritatis se dedidere. Commendatus ab illustribus viris regi Stephano, castraque regia secutus, tum principi a latinis tum aulæ simul a polonicis concionibus fuit. Amavit virum optimum, neque, quoad potuit tenere, a se dimisit rex. Oppida hujus provinciæ et pagos, salutis humanæ studio, docens ac prædicans regnum Dei, peragravit. Rege demortuo, Cracoviæ ad S. Barbaræ munus procuratoris obire jussus, eadem qua paulo ante gloriosum regii oratoris munus, alacritate sustinuit. Leopolitano Sociorum collegio totos septem annos præfuit, pulchreque civitatem illam concionibus suis industriisque percoluit. Illinc ad castra Sigismundi regis abeuntem desiderio et lacrymis cives cum suo archiepiscopo ad leucam prosecuti. In Sueciam delatus, corpore ex jactatione per æstus maritimos infirmo, quia magis in dies tabesceret, medicorum consilio, valetudinis, quæ cœlum Suecicum non ferret, recreandæ causa, remittitur in Poloniam. Stegburgi III kalend. octob. 1598 conscendit navim. Postridie a piratis hæreticis interceptus, rebusque spoliatus omnibus, crudelem in modum vexatur. Nihil tum Martino acerbius erat, quam hæreticorum audire maledicta in cœlites, in Ecclesiam catholicam, in Papam Romanum jactata petulanter. Inter hæc Pater monere maledicos : deprecari offensos mortalium dementia superos : religionem catholicam defendere ac profiteri. Ignotus adhuc fuit Laterna Jesuita hæreticis. Hic jam cognitum, unum omnes omnibus lacerant injuriis : hic mucidi panis frusta ori, fustem ille tergo, colaphos impingit alius; alius cavillans monet, devoraret hæc omnia, quæ in se ingererent, abunde mox habiturus, quod biberet. Spoliatum denique laceratumque in scapham conjiciunt, provectique in altum spargunt. Demersus est anno ætatis XLV, ab inita Societate XXVII. Accepto cædis nuntio, Leopolitanus archiepiscopus Demetrius Solikovskius interemptum ab hæreticis odio religionis catholicæ Patrem publica in exequiis oratione dilaudavit. Laudem viri miraculo probavit Deus. Quartus ab ea cæde circumagebat se annus (1602), cum nobilis Polonus Laurentius Bienczovskius, Suedicæ olim navigationis Patri comes, et compos interim ærumnarum, a Tartaris Podoliam vastantibus abreptus. Post verbera et cruciatus varios, VII idus junii, revinctis post tergum ad plantas manibus, toto corpore in globum contorto, e longurio per foveam transmisso

1598

Ejus res gestæ.

1598 suspenditur. Subit interea misero, opem implorare divinam per merita sui Poloni civis quisquis ille Deo gratissimus, in illo rerum Polonicarum turbine cecidisset. Non satis id secum disputaverat, cum ecce tibi virum luce circumfusum mirifica, curru mirum in modum splendido, quadriga superne devectum alba. Vinculis Laurentius confestim exsolvitur. Captivus modo, modo repente liber, recognito Patre Martino, nuper comite, jam nunc servatore suo, circumspicere et admirari istam inopinatam salutem suam : illum thensæ celestis et jugalium decora, adhuc invisa, suæ per eam speciem oblitus ærumnæ omnis, de rebus sibi objectis percunctari. Miracula. Paucis facile rem totam hospes explicuit : eum se adesse, quem ipse probe nosset, Martinum scilicet Laternam; quæ in se et circum suspiceret, signum esse umbramque pertenuem ejus, quam in patria beatorum civium consecutus sit, gloriæ. Sic recreatus leni mox quodam vento corripitur, et in proximo Leopolitanæ civitatis agro, loco quinquaginta leucis a Tartarorum castris distante, positum se deprehendit. Consomniasse id sibi per noctis tenebras primum videbatur; diluculo rem certam comperit; ilicet dissoluta ante pedes vincula lætus secum confert Leopolim. Actis Deo et servatori suo gratiis, memor ejus, quo se captivus obstrinxisset, voti, sacra Romæ Apostolorum limina visit.

Ibi rem Matthæo Pakost Polono, uni e collegio pœnitentiariorum Societatis nostræ sacerdoti, juratus enarrat, cujus seriem, inquit P. Philippus Alegambe (1); incisa Romæ imago, publica autoritate, per Jacobum Lacerum anno 1607 et publice venum proposita, facit esse fidei nequaquam fluxæ. Eundem Dei servum opem tulisse pluribus, narrat in sua Societate Jesu militante Mathias Tanner. Iterum, inquit ille, anno 1603, V kalendas octobris : Polonis suis, in periculo versantibus, Laternam, vel stellam potius maris se exhibuit. Exceperat hos mari navigantes tempestas adeo sæva et turbulenta, ut, desperatis humanis omnibus, ad cœlestia unice converterentur, domesticam suam Czenstochoviæ divam magnis vocibus inclamantes. Cum in mediis noctis spississimæ tenebris multa luce coruscus eis se videndum exhibet P. Laterna : tempestatem ventos ponere jubet : fluctus momento sedat : incolumitatem ita demum naufragantibus spondet, ut vota Deiparæ promissa omnino exsolvant. Verum nulla nomini ejus devotior, nulla in accipiendis, per ejus merita postulatis, frequentior beneficiis est civitate Leopoli ; in qua ejus celeberrima viget memoria, publica etiam aliquando concione a Joanne Demetrio archiepiscopo commendata. Erat hic matrona pietatis eximiæ; quæ ex eo maxime se matrem factam beneficio divino gaudebat, quod utramque Deo con-

(1) In Bibliotheca Scriptorum Societatis.

secrasset in S. Benedicti Ordine filiam. Jam professionis emittendæ dies appetebat, cum utraque gravi invaletudine correpta, unde in spiritu fieri debuisset valentior, inde evasit debilior, eousque fraudibus dæmonis inducta, ut, tædio vitæ monasticæ, nihil aliud anhelaret, nihil cogitaret, quam vitæ sæcularis libertatem. Afflictissima parens, ubi frustra se omnia agere atque in cassum, vitæ religiosæ amorem, mundanæ odium, inculcare filiabus videt, ad Patrem Martinum tandem, quem inter cœlites receptum omnino credebat, vota facit : ut, qui adhuc mortalis illis ad virtutem et sanctitatem fuerat exhortator, nunc ab ejus studio pedem referre obstinate parantibus animos et vigorem restituat. Mira prorsus res, tantoque portentosior, quanto difficilius est in animi quam fluctuum tempestates imperium. Redux ad monasterium postridie, quam ancipitem filiarum statum P. Martino commendaverat supplex mater, ut animos earum postliminio exploraret ; utramque reperit, non animo duntaxat, sed et corpore firmissimam, et vocationis suæ tenacissimam. Quo inopinato eventu læta, auctorem illis mentis ad meliora illustratæ aperit ; ut deinceps in obscuro et devio tentationum, Laternam habeant pro pharo, ad quem oculos et vota, secundos in procelloso vitæ mari cursus, pariturum, dirigant. 1593

Non eam quidem Dei servo, quam meritis suis consecutus sit, gloriam, mortem certe illam, qua ita suum Dei amorem et religionis studium professus esset, pie invidebat Petrus Skarga. In suo hic Societatis Apologetico, parte libri quarta (1), enumeratis viris e Societate religionis causa enectis, inter eos, inquit, noster quoque Martinus Laterna suo merito censetur : « vir per universam Poloniam doctrina et vitæ sanctimonia concionator inclytus ; quem ego trans mare « hoc pacto misi, ut pro me apud Regem serenissimum, Dominum meum, concionaretur ; a navigatione illa desideria conatusque meos senectute mea prohibente. « Atqui ego, ut Martinus religionis gratia pro me interficeretur ab hæreticis, « negotium ipsi enimvero dedi nullum : nam et istuc per me, et nuper poteram « et hodie possem exequi. O mi Deus, utinam hoc tuo beneficio aliquando perfruar ! Ille natu minor, qui me concionatorem ad suggestum triennio sectabatur, « mearumque prolixitudini orationum ex horologio, quod secum afferebat, moderabatur ; ille me adolescentulus ad eam tam illustrem coronam antevertit ! Ita « scilicet novissimi fiunt primi. Nunc ego quo tandem pretio pœnas meis peccatis « debitas redimam ? Non ita violenti sunt Poloni mei ; qui nos ad ejusmodi præmia « proritent, duntaxat non adurgeant etc. »

Petri Skarga desiderium.

(1) *Proba Zakonu Societatis.*

1599
15
Certamen Sociorum theologicum Vilnæ cum hæreticis.

Ita nostrates Vilnæ 1599 multa quidem adversus Jesuitas moliri videbantur, sed ipso demum eventu patuit, omnia machinamenta sua fuisse ejusmodi, quibus nostros territarent duntaxat, non percellerent. Solemne illud suum servabant in Polonia hæretici, ut sub initio tribunalis Vilnæ quot annis conventus suos celebrarent. Multa inter illos erant de religionibus suis, multa per occasionem eandem de Jesuitis consilia. Moleste id ferebant proceres catholici. Horum aliquis in eam incubuit curam, ut agitantes sua clanculum hæreticos, e latebris in lucem atque ad certamen cum Jesuitis publicum aliquando eliceret. Appellati, recusare illi primum quidem ac deprecari periculum ; urgentibus catholicis, diem ex die prolatare : excusare nunc sua negotia, nunc valetudinem, nunc nescio quid aliud ; ministros interim suos, quos magno delectu ad triginta amplius mature contraxerant, hortatu multo clam excitare, opibusque armare omnibus. Comparati denique et tempus (diem a Pentecoste quartum) et locum (amplissimam Palatini Vilnensis, principis, patroni sui, ædem) certamini destinant. In frequenti procerum consessu turbaque confertissima, occupato maturius loco, ex academico Sociorum Collegio magister sacræ theologiæ Martinus Smigleckius præstolabatur adversarios. His in arena conspectis, pauca ad rem præfatus, et quæstionibus in medio positis rogat, quid primum quidem de potestate Petri in Ecclesia existimarent ; tum, an sub speciebus panis et vini, rite consecratorum, revera esset Corpus Christi et Sanguis; deinde, an eadem Eucharistia ex institutione Christi et sacramentum esset et sacrificium ; de cultu denique sacrarum imaginum, de sanctorum invocatione et patrocinio, de igne Manium purgatorio, ecquid statuerent. Inde provocati cooriuntur in pugnam ; triginta amplius lectissimi Arianæ, Zvinglianæ, Calvinianæ, Lutheranæ sectarum magistri, religionum diversarum antistites; arbitris controversiæ primis : a nostris quidem Leone Sapieha Lituaniæ cancellario, et altero, nescio quo, e præfectis Vilnensibus : ab hæreticis autem Christophoro Dorohostayskio Lituaniæ mareschallo, et Georgio Radivillo Trocensium castellano. Res instituta quo rectius procederet, cautum præsidentium pacto : ut ministri per sese, quæ ad rem vellent, singulatim objectarent, et objectanti vicissim æmulo responsarent : ut proloquia, et solennia sibi sophistarum diverticula, ad ipsa rationum attenti momenta, omitterent : ut ne quis objectantem aut responsantem interpellaret importunus.

His conditionibus inter partem utramque convenit. Congrediuntur animis utrinque incensis. Oppugnat primus, quanta potest animi vocisque contentione, sacerdotium Petri et principatum in Ecclesia romanum. At hic, profusis frustra omni-

bus tum animi tum ingenii viribus, præfocante animam ravi, succedenti disputatori 1599
locum dedit; quæ declamasset diu, probante nemine. Alter splenem etiam movit auditoribus; sophus scilicet uxorius : qui sacerdotes debere omnino maritos esse, et Lutheri sui exemplo uxorculari, putide contenderet; nam aliter sacerdotium neutiquam posse vocari sacramentum. Sex horas is duravit conflictus. Otio denique bono in ipsis hæreticorum ineptiis contrito, cœtus dimittitur; adversariis, quia certamen non e sententia sibi processisset, ut idem postero die redintegrare suis liceret, postulantibus. Velum id fuit utique; quod illi suæ contumeliæ obtenderent : nam postridie ne internuntius quidem ex universo illo doctorum trigintaviratu ea in arena visus; cum interim ipsi etiam disceptatores sui et patroni eos expectarent cupidissime, et ad profliganda incepta, quemcunque demum habitura essent exitum, stimulis urgerent omnibus. Sed mus, quod proverbio dicitur, gustavit picem. Elabuntur omnes ex urbe clanculum, fugaque, ut victi prælio, alius alium antevertunt. Illi tamen, quæ sua impudentia singularis fuit, apud nurus suas et plebeculas suas quas nescio victorias crepitabant. Non omnibus illis utique impunita fuit hujus turpitudo mendacii E grege isto Gabriel Luboszczynskius, patronus calvinisticus, Medireci in villa Nicolai Szumski, præfecti Rudnicensis, hospes, postridie ejus nostri certaminis, ad mensam convivis de suorum hesterno cum Jesuitis conflictu narrabat; sed narrabat omnia perperam perverseque homo vanus : vicisse suos : victos Jesuitas, ignominiæ plenos, effertos contumeliis, ex arena fugisse. Commodum intererant convivæ hospites, qui et ipsi fuerint arbitri illius controversiæ ad ipsum usque exitum : in primis Mathias Soreczkovskius, benedictini Trocis monasterii antistes. Mirari primum illi hominis impudentiam, seque circumspicere; deinde, nugatore e taciturnitate sua animos sumente, modeste obloqui, ac, porro non cessante, tueri veritatem. Suum contra persequi obtrectator, et mendacium mendaciis, conviciis insuper maledictisque confirmare. Denique, execrans in caput suum : « dispeream jam nunc, inquit, nisi quæ ajo sint vera. » Evenit itaque : simul hæc dixit, simul animam infelix evomuit, repentino apoplexiæ ictu in vestigio perculsus, VIII idus junias.

*Pœna contumeliosi mendacii.*

Possonii in Hungaria, sacri romani imperii principem, mareschallum primo Lituaniæ, deinde Samogitiæ præfectum, Stanislaum Radivillum Romæ, christianis anno piaculari, eodem, ejus gratiæ consequendæ causa, contendentem mors occupavit. Relatum in patriam, corpus Olycæ in templo a se exædificato conditum. Ejecit nuper ex eo oppido ministros calvinisticos, a parente suo Nicolao Nigro collocatos; cavitque lege, ut, si qui hæreticus in opes suas succederet, jus in

*16 Stanislai Radivilli funus et laus.*

1599 Olycense templum esset penes ipsum Luceoriæ episcopum. Eodem religionis studio in bonis suis fana hæreticorum evertit. Photianos, qui conjunctionem cum Ecclesia recusarent, indidem ejecit. Nalibocis, in suo pago, in locum nemorosum, ab omni curarum strepitu et communi luce seclusum, verni jejunii tempore quot annis se receptabat; totum ibi sacræ quadragesimæ tempus in meditatione rerum divinarum, in afflictatione corporis et lacrymis, anachoretarum ritu, traducebat. Sæpe visebat ptochotrophia, miserosque ipse solabatur; ipse suis manibus cibos ministrabat, ægrotos per suum medicum curabat. Suburbanum Vilnensis collegii Lukisci hujus principis munus insigne.

Pietas singularis.

1600 17

Radivilli cardinalis obitus et elogium.

Stanislaum ducem ad præmia meritorum immortalia secutus est germanus frater suus, præcipuus Societatis nostræ amator, laudator, ac tutor Georgius Radivillus, S. romani imperii princeps, titulo S. Sixti cardinalis, Vilnensis primum, deinde Cracoviensis episcopus, Romæ, posteaquam Clementi VIII, auream jubilæo portam aperienti, inter cardinales astiterat, magno omnium luctu mortalibus ereptus XII kalendas februarias, anno vitæ 44, suæ postridie ejus diei, cum se languentem invisisset Pontifex, donisque salutaribus e thesauro meritorum Christi impertivisset.

Portentum futuræ laudis.

Natus parentibus, non hæreticis tantum, sed hæreticorum etiam satoribus in Lituania, qui olim ipse futurus esset, portendisse visum examen apum, ad cunas infantis recens nati convolantium, circaque pulvillum se constipantium. Lipsiæ in Saxonia hæreticorum magisterio in scholis usus, 1572 una cum fratribus germanis Alberto et Stanislao reversus in patriam, pestilentis doctrinæ venenum, quod incautus hauserat, medicinis salutaribus in se expugnavit, curante principem in primis Petro Skarga. Inde præclarum fuit doctrinæ, morum et pietatis exemplum omnibus : ut propterea Georgium Valerianus Vilnensium episcopus unum præ omnibus suspiceret, atque hunc adjutorem pontificii muneris sui, ipse jam senio gravis, percuperet; idque facile, probantibus Gregorio XIII et rege Stephano, obtinuit. Sed primum instituendus erat ad munus tam sanctum. Romam propterea a Gregorio accersitur, et magistro, e Societate Jesu theologo, Achilli Gagliardo commendatur. Aliquot in ea schola annis honestissime ad aulam Pontificis exactis; cum interim Compostellanum divi Jacobi in Hispania monumentum peregrino habitu pedesque invisisset, remissus in patriam, diœcesim Vilnensem, relictam per mortem Valeriani, episcopus suscepit gubernandam, annos quatuor supra viginti non amplius natus. Primo statim in aditu bellum indixit hæreticis; arrectus deinceps, et factionibus maleficorum imminens. Ejus jussu excussæ librariorum tabernæ; reperti in illis hæreticorum, Ecclesiæ obtrectantium, libri,

exempti sunt inque rogum conjecti; quo facto admonerentur cives, non cuilibet 1600
quidlibet legendi esse licentiam; itaque Vilnæ officinæ librariæ et conditoria ab hæretica peste magnam sunt partem depurgata. Societatem Jesu sic adamavit, ut cooptari in eam cupierit; idque aliquoties Præpositum Societatis generalem oraverit. Quo minus ejus voti compos fieret, ipsius etiam summi Pontificis, utilitatem majorem Ecclesiæ, si Georgius publico munere fungeretur, spectantis intercessit; oblatis per Bolognettum, nuntium in Polonia suum, Vilnensibus Georgio infulis anno 1583.

Sub idem tempus rex Stephanus eundem Livoniæ gubernatorem præfecit, quo in consilio princeps fortunam Livonum habuisse visus; nam cum perduelles quidam compacto communique fraude a rege Danorum servitutem civitatum suarum mercarentur, ille proditorum occupavit perfidiam; aliquot munitis oppidis, ante alia Carcusso, Ermesso, Ruijeno, Helmetto, interceptis : fusis item profligatisque aliquoties perduellium copiis; usus ad comprimendam rebellantium audaciam virtute et armis Stanislai Penkoslavskii, præfecti Marienburgensis, copiarum ductoris regiarum. Hoc præside, religio jam diu per hæreses profligata, justitiaque adhuc male inter cives habita, convalescebat, omnia clementer sapienterque moderante. Placuit propterea regi Stephano; quo ergo dignitas Georgii ornatior esset et conspectior, romanam huic a Gregorio XIII purpuram impetravit. Id muneris rex Georgio, ejus consilii minime conscio, Vilnæ in templo divi Stanislai præsens rite obtulit.

Octavo post anno Sigismundi III studio a Vilnensibus ad Cracovienses infulas promotus est. Eum Clemens VIII suum creavit legatum, qui conciliaret pacem inter Cæsarem Rudolphum et regem Poloniæ Sigismundum; id quod ille confecit tam feliciter, ut istas partes, adhuc inter se dissidentes, affinitate etiam conjunxerit, deducta Cracoviam ex Austria Romani Imperatoris filia, Anna, per eandem legationem Sigismundo desponsa. Duorum elector Romanorum Pontificum, Innocentii IX alias Clementis VIII, sacris cardinalium comitiis interfuit; quin ipsi etiam complures in eo collegio ad pontificatum suffragati sunt : inter eos divus Carolus Borromæus dignitati Georgii favebat mirifice; cujus rei testimonium etiam in suis reliquit epistolis (1). Dilaudat eundem cardinalis Sarnanus; ut multos alios hujus principis, principes viros, laudatores prætercam. Enimvero erat, quod in Georgio amarent omnes boni laudarentque : pietatem maxime erga Deum et patriam, vitæ integritatem, et munificentiam in bonum commune profusam. Quo-

(1) Epist. 29. Edit. Antverpiæ, an. 1623.

1600 tidie, cum per valetudinem liceret, magna cum devotione animi sacerdos Deo litabat. Ipse per se quot annis suam lustrabat diœcesim tum sive initiaret mystas, sive dedicaret templa, sive populum fidelem sacramento confirmaret; tanta id alacritate et religione præstabat, ut admiratione populum afficeret, atque ad amorem Dei et religionis studium inflammaret. Ejus vel exemplis vel monitis etiam ecclesiarum curatores excitati, diligentius sua obibant munera; cœnobiis religiosa disciplina impensius commendata. In omnibus his plurimum valuit sui suavitas ingenii et orationis mansuetudo; quæ satis ipsa acerbitatem quamvis edulcaret. Secundum Deum primas officiorum partes senator pius tribuebat patriæ. Multa communis causa boni egit præclare : templa impensis suis vel reparavit collabentia, vel nova a fundamentis excitavit. In Collegia Societatis, Vilnense in primis et Lublinense, in seminaria instituendæ juventuti, in cœnobia, gynecæa sacra, orphanotrophia, nosocomia, ptochotrophia fortunas suas profudit. Exhausto ita aliquando ad paucos nummos ærario, cum et res ipsa et præfecti pecuniæ monerent principem, ponendum liberalitati modum : ipse Deus auri ærisque thesauros suo huic promo, in fundis bonorum pontificalium suorum Kielcensibus conditos, patefecit. Societatem multis et ornavit laudibus, et munivit præsidiis, et fovit beneficiis.

Sepultus in templo Societatis

Testamento cavit, commendavitque executuris, ut, cui viventi in eam per certas rationes non licuit, mortuus utique in Sociorum commune sepulcrum reciperetur. Funus boni principis, jussu Clementis VIII, majoris celebritatis causa, per ipsa pontificii spatia palatii deductum; magno omnium luctu, in æde nominis Jesu nostra, Romæ conditum (1). In Polonia difficile et atrox tempus reipublicæ Superiorum sterilitatem annorum fames, famem consecuta pestilentia, misere afflixit civitates. Exeunte sextili concepta pestis Varsaviæ; ubi tum quatuor e Societate sacerdotes, et duo adjutores laici domicilium habuere. Hi operam civitati, dilapsis metu periculi sacerdotibus, præbuerunt insignem. Illi tum ipsi obire plateas domosque : exceptare confessiones : adesse moribundis : fame pereuntium greges colligere, et corrogata stipe sustentare. Alieno antehac a Sociis animo cives fuisse videbantur; inde illi nostros pro parentibus suis amare et colere : inde ipsos civitatis suæ conservatores appellare. Hoc malo vastante Poloniam, eidem eadem tempestate bellum duplex, hinc a Vallachia, illinc a Suecia imminebat.

18

Pestilentia lacerat civitates.

Sociorum tempore difficili ministeria.

Vallachiæ Palatinus Michael Simeonem Mohyla, expulsum e Vallachia, et hujus fratrem Hieremiam Moldaviæ palatinum, Polonorum clientem, armis in-

(1) Epitaphia vide in appendice hujus libri.

festis agitabat. Hac parte molem magna virtute sustinuit Joannes Zamoyskius 1600
dux exercitus polonici : Michaelem, sexaginta millibus opibusque aliis non con- 19
temnendis fretum, ipso metu sui adventus a mœnibus Chotimi obsessis rejecit ; fugientem deinde in finibus Vallachiæ ad Telesinum amnem assequitur. Pars hostium funditur prælio : pars cum duce in fugam avertitur : pars capti, iique gentis principes, abjectis armis in fidem Polonorum et clientelam recepti pristinam, Vallachi Simeoni, Moldavi Hieremiæ, palatinis suis se supplices restituunt. Ita armis Polonorum occupatis, Suetico interim bello ardebat Livonia. Auctores calamitatis suæ cives ipsi. Pertæsi pacem, libertatem, et clemens regis imperium sui, Carolum Sudermaniæ principem, jam diu pestem Sigismundo nepoti suo, hæredi Suetici regni legitimo, molientem, ad occupandam suam armis provinciam invitarunt. Transmitti statim, ineunte autumno, e Suecia in Livoniam copiæ : sollicitari, cogi, expugnari civitates : tum res in primis Jesuitarum quæri ac diripi; neque ipsi tractari benignius. Deserenda omnino erat Sociis omnis statio Livonica. 20
Ante alios subducti e Rigensi domicilio novitii Polociam cum rerum suarum curatore P. Ertmanno. Octobri exeunte, Georgius Von der Ave rector cum suo collegio commigravit Vilnam ; relictis ad custodiam domicilii septem Sociis. Derpato Socii, rhetoricæ auditores, Nesvisium cum suo magistro translati. Brunsbergæ Guilielmus Lambertus, Anglus, vitam mortalem cum immortalitate commutavit, annos natus LXXIV : ex his in Societate transegit XLIII. Adjutor strenuus in omni negotio et alacer : Romæ, vivente adhuc beato parente nostro Ignatio, coquinatus, eodem in officio versatus est in Hungaria, tum in Polonia, deinde Brunsbergæ in Varmia idem officium præstabat insigni diligentia. Pius et instituti religiosi in primis observans : pro viro sancto communiter ab externis etiam habitus, in primis a cardinale Bathorio Varmiensi episcopo ; in cujus aula, postulante id principe, aliquamdiu ministravit.

*Bellis distrahitur Polonia Vallachico*

*et Suetico.*

*Rigense Collegium dilabitur.*

*Item Derpatense.*

*V. plura in appendice.*

*Brunsbergæ obitus Lamberti adjutoris.*

## LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER QUINTUS

(1600-1610.)

1601

1\. Carolus Sudermanus irrumpit in Livoniam. Derpatensis collegii reliquiæ.

Illatis nuper in Livoniam armis, neque tam armis, quam perduellium regi Poloniæ et Sueciæ Sigismundo hæreticorum factionibus et proditione, dux Sudermaniæ Carolus Dorpatum, oppidum Livoniæ munitum, VIII kal. febr. 1601 occupavit. Septem de Collegio nuper dilapso Socii ea in urbe hærebant : Martinus Costinensis, Christophorus Spotecus, et Joannes Ambrosius Veltherus, sacerdotes, cum quatuor adjutoribus : Joanne Estko, Sebastiano Markovicio, Mathia Vitriario, et Nicolao Krzywowanziewicz ; qui apud Alegambe Mercatoris, atque alter Vitriarii, nominibus non propriis, nescio cur, appellentur. Hos primum Carolus in conspectum productos, fœdissimis jactat convitiis in frequenti ducum suorum et procerum corona : « illi Carolo conceleratissimi mortalium veteratores, qui circumvenirent incautos, et orco manciparent : illi parasiti, gurgites, helluones, abdomini suo nati. » Tum in Romanum Pontificem, in sacros catholicorum ritus, in ipsos, quos sancte colimus, Cœlites, quidquid inflammatus suggessit furor, expromit. Minime toleranda visa Dei servulis, neque ferenda silentio ea, Superum maxime, contumelia ; itaque, memores in tempore divini ejus moniti : cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare, quid aut

quomodo loquamini, quæ Carolo religionem injicerent, nec timide neque tamen proterve reponunt. Primus Christophorus, jam sua etiam patientia modestiaque satis, ut putabat, commonefactum, orat principem, « ut vicario Christi in terris « Pontifici, ut sanctitati religionis et Superum pius parceret; si quid culpæ in se « Sociisve suis esset, se potius, suo parasitum judicio, se helluonem, circula- « torem, quemadmodum occepisset, multaret porro ignominiis : laturum se id « multo æquius quam eam Cœlitum et apostolicæ sedis injuriam. » Inde reliqui Socii eadem postulare. Retardavit animos ducis et impetus virorum oratio fortium; nec dubitavit affirmare : neminem adhuc oblatum sibi, qui tam fidenter animoseque secum egerit. Quando quidem de religione illatus est sermo, de ipsa Carolus, quæ una omnium sincera foret, tum de sacramentis, ritibus, et quibusdam Ecclesiæ dogmatis disceptare; neque indigne tulisse visus dicta a Sociis intrepide, objectamque lutheranæ suæ vanitati catholicæ doctrinæ veritatem. Benignius inde Socios, quàm accepisset, atque adeo pro commendatis, et in fidem suam receptis, dimisit. Acerba fuit ea in Jesuitas lenitas Caroli hæreticis : inflammare illi dictis animum, facesque invidiæ subjicere : maxime ductor copiarum Sommerus, Carolo multis carior, Societati Suecis omnibus infestior. Ei princeps, mutata mox fide, rem Derpatensis Collegii, præter vasa templi argentea, sibi servanda, condonat omnem. Vexandorum ita Jesuitarum occasionem nactus, nullum Sommerus omittit genus injuriæ. Perscrutatur arculas omnes, omnesque domus angulos, sed culcitæ etiam stragulaque excussa sunt frustra. Domesticorum interim famulorum aliquis tumulum, in quem sacra supellex esset conjecta, prodit. Ablatum argentum : direpta alia, cætera pessumdata. Reliqui jam nihil erat, quod exprimerent, præter animos e corporibus, et his jam laceris. Urgent nihilominus prædones, pluraque sibi prodi minis cogunt atrocibus et plagis. Spe denique cum eversis domicilii rebus abjecta, Socios omnes septem in unam perangustam compingunt cellam; rebus spoliatos omnibus, fame, pædore, frigore enecandos.

1601

Fortitudo Sociorum in periculo.

Res Collegii direptæ.

Sed bonus Deus, per quem nec ales esurit, ipsius Sommeri famulum, Moscovitam, ad eam induxit misericordiam, ut cibum miseris clam hero subjectaret, crudelemque herum aliquando commoneret; maxime cum Sommerus ipse vinctos misere jactaret Patres, pugnisque crudelem in modum concideret; tum, simplex homo, servulus : « Ohe, exclamabat, ohe, mi Domine! istorum jam affatim; « timendum porro, ne ultor huc Deus adsit. Parce viris immerentibus, eisque vene- « nerandis. » Sed ferocitatem hominis nulla poterat comprimere, quamlibet illa supplex gravisque oratio. Ut alia crudelitatis exempla omittam, unum ille, quem

Capti excruciantur.

1601 libuerit, e Sociis captivis rapi jubet ad suum triclinium. Adducitur : sistitur ad mensam convivatori turpiter helluanti : tegillo promisso tectus, æneis fistulis ex utroque humero oneratus, cum hastili oblongo, adstare tam diu cogitur, quam longa esset comissatoris popinatio. Hic sales amari, ludibria, Fescennina carmina, et obscœna poppysmata. Hæc ad prandium ; repetuntur iidem sub cœnam ludi, reliquis etiam ex ergastulo conductis, eodem pariter ad scenam apparatu. Neque satis fuit, ludificatum ita domi Sommerum, militum etiam, scurrarum plebisque omnis objiciuntur sannis; sublati in equos, præcinente scurriliter tum symbolum apostolicum tum hymnos ecclesiasticos ipso eodem duce, miseros illos equites petulanter insectante plebe, toto circumducuntur oppido. Diurna hæc ludibria vincula sub noctem virgæque in carcere exceptabant. Ita sex prope vexati menses, et Revaliam, Sueciam versus, in extremam urbem Livoniæ, vincti, sarraco transportati, aphracto transvehuntur Stokholmiam, toto itinere habiti pessime. Eodem, quo appulsi die, statim in ergastula, distracti a se, contruduntur. Quatuor, contracta ex ærumnis et cruciatibus peste, e vinculis corporum ad præmia tolerantiæ evolarunt : Christophorus Spotekus, Zagaroviæ in Samogitia ortus, post absolutam Pragæ philosophiam, magisterii laurea ibidem ornatus; ante annos fere 13 acceptus in Societatem, ætatis septimo supra vicesimum ; triennio post, albo coadjutorum spiritualium adscriptus; Joannes Estko, e nobili familia Lituanica, annorum ætatis 43, Societatis initæ 8; Mathias Vitriarius, Societati anno 1598 adjunctus, cum annos vitæ explesset vicenos ternos; Nicolaus Krzywowanziewicz, annorum senum supra tricenos. Hi tres, gente Lituani, laici, munerum domesticorum adjutores enecti Stokholmiæ mense junio : P. Christophorus XVIII kalendas quintiles; Joannes quarto decimo : Mathias V kalendas julias, Nicolaus quo die interierit, non constat. Reliqui tres : P. Martinus Costensis, sive Costinensis, P. Joannes Veltherus, et adjutor Sebastianus et Markovius, suis industriis vitam utcunque tolerarunt; crudeliter, post obitum etiam Sociorum, ab hæreticis tractati : fame, siti, verberibus exhausti, diu noctuque ferramenta gestare cogebantur; erant vero hæc, coronæ instar, e ferro, ductis utrinque e chalybe alte cornibus, clavoque ignito commissis, sedecim pondo gravia : crudele sane inventum. Jactati diu, cum apud præfectum aliquem, hominem clementiorem, in ministeriis, iisque sordidis, respirassent; anno demum 1605 dimissi, septembri mense in patriam rediere ; libertate donati non gratis, urgente scilicet permutationem captivorum Carolino Caroli Sudermanni filio ; qui in expugnatione Volmariæ mense januario 1602 captus, a Polonis tenebatur.

*Marginalia:* Crudelitas militis hæretici. — Socii enecti : P. Spotekus Christophorus, Joannes Estko, Mathias Vitriarius, Nicolaus Krzywowanziewicz. — Crudelitatis hæreticæ inventa. — Socii capti redimuntur.

Quam experti essent Derpatenses, ea Rigensibus etiam Sociis subeunda erat 1601 2
fortuna: eodem Sudermanno, post expugnata Livoniæ oppida, Rigensem civitatem obsidente. Tres ibi reliqui patres: Andreas Klinger, Prutenus, eadem mortuus tempestate; Paulus Bucholtz, et N. Ertmannus; cum his magister scholasticus Paulus Dulcius, et adjutores duo, ad sustinenda dura, animos suos comparabant; dimissis clanculum ex urbe Petro Kulesza et Nicolao Markiewicz, ad castra Lituanica operariis. Non diu oppidum Suetica tenuit obsidio, Georgio Ferensbachio palatino Livoniæ strenue hostem a manibus propulsante, atque hinc duce exercitus Polonici Joanne Zamoyskio, illinc Sigismundo rege, imminentibus. His Carolus virtute inferior, abjectis, quæ ad oppugnanda castra instituerat, operibus, raptim exercitu partim in alias regiones distracto, partim navibus in Sueciam rejecto ipse, XII kalendas octobres per noctis tenebras hinc se Pernaviam, inde Revaliam trepide abstulit; relicto filio suo Carolusino, sive Carolino, Volmariæ cum præsidio duum millium, e Suetico exercitu delectorum. Consilium persequendi hostis impeditum fuit Sigismundo autumno, quam longus est, pluvio; locis, quoque te verteres, palustribus et uliginosis; quodque difficillimum, fame tanta tamque miseranda, in provinciam per hostem illata, ut dictu etiam sit immane.

Rigæ obsidionem Sueticam dissipat patrius exercitus.

Rejicitur hostis.

Exhaustis cellis penuariis, re pecuaria vel consumpta vel ab hostibus abacta, 3
desertis suis rusticuli gurgustiis, turmatim in civitatem per eversas etiam custodias irrumpebant; perque plateas et compita vagi, fœda torridi macie, aridis hiantibusque faucibus, divum hominumque opem vocibus lamentabilibus implorabant. Et his quidem, qui penetravissent in urbem, consultum primo utcunque, assignato per senatus consultum ptochotrophio, cui nomen a S. Georgio. Mille in hoc et quingenti sumptibus civicis alebantur. Cibatu deinde adeso, esurire cives etiam, ac tenuiores eorum commori cum advenis. Brevi tanta edita est in civitate strages, ut sepeliendis corporibus nec vespillones nec sepulcreta sufficerent. In ipso ad ædem S. Georgii tumulo hac tempestate humatorum millia undecim numerata. Multo miserabilior in pagis conditio. Pleni circum agri, campi pleni cadaverum spectabantur. Contineri suis ædiculis, urente fame, miseri non poterant, in arvis, sylvis, campis, et ubiubi possent, perquirebant remedia: illi, per arentes effusi agros, fodere, scalpurire, radices herbarum vellere: isti morticinas carnes pellesque atque adeo humana cadavera, famelicorum canum instar luporumque, tuburcinari: quin filios etiam a parentibus, parentes a filiis vidisses mactatos, ac Tydeos illos et Menalippos, mensasque Atrei meminisses. Non exaggero, quin imo vereor, ne verbis meis elevem calamitatem tam atrocem, an-

Fames dira lacerat Livones.

1601 nuis Rigensis Collegii litteris consignatam. De hac Paulus etiam Piaseckius in suis *Chronicis :* nec pauca, inquit, Hierosolymitanæ famis exempla tunc in illis locis numerabantur ; ex quo lues morborum contagiosorum exorta totam Poloniam pervasit, et in totum subsequentem annum acerbe vexavit. Redibat Rigam ab regiis Sigismundi castris P. Fridericus Barstchius, in multa ille tum horrenda incurrit spectacula : quale, præter alia, erat, cum in agro morticinum jumentum stratus vernula, esurigine ferina plane ac rabie, unguibus dentibusque laceraret, apertaque viscera liguriret. In pagis et diversoriis horrida visebatur solitudo : ante fores ossa, crania, tibiæ, artus, jacebant passim, ambesorum corporum humanorum reliquiæ : in ædiculis hic recens enectorum cadavera, illic concisorum puerum pendentes ex furca supra fumarium pernæ. Terribilis quaquaversus luctuosusque mortalitatis respectus. Strages hominum ingens : ad centum amplius millia in universa Livonia. Rigæ triginta millia ea pestilentia dicuntur absumpta. Redire igitur Sigismundus in Poloniam coactus, imperii summa Joanni Zamoyskio cancellario regni et duci exercituum Poloniæ tradita. Nihilo melior civium in Lituania et Russia, quam in Livonia conditio.

Spectacula tristissima.

4 Polociæ eodem tempore, in ipso oppido, vel fame vel pestilentia millia quindecim oppressa. De Collegio novitiorum extincti septem : duo et viginti pestilenti morbo conflictati : non tentati quinque ex universa familia restitere. Quindecim sacerdotibus datum negotium ; qui in urbe, quique in pagis succurrerent moribundis. Trecentorum hominum miserabilis turba, ad portam domus a nostris quotidie id temporis pascebatur. Pari charitate servitum Vilnæ et animis pereuntium et corporibus. Receptaculo miserorum ptochotrophium ab antistite Vilnensium Benedicto Woyna conditum sub nomine divi Lazari, sodalitasque instituta, et curæ Sociorum commendata. Quadringenti in eo nosocomio curabantur : deni in dies singulos, et interdum plures indidem exportabantur ad tumulos. Aliquot ex eodem Collegio Patres, ad castra polonica vocati, inter funera pariter versabantur. Interfuere cuidam etiam conflictui ; in quo ad tria hostium Suecorum millia a nostratibus cæsa. Hic illi moribundos inter cadavera peremptorum requirere : de tumultu in loca vacua, quos liceret, subtrahere : omnibus charitatis officiis adjuvare. Ea in acie, nescio, an alibi, alicui eorum oblatus centurio ; qui annos viginti exegerit in hæresi. Hic, jam jam acturus animam, conspectu sacerdotis recreatus, eidem narrat : « adesse sibi, quos ipse cerneret, cum Patre « divinum e cœlo genium et quosdam nominatim beatos : admirari se et splen- « dorem et pulchritudinem et benignitatem hospitum ; qui se et solarentur et

Polociæ fames cum pestilentia.

Vilnam eadem exhaurit. Sociorum pia officia. Pietas Episcopi. Labores Sociorum in castris.

« commonerent pariter, ut resipiscat, salutique suæ in hoc supremo utique arti- 1601
« culo cautus consulat. » Multa, inquit, atque immortalia isti bona mihi pollicentur, modo fidem catholicam profitear, riteque confitear peccata. Paruit homo piis monitoribus, lætusque in laudibus divinæ misericordiæ animam exspiravit.

Hæreticus osteuto monitus resipiscit.

Fame, pestilentia, tumultu bellico afflictos erexit nostros Romanus Pontifex Clemens VIII, novo Polonis patrono ac defensore patriæ proposito, Stanislao Kostka, rite in Beatos relato: quæ *apotheosis* Romæ, in æde Divi Andreæ ad Sociorum domicilium, proposita populo Beati imagine, octo dies magno concursu et pietate, deinde anno 1605, Leone XI Pontifice idem approbante, celebrata est.

B. Stanislaus Kostka Patronus afflictæ patriæ proponitur.

Quæ Polonos inter et Moscovitas certo pacto an. 1595 convenerat pax, ejus confirmandæ causa, generalibus Varsaviæ comitiis electus an. 1598 Leo Sapieha, cancellarius Lituaniæ, legatus ad Borissum Godunow Fiedorowicz, qui Theodoro Iwanowicz M. duci Moscoviæ, nuper demortuo, rectis an transversis viis successisset in solium, dicere nihil attinet.

Leo, ut erat pius, et in omnem religionis promovendæ occasionem intentus, sex minimum e Societate Patres, quorum opera ad suum salutare Moscovitis consilium uteretur, a præside provinciali flagitavit; duos obtinuit, plures concedi rationibus certis prohibentibus. Neque tot missos esse aliquod fuit operæ pretium, nam qui principio animum a negotio religionis non alienum præ se ferebat; quamdiu sibi loco non undique tuto, fraudibus scilicet suis, collocatum videret solium : confirmata denique auctoritate et audacia, Borissus, quo animo quam infenso catholicis esset, ostendit palam : duro sacerdotes nostros imperio rejecit (1) : multa comminatus atrocia.

5. Legatum Sapieha duo Socii sequuntur in Moscoviam.

In Livonia dux exercitus Polonici Joannes Zamoyskius, multis circumseptus periculis, rerum sibi commissarum satagebat, Deo consilia sua prosperante. Ejus numine fretus, non diu armis tentatam, mense januario 1602, expugnavit, urbem Livoniæ nobilem, Volmariam, captos ibidem Carolinum, Caroli Sudermani principis filium, et Jacobum Pontum de la Gardia, præsidii Suetici præfectum, centurionesque præcipuos, vinctos in Poloniam, in carcerem Ravensis arcis conjicendos, ablegavit. Hæsit captivus in Polonia ad annum 1613. Inde Zamoyskius Felini, paulo post alterius oppidi, cui nomen ab albo lapide, deinde Vaisenteini potitus, cæsis non uno prælio Mansfeldi ducis Suetici copiis, ipsoque in fugam conjecto, rebus partem magnam præclare confectis, quod victoriis suis videbat inflammari invidiam, summa imperii Stanislao Zolkievskio, duci

1602 6. Dux Zamoyskius Suetici regis filium captivum ducit.

(1) Litter. ann. provin. anno 1601; Piaseckio an. 1598.

1601

7\. Ducum Chodkiewicz et Zolkiewski res gestæ in Livonia.

exercituum campestri, tradita, in Poloniam ad generalia, quæ appetebant, comitia se transtulit. In his Cracoviæ 1603, Imperatori bene merito gratiæ ab ordinibus actæ sunt ampliter. Relicta a Zamoyskio arma virtute pari tractavit Zolkievskius ; fretus maxime industria et fortitudine collegæ sui, exercituum Lituanicorum ducis, Joannis Caroli Chodkiewicz. Horum ductu Dorpatum, Lais, Mariæburgum, Kirempe, Novogrodecum, Svaneburgum, universaque Livonia, hoste depulso,

8\. Castrenses e Societate operarrii.

1602 recepta sunt. Tota illa tempestate plures e Societate operarii, in primis Petrus Kulesza, Nicolaus Markiewicz, Martinus Ostiensis, suam in castris Lituanicis militiam theologi militarunt. Illi quotidie hortari castrenses ad pietatem erga Deum et patriam : ad abstinendas manus a rebus alienis : ad leges suas observandas : ad frequentem Sacramentorum usum et christianæ justitiæ officia ; illi obire tentoria : requirere ægrotos et solari : petulantes corripere : conciliare animis dissidentes. Quibus Patrum studiis eo usque processum, ut tum milites tum illorum præfecti dictitarent : tentoria sua (quæ alias rixarum, furtorum, rapinarum tabernæ passim erant) istorum sacerdotum industria gymnasia jam esse probitatis ac templa. Amabant propterea Socios, diligenterque observabant ; quin Sigismundo etiam uterque dux exercitus Societatem multis commendavit ;

1602

9\. Rigensis et Derpatensis Collegiorum distracta colliguntur.

idque facile impetrarunt, ut Rigensi et Derpatensi Collegiis, rex e bonis perduellium publicatis, aliquot prædia attribueret. Iidem boni duces distractarum in Livonia ab hoste rerum utriusque Collegii ut colligerentur, restituerentur Sociis, immunia deinceps essent et certis tecta præsidiis, curarunt diligenter. Ita tum inter publica civium damna nostra quoque intertrimenta apud bonos principes pensi habebantur. Aliquorum hic, quos de Collegiis sustulit hujus anni pestilentia, meminerimus. Ante alios desiderati e Collegio Vilnensi Socii quinque ; horum primus in obsequiis familiæ profudit animam Mathias Woyciechowicz, strenuus rerum domesticarum administer : ad imperia præsidum omnemque laborem exan-

10\. Vilnæ Socii in obsequio pestilentia sublati.

tlandum animo semper expedito. Mathiam secutus est P. Florianus N. anno ætatis suæ XXXVII, vitæ religiosæ XVII : confecto nuperrime theologiæ curriculo, contracta pestilenti noxa in salutari paganorum cura ; quorum mapalia obibat tanta diligentia et charitate, tantoque amore miseri eum animorum suorum pium medicum complectebantur, ut quemcunque invisisset, ab illo avelli vix posset. Eodem

P. Singletoni elogium.

perrexit, vir singulari doctrina et sanctitate, P. Richardus Singletonus, natione Anglus. Cum philosophiam triennio, inde annis totidem eam theologiæ partem, quæ de moribus in resolvendis controversiarum nodis consumitur, magna cum laude prælegisset, parique cum approbatione annum jam quartum profiteretur

theologiam scholasticam, magno juvandæ patriæ, religionis scilicet in ea amplificandæ inflammatus desiderio, dum responsum a præside Societatis generali ea super re expectat : acuta correptus febri, ad præmia ejus voluntatis suæ et meritorum evocatus est. Funus Richardi magno cum doloris sensu a civibus, in primis ab academicis, quibus carus omnibus acceptusque erat, celebratum. Hunc subsecutus est P. Petrus Krimerus, Germanus. Linguarum ille, præter patriam et latinam, polonicæ, lotavicæ et lituanicæ peritus, pulchre illis, ad salutem multorum, maxime in Livonia, usus : catholicæ religionis magister inter hæreticos, venatorque animarum sagacissimus. Septem eadem tempestate Socii amissi Polociæ. Duo in hac urbe illis erant diversa domicilia : alterum novum ipso in oppido veteranis, in arce alterum, vetus illud et male materiatum, exercendis novitiis, Riga nuper translatis, assignatum : in hoc tirones quatuor, præstanti indole juvenes, amissi. Primus omnium Urbanus Flosculus (id nominis lego in annuis litteris collegii Polocensis) adolescentulus moribus suo nomini simillimis, decerptus. Parentum blanditias et opes et, quod maxime execrandum putabat, hæresim detestatus, quo tutius castum se servaret atque integrum, Deo se in Societate Jesu devovit; in ea hilaris semper, erecto semper animo experrectoque ad omnem boni meriti occasionem, omnium reverens, amabilis omnibus, Flosculus, longe jucundissimus de se fructus Societati promittebat.

1602

P. Krimerus.

11.

Polociæ septem e Collegio sublati peste.

Flosculus novitius.

Ut rosa rosæ sic Flosculo huic, collegæ suo, Baltassar Blum (quod nomen florem item Germanis olet) integritate vitæ similis, eodem anno ibidem animam efflavit. Lætæ adolescens indolis, et in omnem virtutis formam ductilis, ad pulchra vitæ religiosæ exempla, posteris prodenda, se comparabat, ministrantem ægrotis diligenter ; uti sua exequi solebat omnia; morbus afflavit pestilens, brevique optimæ plenum spei juvenem confecit. Eodem malo interierunt iisdem omnino diebus atque horis, quibus se morituros, cum essent incolumes, prædixerant, florum istorum germen simile : Fabianus Grems, luce divo suo Fabiano sacra, et Octavianus Meinerus. Forti uterque animo imminentis accepit mortis nuntium; quam scilicet maturius, a Deo, opinor, moniti, præsensissent. Itaque non imparatos ab armis suis in supremo illo certamine humani generis hostis offendit, difficilibus utrumque infestisque tentamentis aggressus. Hoc victo uterque læti ovantesque in laudibus divinæ misericordiæ et angelorum suorum tutelarium animos expirarunt. Duo eadem tempestate diem morte confecerunt extremum Pultoviæ : PP. Michael Brunak, Ciechanoviensis, annos prope sexaginta natus, duobus et viginti in Collegio Pultoviensi continenter exactis; vir modestia et patientia et studio divinæ

Blum Baltassar.

Grems Fabianus, Meinerus Octavianus.

1602 gloriæ singulari : et Ludovicus Rogerius, Italus, patria Aretinus, pietatis laude, et doctrina in omni severiorum genere exquisita, ornatus. Cum jurisprudentiæ non exiguam primæ partem ætatis impendisset, Societati nomen dedit, brevi tantum in studio litterarum profecit, ut Romæ philosophiam profiteretur, multisque sua doctrina celebraretur laudibus. Septennium deinceps, partim concionando, partim Neapoli theologiam tradendo, transegit. Inde in Poloniam missus anno 1599, Posnaniæ controversias fidei explicuit, sæpiusque cum hæreticis pro religionis veritate depugnavit. Pultoviæ denique, tum ad instauranda litterarum studia, tum quo facilius curaret, mutato cœlo, valetudinem, vetere pulmonis vitio confectus est; magno sui apud omnes relicto desiderio : præsertim cum mortis felicitate admirationem non minorem et utilitatem, quam vitæ integritate, omnibus attulisset. Et animo sibi constanter præsente, et sensibus ad extremum usque spiritum integris, bene mereri non cessabat : ita in Deum et Cœlites pius, in Societatem gratus, tanta cum suavitate officia fratrum sibi præstita commemorans ac dilaudans, ut unus omnia verba religionis et pietatis occupasse videretur. Morte, quæ certe cuique mortalium formidabilis est, hic tantum abest, ut extimesceret, ut expeteret etiam, suavissimeque invitaret : O mors æternæ vitæ janua, de loco exilii in patriam facilis trajectio, compendiaria ad beatam æternitatem via ! adesdum ! o quando veniam et apparebo ante faciem Dei ! Nimirum virtute multa se matureque contra formidinem mortis instruxerat; temporis, dum viveret, parcus : commodorum omnino negligens : promovendæ religionis catholicæ inter hæreticos studiosissimus; qua causa, magna virium et animi contentione aggressus defensionem librorum cardinalis Roberti Bellarmini, eidem tandem, absoluto jam tomo primo, immortuus est ipsa natali Christi Salvatoris nocte, anno vitæ suæ 50.

12. Pultoviæ PP. Brunak et Rogerius.

1603 13 Post cladem passim magnam et funera, in Livonia reliqui mortalium, provinciam Joanne Carolo Chodkiewicz gubernante, ejusdem virtute defensi septique armis, tandem 1603 respirarunt. Civitate Derpatensi, trigesimo aut eo amplius mense, quam in hostium potestatem venerat, recepta, nostri quatuor eodem tempore reversi, domum, prædia et fundos, adnitente præcipue eodem Livoniæ gubernatore, haud ægre recuperarunt. Miseræ in his rerum omnium erant reliquiæ : si ipsum excipias templum, quod in suos usus hæretici converterant : nihil non convulsum, confractum, vel exustum : quodque aspectu etiam fuit terribile, cellæ, stabula, pistrina, ambulacra, triclinium, anguli domus, omnia tabescentium plena cadaverum videres. Hinc putor undique pestilens mephitisque intolerabilis. Quadraginta amplius exportata a nostris funera : plura ante ex eodem Suecorum vale-

Derpatensium miseriæ.

tudinario ejecta a civicis vespillonibus hominum morticina. Repertus Suecorum aliquis inter parietinas Collegii, qui veru confixas ad ignem versaret carnes humanas; et coquus et obsonator idem et ultimus suorum, quos sibi mactasset mors, conviva oppido miser. Ita ejus, quo nos mulctarant, infortunii hostes quoque oportuit fuisse participes. In prædiis Collegii pariter fœda vastitas, e quingentis colonis viginti non amplius restiterunt; iique semineces, rerum omnium egentissimi. In istis Socii angustiis, domicilio utcumque purgato, strenue sese ad munera sua obeunda contulere, sustentante eos tantisper pio nescio quo equite Lituano. Vix dum illi res sibi propositas in civitate pagisque aggressi, cum e strage insepultorum multis locis, putoreque cadaverum, æstivis provocata diebus, rursus cooritur pestilentia; rursus itaque hominibus nostris approbandæ in periculis suæ charitatis pietatisque occasio; quam illi, Deo freti, diligenter tenuerunt, et oppidanis præsentes et paganis; ipsi inter millia morientium periculis maxime obnoxii: ipsi soli beneficio divino incolumes. Unus duntaxat, isque rei domesticæ curator laicus, Stephanus Braunus, viginti annos in Collegio ministeriis suis magna cum laude functus, communi illo correptus malo, cum aliquot Collegii famulis interiit.

1603

Famis exemplum horribile.

Vastitas domicilii.

Pestilentia.

Vilnam, ubi discussa jam pestilentia, salubriore cœlo cives fruebantur, Polocienses tirones nostri, de civitate sua, pestilenti perculsa malo, profugi, anni 1604 ineunte mense novembri, accepti cum rectore suo P. Michaele Becano, in domo cæmentitia, mille ducentis et quinquaginta nummis nostratibus empta, atque ex ruinis opere tumultuario erecta, consedere. Inde, quod perangusta erat habitatio, coempta vicina domus, amplior illa atque opportunior. Eodem tempore Vilnæ domicilium professis nostris collocatum. Primus lapis templi divo Casimiro dedicandi jactus est : consecratus ab episcopi Vilnensi Benedicto Woyna, in concursu procerum populique maximo: in primis Vilnensi palatino Nicolao Chrystophoro Radivillo, sacri imperii romani principe, et Leone Sapieha, Lituaniæ tum cancellario, post palatino Vilnensi et supremo exercituum Lituaniæ duce, præsentibus. Distributa eodem loco *Litotika* quibus lapis angularis ab academica juventute modulis camœnarum celebratus est. Operatus ibidem sacris Vilnensis autistes, gravissimam orationem de professorum paupertate nostrorum habuit; in qua discrimen inter Collegia Societatis et domum professam diserte exposuit. Insigni proceres inde liberalitate concertabant. Episcopus Vilnensis quot annis deinceps mille nummum, nostratis monetæ, ex accisis ea tempestate opibus suis, in templi constructionem expensabat, eodem sex nummum millia Leo Sapieha Lituaniæ cancellarius, plura plures contulere.

1604

14

Vilnam ad novum domicilium Novitii Polocia transferuntur.

15.

Ibidem fundamenta domus Professæ.

Templi lapis angularis.

1604 Procerum beneficia et populi studium.

Populi quoque liberalitas, quibus poterat, opibus cum principum munificentia contendebat. Ut multa civium omittam studia, tria erant saxa ingentis molis extra urbis mœnia, quibus trahendis centum non suffecissent jumenta; hæc, quod fundamentis præjaciendis erant aptissima, alacritate populus mira, conatuque incredibili, septingenti numero viri, ad locum destinatum contraxerunt: nulla illi mercede, ipsa pietate sua invitati. Similia ab eadem inclyta civitate nostris præstita sunt alias quoque officia. Cœptum hoc anno ædificium, biennio profligatum est. Sex novam coloniam Socii occuparunt; duo in illis sacerdotes: quorum alter præsidis domestici et Lituanici concionatoris in templo Beati Joannis academico munus sustinebat: alter ædilitiam rem, præfectus fabricæ, procurabat; reliqui adjutores laici: in his fabri cæmentarii duo, duo rei familiaris curatores; officia quisque sua præstabant diligenter. Miror hic, præteritum esse in litteris annuis silentio nomen Caroli Ferdinandi, Ratisboriensium ducis, Plocensis et Vratislaviensis diœcesium pontificis, regii principis, Sigismundo III. Poloniarum rege nati; cui partem insignem Vilnensis professorum domus, omnium qui de se bene meriti sint, principi, debet: nisi forte hujus beneficentiam vel suis illi primi exemplis provocarint, vel adjectis post cumularint muneribus. Tantum est injuriæ, antiquiora domiciliorum nostrorum monumenta, historiam, inquam, testem illam temporum, vitamque memoriæ, intercidisse; id quod plerisque in locis accidit, tum calamitosis reipublicæ temporibus, tum urbium incendiis. Molientibus nostris, sacram divo Casimiro ædem, incitata sunt in animis procerum studia ejusdem sancti principis sui, diligentius deinceps colendi. Quid hujusmodi hoc anno gestum sit, paucis accipe.

Prima ibi Sociorum colonia.

16. Pietas erga B. Casimirum excitatur.

Divus Casimirus, Casimiri IV et Elisabethæ Austriacæ, Alberti imperatoris filiæ, secundus natu filius, ortus anno 1458, III nonas octobres, in patriam beatorum acceptus 1484, IV nonas martias: rite in divos relatus 1521 a Leone X Pontifice. Ejus apotheosis quoniam memoria interciderat apud suos cives, perturbatos hæreticis factionibus distractosque: rogatu Sigismundi III regis Poloniæ, Clemente VIII ejus apotheoseos sacræ confirmatio et quasi instauratio instituta est; misso Roma ad Polonos labaro, in quo expressa fuit hujus sancti principis imago. Hoc insigne, anno 1604, VI idus maias, ad templum Vilnæ cathedrale, ubi divi ossa condita in oblivione jam diu sine honore jacebant, tanta celebritate ac pompa deportatum, quantam adhuc, ex quo nomen dedit Christo, non vidisset Lituania. Gratulante et acclamante populo, bellicis tonantibus machinis, occinentibus musicorum choris, sacrum illud signum in procerum frequentia a cancellario Lituaniæ,

Sacri honores ejusdem rite confirmantur.

Descriptionem sacræ pompæ vide in Appendice hujus libri.

Leone Sapieha, delatum : ab episcopo Vilnensi Benedicto Woyna in aditu templi exceptum, inque monumento ejusdem divi magnifice adornato collocatum. Nihil in hoc triumpho pietatis, quod ad sanctitatem et dignitatem faceret, omissum. Quæ Lituanorum erga suum principem sanctissimum pietas experrecta quam grata foret sibi, Deus mirificis quibusdam signis, quæ hic narrare non attinet, sub idem tempus confirmavit. 1604

17. Trocos Vilna procedentis populi supplicatio. Pietas Episcopi et exemplum.

Calamitoso hoc tempore, ad placandum numen divinum pluribus pietatis officiis, itum Vilna Trocos, ad oppidum quatuor leucis distans, locum divinis inclytum beneficiis. Ad eam Matris Sanctissimæ aram indixit supplicationem episcopus, ipseque senex pedibus præivit. Ita hic invitatu suo et exemplo, nostri insuper concionibus, sequaces civium turmas, singulis interquiescentes leucis, ad pietatem hortabantur. Tunc populi sui dux pius, pontifex, nulla ratione neque personæ suæ neque valetudinis habita, humi ad concionantium pedes considens, pœnitentium omnium ac deprecantium primus, orationes hortantium exceptabat. Turbidum fuit veris totius et primum æstatis tempus ad quintiles usque kalendas ; his tandem, ut ex urbe Vilna in campos cœtus processit supplex, discussis illico nubibus, conserenavit, ac porro tenuit opportuna maturandis frugibus, quæ imbribus prope interierant, tempestas. Convaluit deinde agricolis res sua. Optata jam diu cœli salubritas mortalibus ægris munere divino restituta. Fame et pestilentia afflictis novum malum subnatum, bellum moscoviticum, idque his causis :

Supplicationis fructus.

18. Demetrii tragœdia Moscovitica.

Demetrius quidam, a Moscovia oriundus, proprio nomine Hryszka, sive Gregorius, in Poloniæ et Moscoviæ theatrum anno 1604 prodiit, imposita sibi persona Demetrii, unius natu minoris ex iis, quos Joannes Basilides dux Moscoviæ ex se procreatos reliquerat. Hac larva tectus, profugit e Moscovia ad Polonos. Obire ille proceres : queri de injuriis, quasi tum sibi, tum fratri suo majori natu Theodoro, conflatis a factioso cive suo Borisso Godunovo ; qui solium Joannis parentis sui, exclusis successoribus legitimis, occupasset. Theodorus quidem de jure suo, ut erat ingenio miti, valetudine ad hæc infirma, sponte sua concesserat. Hujus frater germanus, qui primam adhuc pueritiam non excesserat, cum matre sua a Borisso in castrum Uglicz conjectus ; itaque imperium sibi præfectus stabuli, sororius Theodori ac Demetrii, Borissus vindicavit ; quoque id tutius stabiliat, Theodoro jam suis pene confecto morbis, sicarios, qui Demetrium confoderent, subornavit. Crudele Borissi consilium occupavit mater, a ministro fideli admonita. Subductus neci puer : alius, pro ipso objectus sicario, interimitur : conjicitur mox in cœnobium Demetrii parens, custodienda diligenter. Theodorus interim demo-

1605 ritur. Hinc hujus reliqui errores fabulæ. Opportunitatem tentandis persequendisque consiliis suis nactus idoneam personatus ille Demetrius Hryszka, multis Polonos, qui se vindicent exulem, et in paternum reponant solium, promissis sollicitat : maxime obtentu religionis catholicæ in Russiam Moscoviticam revocandæ. Quo majorem faciat promissis fidem, Patribus e Societate erudiendum se tradit : ejurat schisma græcanicum : eo denique nostrates quosdam proceres perpellit, ut confecto suis impensis exercitu, Demetrium hunc in suum, quemadmodum existimabant, solium eant restitutum. Trajectæ hoc anno exeunte, copiæ apud Kijoviam Boristhene.

Demetrius, plerisque Moschorum in sui assensum consilii traductis, vicina oppida Putivium in primis et Bielscum occupat. Inopinato excitatus armorum strepitu Borissus, contrahere et ipse suas impigre copias : queri per legatos apud regem Poloniæ de importunitate belli ; expostulare de fœdere, quod factum esset secum in annos viginti, violato. Comperto denique, rem fraudibus ipsius Gregorii et perduellium quorundam procerum suorum agi, expedire arma, hostes persequi. Et vero Borissus nullo negotio hostiles copias, quinque non amplius millia, eorumque mercenariorum, oppressisset ; nisi sua consilia mors repentina, dum et suos armat, et legatos a principibus exceptat, idibus ipsis aprilis, occupasset. Inde reliqui proceres ad Gregorium inclinare ; aleam maxime belli, apud Moscuam urbem suis jactam non prospere, secuti. Hujus suæ impatiens fortunæ Borissi vidua filiam filiumque suum secum pariter veneno sustulit. Rerum itaque potitus regnique, Demetrius insignibus imperii XII kalendas sextiles ornatur. Altero post die viduam Joannis Basilidis, a Theodoro in monasterium contrusam, proceribus comitatus visit : eam pro parente salutat, filium hic suum, admiranti primum, tum signa ejus rei, quæ afferret ipse vero quam simillima, recognoscenti fœminæ, homo ad imponendum comparatus ; eadem ratione consilium quoque suam existimantibus rem arbitris confirmat. Jam regnabat securus, polonicis maxime septus præsidiis : jam civibus suis et clemens imperium benevolentiæ argumentis, et quod nuper Polonis receperat, religionem catholicam commendabat ; ejus propagandæ gratia aliquot e Lituanica Societatis Jesu provincia patribus accersitis. Id vero ægre ferre sectæ tenaces photianæ : suspicari fraudem : quid hominis suus hic princeps Demetrius et unde foret, indagare. Anno denique 1606 comperta fraude, XVI kalendas junias, prima diei luce cum Polonis compluribus trucidatur. Sacerdotes nostri, in vincula conjecti, post ærumnas et cruciatus multos ægre in libertatem vindicati. Moscovitica gente

*Socii in vincula dati.*

fraudibus Demetrii adversus Polonos incitata, Carolus dux Sudermannus copias suas Baltico mari in Livoniam intulit, quatuor supra decem millia armatorum. 1606

19. Lituani fundunt Sueticum exercitum.

Quos hic gubernator Livoniæ Carolus Chodkiewicz objiceret infestis, tria per exinanitos qua populationibus Sueticis qua fame et pestilentia agros Lituanorum millia, et quingentos equites subsidiarios, a principe Curlandiæ Friderico submissos, ductabat. Rigam Suecus perrexit recta; inde sibi a tergo metuens, Kircholmum, ubi Lituani castra metabantur, exercitum convertit. Fit prælium, cæduntur hostes. Sudermannus dux, et ipse saucius, amissis decem suorum millibus, inter eos Brunsvicensi et Luneburgensi ducibus, quadringentis in fugam aversis, solus se ad suas naves agit præcipitem. Admirando plane Dei beneficio ea nostratibus victoria stetit V kalendas octobres, die anniversario translationis beati Stanislai Martyris, patroni regni Poloniæ. Ex acie sexaginta vexilla Suetica Rigam a Lituanis triumphantibus illata; capti hostium quadringenti; nostratium cæsi quinquaginta non amplius, vulnerati quadraginta. Occisorum corpora, pars in cœmeteriis, pars in sepulcris condita; ipso duce exequias suorum honestante. Gratiæ Deo pro victoria hymno Ambrosiano in templo Collegii decantatæ. Ducem rector gratulabundus salutavit. Insignis ejus lætitiæ pars ad Collegium Rigense pertinuit; cujus domicilium, templum, et prædia Sudermannus, hæreticos Rigenses ad deditionem invitans, donaturum se Lutheranis promiserat.

20. Brunsbergæ incendium miro modo extinguitur.

Brunsbergam non e Prussia tantum, sed e Dania, Norvegia, aliisque longinquioribus provinciis litterarum causa adolescentes frenquentiores in dies ad Societatis gymnasium confluebant. Id populares suos deinceps facere hæretici magistratus edictis gravibus vetuere; inviti itaque parentes Brunsberga filios revocabant. Eam hæreticorum malevolentiam insigni prodigio Deus coarguit, unaque Brunsbergensium fidem confirmavit. Duo eo in oppido, mercibus illa maxime tempestate inclyto, suburbia erant, ampla olim negotiatoribus emporia: alterum, quatuor simul regionibus incensum fulmine, deflagravit: alteri, tonante continenter ac fulminante cœlo, universæque urbi exitium par impendebat. Nullum incolis servandarum rerum suarum supererat consilium; vento maxime vehementi ac pertinaci pestem igneam vicis omnibus propagante. Ad Collegium trepidi concurrunt cives. Misericordiam Dei implorant. Inter lamentabiles populi voces defertur a sacerdote nostro sacra ex altari hostia in proximum flumini vicum, qui flammam jam conceperat. Res mira: simul divinum ferculum flammis objectum est, simul ventus, contorquens se, retro pestem secum, vacuam regionem versus, corripuit. Exclamare ad hoc, gratulari, divinam clementiam collaudare incolumes.

1606 Jam civitas periculo defuncta videbatur; cum rursus, sospitatore Christo ad sacrarium relato, invalescit turbo, pestemque abactam refert. Revocatur cum sacro ferculo sacerdos; tum rursus, quasi voce divina increpitus, frangi auster et finiri continuo : tum nubes repente contrahi nimbumque profundere ambustæ civitati optatissimum. Quæ res magno fuit omnibus miraculo, multosque ad pietatem et cultum absconditi sub speciebus panis Salvatoris Domini excitavit.

21. Fab. Quadrantinus Brunsbergæ mortuus.

Antehac e Brunsbergensi domicilio in domum æternitatis abiit P. Fabianus Quadrantinus, gente Prutenus, domo Stargardus, anno salutis eodem, ætatis suæ LVI, vitæ religiosæ XIX, prid. nonas martii. Hæreticis parentibus natus, inque hæresi educatus, primis litteris operam dedit in patria; inde maturior Brunsbergæ Sociorum opera Ecclesiæ restitutus. Ejus receptus sui causas libello, qui *Palinodia*, sive revocationes, recitatæ Brunsbergæ in Collegio Societatis Jesu, inscribitur, in lucem emisso vulgavit Romæ in gymnasio Collegii germanici litteris cum philosophicis tum theologicis imbutus; adjutus in eo studio opibus cardinalis Stanislai Hosii; in Societatem acceptus est; in ea præclare tum officiis aliis tum habendis ad populum concionibus perfunctus Posnaniæ, Cracoviæ, Brunsbergæ. Inde reginæ Poloniarum Annæ Austriacæ a sacris fuit confessionibus et concionibus aulicis. Regina demortua, recepit se Brunsbergam. Ibi vir religiosissimus, doctrina præstanti, moribus suavitate præcipua temperatis, anno hoc ipso, quo *Speculum pietatis* (1), librum sic a se inscriptum de vita et obitu Annæ Austriacæ, Polonorum et Suecorum reginæ, conjugis Sigismundi III, anno 1598, IV idus februarias demortuæ, vulgaverat, bonis operibus immortuus.

22. Vilnæ congregatio Provincialis. Patris Stephanowski obitus ibidem.

Vilnæ in domicilio academico, anno 1606 a congregatis ex Lituania et Polonia Sociis, XVII kalend. sextiles electus ad Congregationem procuratorum Romanam P. Petrus Fabricius. Ex eo Patrum cœtu diem supremum ibidem obiit P. Hieronymus Stefanowskius, polonus, in diœcesi Cracoviensi natus, vir doctrina et pietate insigni. Quadriennium philosophiam, quinquennium theologiam scholasticam, sacras litteras biennium, magna cum laude explicuit. In istis magisteriis et aliis officiis ad instituendam christianis præceptionibus plebem sæpe se conferebat. Mitti ad Indos, vestigiisque divi Francisci Xaverii insistere, et cupiebat vehementer, et, ut liceret idem sibi, præsides suos orabat. Ægrotis admiranda charitate ministrabat. Inter alias laudes suas submissio animi erat spectabilis. Cracoviæ, cum inter eos, quorum virtutem, jam sacerdotum, tertium periclitatur Societas, in culinario versaretur ministerio, et jam eruditio sua multis celebraretur laudibus; vocatus ad portam domus, ubi se academici et philosophiæ magistri

(1) Vid. Bibliothecam script. P. Nath. Sotvelli.

ex Ordine Dominicano expectabant, ut erat cacabos inter et ollas sordidatus, sic prodiit, existimationis contemptor humanæ; itaque invitantibus se ad scenam instituendi inter se litterarii certaminis, assignatum sibi a præfecto culinæ nescio quid muneris excusavit. Extinctus febri, ingressus annum vitæ quadragesimum. 1606

23. Res turbidæ in Polonia. Hæreticorum perduellio adversus Regem.

Turbo in Polonia ingens, perduellione quorumdam adversus Sigismundum regem excitatus, nostram quoque Societatem corripuit. Rem anno 1606 cœptam, 1607 profligatam universam, narramus continenter: quo propius fini principium sit totaque series in conspectu. Studiosissimus religionis amplificandæ princeps, ac propterea Societatis Jesu amantissimus, Sigismundus III, in regno per hæreticos magnam partem corrupto, ut perniciem a republica depelleret, in eam curam omni studio, virtute, et auctoritate incubuit. Senserunt enimvero dominum rerum molitores novarum; omnia omnino illi alia sibi ante, quam Sigismundus in Poloniam ad gubernaculum venisset, polliciti. Sperabant illi per eum principem, qui patrio regno a patruo suo Carolo depulsus (1), isque inter hæreticos natus versatusque esset, integrum sibi fore, quidquid arbitratu suo de suis fortunis, quidquid de regni felicitate et religione statuissent. At nimium illi quantum hac opinione sua sunt falsi: experti omnino alium, quam quem animis fingerent sibi principem: Sigismundum scilicet, Catharina Jagellonia, parente optima, natum, Stanislao Varsevicio, Societatis nostræ theologo, probo religionis et morum magistro, educatum; idque sero jam meminerunt.

Seditionis causæ.

Hujus pietatem et regimen minime languidum ægre ferentibus duo præter alia dividiæ erant maxime: alterum, quod candidati, suæ homines sectæ, a senatu cæterisque muneribus publicis, quam diu cum Ecclesia Romana in gratiam redire abnuerent, regis consilio constanter arcerentur; itaque effectum, ut, qui majorem præcipuamque senatus partem novitiis doctrinis addictam repererat, excedens vita duos ipsos, Sigismundum scilicet Grudzinskium Calissiensem, et Raphaelem Leszczynskium Belsensem, palatinos, hunc Calvini, illum sectam nescio quam, secutos, reliquerit: quod Constantiam Austriacam (2), Caroli archiducis et Mariæ Bavaricæ filiam, Annæ aliquot abhinc annis demortuæ, primæ suæ conjugis sororem, duxisset rex, alterum; id quod proceres, etiam catholici, haud leviter principi succensebant: veriti scilicet, nequid detrimenti per eam cum Austriaca familia (3) conjunctionem sua caperet libertas. Hinc plena suis in cœtibus quærelarum omnia: hinc famosi adversus principem libelli: hinc conspiratio denique

(1) Anno 1591. Stan. Kobierzycki, hist. Vladislai IV. Lib. I. — (2) Idem Kobierzycki ibid.
(3) Stan. Lubienski, de motu civili. Lib. I.

1606 contra majestatem regiam ac turbæ. Plurimum vero noxæ opinione an potius malevolentia hæreticorum penes nostros (qui in aula regi a sacris erant), invidiaque pene tota : quorum scilicet consiliis princeps, in iis utique, quæ ad religionem attinerent, auferretur. Id quod fato Societatis communi fit; cui jam vulgo, quæ usquam eveniunt, causæ perturbationum assignantur. « Jesuitæ itaque ipsis sive « auctores sive adjutores ejus Sigismundo consilii : Jesuitæ principis a prima « pueritia institutores, consiliarii, asseclæ : Jesuitæ, hostes novorum dogmatum « acerrimi; ipsi vel per Sigismundi latus, nisi aliter pateant, petantur. » Refricabant hic necdum bene obducta vulnera, quæ in Transylvania, Anglia, et alibi excepimus : quo majorem in populo excitarent invidiam.

His inflammati, secessione facta, misti catholicis hæretici millia hominum amplius triginta, tumultuantur, conventusque provinciales Stenzycæ, Sandomiriæ, Lublini, Pokrzyvniciæ celebrant; quodque pacto, maxime Sandomiriæ, inter se convenerat, id Visliciæ regi et utrique Ordini in comitio (1) per suos legatos omnium consensu Ordinum confirmandum proponunt, atque adeo suo nescio quo jure postulant, ac primum quidem (2) : ut Jesuitæ ab aula regia negotioque in ea omni excludantur : ut ejusdem Ordinis homines, unde illi cunque sint, advenæ, prius quam se trimestre tempus convolverit, ex universo Poloniarum regno sese ejiciant : tum omnes omnino, cives etiam hujus patriæ, Cracovia, Varsavia, Sandomiria, Leopoli, Torunio, Gedano, Polocia, Riga, Derpato, integris, si quidem placebit, rebus suis Vilnæ, Calissii, Brunsbergæ, Posnaniæ, Nesvisii, Pultoviæ, Lublini, Jaroslaviæ, exturbentur : ejectorum bona publicentur : pars eorum Cracoviensi academiæ attribuatur, pars in prytaneum, in quo alantur emeritis milites stipendiis, convertantur. His denique suis sacrosanctis quicunque reniti non dubitarint, ut exilio multentur. Et jam istis accusatoribus causarumque arbitris omnium omnis res nostra profligata; cum interea comitiis legumque istarum conditoribus obnuntiant, præter alios, Hieronymus Gostomskius Posnaniensium palatinus, et Felix Kryskius referendarius regni, nuntiorum terrestrium mareschalcus : viri ut alias semper æquitatis sic nostræ in præsentia causæ defensores constantissimi. Multis tum illi Sociorum innocentiam non modo tueri, sed laudibus etiam ornare, commendare. « Prodirent, evocabat uterque, noxarum indices : « afferrent in medium argumenta criminum certa; neque, indicta causa, cives, « tribules, affines suos, in regno libero pariter natos, si sua cuique cordi esset

Decreta in Societatem.

Defensores Societatis.

(1) Anno 1606, 13 septembris.

(2) Petrus Skarga, Oratio de Confœder. in articulum de Jesuitis.

« immunitas, condemnarent. Dissimulare hic adversarii religionis totiusque invi- 1607
« diæ causas, alia conficta objiciunt omnia; queruntur, eos nos esse, qui se regi
« in consilia de rebus civilibus insinuent : qui dominationem aristocratici democra-
« ticique regiminis rationibus, servitutem libertate potiorem esse, populo con-
« cionabundi persuadeant : qui turbas concitent, rerum novarum auctores, qui
« denique leges, patria sacrosancta, et consuetudines condemnent. » Iniqua crimi-natio primum quidem constanti, quod indignationem declarabat, excepta silentio ; deinde amplissimo decreto Societas collaudata, et omnis calumniæ detersa macula. Ne quid criminis in causa ita defensa hærere imprudenti cui videretur, Petrus Skarga ad singula ab adversariis objecta scripto luculente respondit, propositis rationibus : quo in primis vitæ utamur instituto : quos fructus Societas Ecclesiæ et rebus publicis, Deo bene juvante, afferat : quanta quam multa in Anglia, Transylvania, et alibi ipsius religionis causa, pertulerit. Ad hæc atque alia in eam rem scripta dictaque plerique consilia sua retractarunt.

Criminationes malevolorum.

Quievisse tamen omnes, hæretici maxime, haud poterant; aliis alios adversus regem, ecclesiasticos, religiosasque familias instigantibus. Rursus ergo conciones turbulentæ, et ultro citroque controversiæ. Jamque res ad arma spectat. Tumultuantes dearmatum ibat consilio primum, et qua pollebat auctoritate, domi militiæque inclytus dux exercituum regni, Stanislaus Zolkiewskius; qui, rumore obscuro et quasi per nebulam excepto, Cracoviam, ad molientes civile bellum advolarat. Hic, ubi neque terroribus apud obstinatos profici posse videt, regem denique monet, religioni, tranquillitati publicæ, rebusque suis consulat. Varsaviam id nuntii Sigismundo, periculorum adhuc minime conscio, allatum. Movet extemplo rex, manu, quanta repente potuit, coacta ; maturius Janoviam subit, quam factiosi de adventu suo rumoris quidquam excepissent. Excindunt interim illi milites gloriosi suis in cœtibus, maxime inter pocula, sacras Deo familias : bona ecclesiarum diripiunt : et prædia et cœnobia et templa, in primis Jesuitarum domicilia fundosque, sibi vicissim, per scenam triumphantes, addicunt. Cum ecce tibi Sigismundus in urbe, atque adeo in acie, ita hic compositus instructusque oppido successit, tanquam idem, quod sibi cum hostibus unquam fuerat, cum istis civibus certamen foret. Hic enimvero nihil ejusmodi opinantibus versa et mutata pejorem in partem sunt omnia, ad primum rumorem concuti metu audacia, fluere arma de manibus.

Tumultuantur seditiosi in armis.

Eximitur perculsis consulto dies; pars obstinatior in gradu resistit primo : pars melior, sacrisque catholicis amicior, facti pœnitens, per aversas urbis portas

Pars metu dilabuntur.

1607 trepidi uno se agmine ejiciunt. Rex « perduelles, quos certe revocatum ad officia « non perditum ibat, per internuntios monet, resipiscere malint, clementiamque « principis quam iram vindicis experiri. Eum se hic adesse, qui facile, ut pervi- « caces contundere, sic recipientibus se ad bonam frugem possit velitque dare « veniam; hodie, utro frui malint, optio esset sua. Gerras illi suas nihilominus « gerras; eadem, quæ postulabant ante, in primis ut Societas Varsavia aut pri- « mariis utique urbibus ejiciatur ; ut ne deinceps nova illis domicilia condi liceat ; « ut denique exteri, qui in Polonia et Lituania essent, e regno Poloniarum universo « alio se, quocunque libuerit, vertant; » et si id quidem ipsum jam paulo mitius, pertinaciter tamen postulant. Talibus scilicet tam indignis conditionibus placandus erat rex offensior. Contineri jam omnium, qui regiarum erant partium, iracundia non potuit, quin ejus contemptores clementiæ ex urbe ad pugnam elicerent. Proditur utrinque in aciem : concurritur infestis signis, inferiores virtute cedunt hostes ; imprudentes denique in eas contruduntur Thermopylas, ubi hinc flumine illinc exercitu interclusis reliquum erat, ut ad unum occisione occumberent, si porro de salute armis decernere maluissent. Sed neque in eo tanto discrimine se circumspiciunt homines furore occæcati ; gladios illi eminus ostentant nudos ; instituunt aciem ; malam regi regiisque pestem minitantur. Quæ tam misera impotentium conditio animum denique regis admonuit suæ clementiæ : « mente « incitatos agere, quidquid agerent; hostes illos quidem, eosdem tamen cives esse « suos ; præcipiti consilio in mortem ruere : contineret abreptos impetu cæco, « quosque negotio nullo perdere posset ultor, regni rerumque moderator prudens « servaret vel invitos. » Miseratus igitur mortalium amentiam, abstinere manus jubet suas ab hoste, accirique de castris perduellium signiferos. Hoc enimvero miseris nihil opportunius fortuna obtulerit. Adsunt dedecore suo et ignominia concisi, veniam supplices orant. Pax utrinque conficitur, idque clamoribus per castra festis celebratur. Sed pax, metu confecta, non diuturna. Rursus perduelles cogere cœtus, regemque provocare. Cracoviam pergenti Sigismundo infestis obviam signis apud oppidum Gussovum prodiere pridie nonas quintiles 1607. Pugna rursus committitur. Quatuor perduellium millia pars cæsa pars in fugam acta. E regio exercitu desiderati triginta non amplius. Hac denique cæde molimina hæreticorum omnia dissipata.

Cæca in periculis audacia.

Clementia Regis.

Vixit ad hæc usque tempora, Stanislai, jam in divos relati, germanus frater, Paulus Kostka, Ciechanoviensis provinciolæ vexillifer. Ea gloria tanta, quantam beatus frater in Ecclesia etiam militante consecuutus sit, jucundius ille vita sua

fruebatur, pietatis fraternæ jam diu diligens imitator. Condito Przasnysii cœnobio Franciscanis, quos hic vulgus Bernardinos nuncupat, et templo, ac præterea ptochotrophio Pultoviæ peramplo scholasticis pauperibus colligendis; auctis Przasnisii templi curialis redditibus; omnibus suis facultatibus in egentes distributis; quod patrimonii reliquum erat, prædium suum Lissovum Collegio Societatis Pultoviensi sex millibus nostratis monetæ, ab episcopo Plocensi Alberto Baranovskio majorem partem nostro nomine sibi oblatis, vendidit; neque tam vendidit, quam donavit: nam et merx sua nostro erat superior pretio, quam scilicet vicini pluribus licitarentur ultro; et tertiam fere partem venditor munificus retulit ad Collegium, a rectore domus arbitratu suo in pauperes erogandam. Opibus ita dispersis, seu potius ad fœnus nunquam interiturum prudenter collocatis, ipse in æde ad Pultoviense nosocomium, a se conditum, totum se dedidit pietati. Hic ille inedia exquisitisque modis affligtare corpus; diu noctuque continuare precationes Deo supplices, positis humi genibus, stratusque ante beati fratris sui Stanislai imaginem: itaque ab hora mediæ noctis secunda gemens et lacrymans ad virium usque deliquium perdurabat; ut hinc genua multo obducta fuerint callo, vultus pallore deformis, corpus exhaustum macie. Ille indidem suum ptochotrophium visere identidem; solari et curare miseros; egentes eodem contrahere; pædorem morbidorum abluere; ministrare discumbentibus; nullum pietatis officium omittere. Novum istud vitæ institutum, quasi suo præclaro genere alienum, damnantibus propinquis solenne illud suum, quod in sepulchri etiam sibi præparati lapidem incidi curavit, modeste reponebat: non erubesco evangelium, humilitatem scilicet a Christo commendatam. In Romano itinere ad Collegium tironum Societatis, ipsis aggregandus, contendens, Petricoviæ confectus morbo, ad amplexus fratris sui, in Societate civium supernorum triumphantis, discessit 1607, III idus octobres.

*1607 24. Pauli Kostka felix transitus. — Grata erga Societatem voluntas. — Humilitas — Pietas. — Constantia. — Obitus.*

25 Jam aliquot utique fructus, a Sociis hoc anno in vinea Domini lectos, dulces illos ac salubres multis, regustemus. Duplex erat Vilnæ in collegio academico e trecentis amplius viris, augustissimæ Dei parenti Virgini addictis, sodalitas: in altera academici juvenes; viri e statu profano principes, atque episcopi etiam aliquot, compluresque e collegio canonicorum, in altera censebantur: atque hi quidem pro suis opibus magnifice sodalitii sacella donis suis ornabant: academici vero ipsis suæ pietatis officiis cœtum suum populo commendabant. In horum erant censu, qui libenter valetudinaria publica viserent: christianam miseris charitatem infimis etiam ministeriis approbarent: certos dies, maxime pervigilia Beatæ Virgini sacra, jejuni transigerent: flagris se cilicinisque subuculis affli-

*Vilnæ Sodalitia Mariana commendata.*

1607 ctarent. Amabant eam in gymnasio Societatis disciplinam juventutis nives, ac prædicabant. Istis admoniti laudibus patres e familia Ordinis de Monte Carmelo, per beatam virginem Theresiam reformati, a Germania transeuntes in Persidem, ut in ejus, tam pulchre instituti, album sodalitii sua ascriberentur nomina, rogarunt; itinere consiliisque suis Mariano cœtui commendatis. Ex eo Sodalium collegio hoc anno dicarunt se Deo : septem in religiosam Franciscanorum familiam, totidem in Ordinem Basilianorum accepti : quindeni, ut in Societatem cooptarentur, orarunt; octo duntaxat impetrarunt, quod angustiæ domus novellæ jam admissorum numero essent expletæ. Cæterorum etiam academicorum commemorabilis pietas, in calamitate perturbatæ Reipublicæ supplicantium. Trecenti amplius, lugubrem in modum linteati, flagellis quisque in sua armati terga, trifariam, secundum partes sacri Rosarii, divisi : pars gaudentis Beatæ Virginis, pars ejusdem dolentis, pars denique triumphantis mysteria sacris celebrantes carminibus, ab academico templo ad fanum B. Stephani, extra mœnia situm; illinc post sacrificium missæ, provolutis in terram corporibus, religione præcipua divinæ oblatum clementiæ, longo tractu pariter supplices ad regium Divi Casimiri in primario templo sacellum processerunt, tota fere comitante civitate. Commovit ad comprecandum incolas altera quoque in templo academico supplicatio : triduum illa Bacchanalium ante expositam hostiam divinam instituta horarum spatio quadraginta. Hanc quoque populus celebravit tam frequens, ut ipsorum quidem, qui hoc triduo ad mensam Eucharisticam rite accesserint, quatuor amplius millia numerata sint : cæteros templum, peramplum illud, vix caperet. Comparata fuere quædam ad frequentem conventum illicia : inter alia, exquisitus templi ac varius per eos dies ornatus : odea musicorum in plures choros disposita, atque in his symphoniaci adolescentes, exquisite ad sacram scenam ornati, diligenterque ad canendum eruditi : binæ quot diebus conciones : ipsa denique juventutis academicæ, ad pietatem accurate compositæ, comprecantis exempla. Placuit ita ea catholicorum pietas hæreticis etiam, ut subinde viginti amplius ad Ecclesiam Romanam obsequiumque redierint. In his ille fuisse dicitur, qui sacram, propositam in altari hostiam intuitus, mirifica circumfusam luce, plenæ similem lunæ, sanguine rubentem manantemque, diu mirabundus spectarit, idque jurejurando judicibus religiosis sponte confirmarit. Et erat homo sortis non infimæ, interque capitones hæreticos cum satis doctus tum sectæ suæ Arianæ laudator pugnax.

Academici plures in sacras familias accepti.

Bacchanalibus feriis prima, nisi fallor, comprecatio.

Hæreticus mirabili ex hostiæ sacra ostensione convertitur.

Negotium dividendæ in Lituanicam et Polonicam provinciæ, ab anno 1590 tentatum adhuc, Jaroslaviæ tandem in congregatione provinciali expeditum. Con-

venta magister ordinis Claudius Aquaviva confirmavit. Lituanicæ primus impo- 1608
situs Paulus Boksza, et ipse gente Lituanus, nuper vicarius, deinde præses 26 Divisio
provincialis, anno 1608. Quinque et septuaginta Socii Lituani supra ducenos in Lituanicæ
decem familiis censebantur : Vilnæ in tribus domiciliis, Brunsbergæ, Pultoviæ, provinciæ a Poloni-
Nesvisii, Polociæ, Rigæ, Derpati ; mox Crosis, in oppido Samogitiæ, ab episcopo ca.
diœcesis ejusdem Melchiore Gedroyc duo patres. Mathias Galmin et Melchior 27 Crosis
Dowgiallo, Vierzbolovio, nescio, de prima illa statione temporaria, an aliunde de- prima
ducti, domicilium in ædiculis ad curiale templum collocarunt : inde pio antistite Sociorum statio.
mortuo, a vicario diœcesis administratore N. Dauksza translati, ad ædem Sanctæ Crucis redditibus ipsius curionis habitarunt. Supellex templi et domus, pertenuis illa, donis episcopi Samogitiæ Nicolai Pac aucta. 28 Derpati

Neque Derpatensis Collegii res fuit ampla ; quin multo etiam quam annis supe- duo reli-
rioribus angustior. Direpta a Suecis civitate, pessum rebus datis omnibus Collegii, qui Socii salutem
dilapsis Sociis, reliqui sacerdotes duo et adjutores totidem, suas et ipsi deseruis- civium
sent parietinas : nisi viros pietas, atque ipsius boni lucri ; quod unum ex animis curant.
civium, ab hoste perculsorum, et latitantium, militumque ægre in præsidio hærentium offerebatur, salutaris cupiditas in officio tenuisset. His ipsis sacrorum ministris, nullo in civitate circumque adjutore alio, recreabantur ægri, curabantur ægroti, christianis præceptionibus imbuebantur rudes. Horum ipsorum cura, præter sexcentos a corruptis moribus ad bonam reductos frugem, septem et viginti, repudiatis hæreticorum de religione commentis, Ecclesiæ se reddiderunt. Qua industria patres eam civium sibi benevolentiam conciliarunt, ut perinde ab omnibus ac parentes ab amantissimis filiis haberentur. 29

Brunsbergæ tres viri memoria digni de Collegio amissi. Primus illorum PP. Jung,
P. Georgius Jung, rei œconomicæ annos prope viginti Procurator, vir industrius Annius, C. Hein et
et virtutis egregiæ. Morbo graviore æger, mutandi cœli causa e Gedanensi Noumann
domicilio Brunsbergam se contulerat. Valetudine hic quoque nihilo meliore usus, Brunsbergæ.
lenta consumptus tabe, diem suum obiit ; editis insignibus patientiæ et aliarum virtutum documentis : alter, P. Simon Annius, annos viginti amplius rhetoricæ magister, doctrina et diligentia præstans. Cum ad aram sacris operaretur, ictus apoplexia, interiit. Eodem malo dissolutus Joannes Hein, in re familiari Sociorum adjutor, ingenio vir mitissimo, amantissimus silentii et pacis ; qui ne verbo quidem ullum violarit unquam : hortorum domesticorum multos annos cultor industrius : instituti religiosi observantissimus. His appositus vir consularis Michael Noumannus, de Collegio Brunsbergensi bene meritus,

1608 cultor Societatis diligentissimus ; episcopalium bonorum generalis œconomi officiis annos plures magna cum laude functus; paulo ante, quam excessisset e vita, domum nostram, tanquam in tranquillam stationem, se intulerat. Nihil moribus hominis commodius, nihil pietate sua in omni civitate illustrius. Sic ille totum se ad Societatis institutum fingebat, ut, si vestitum exciperes ipsum, nihil fere esset, quominus pro uno de Collegio Sociorum bene moratorum haberetur.

30 Scoti adolescentis animus erga Societatem.

De cœtu juvenum, qui hoc anno in gymnasio Brunsbergensi operam dabant, quatuor nobilissimi in Societatem se aggregarunt. Unius inter eos virtus enituit præcipue. Nomen adolescentis silentio præteritum, facinus annuis provinciæ litteris laudatum. Catholicis ille, nobilibusque in Scotia natus parentibus, cum in solo patrio annum jam quartum supra decimun ageret, accidit, ut sacerdotes e Jesu Societate aliquot, homines puero nusquam visi, domum paternam inviserent. Contemplatus hospitum vultus et mores juvenis, primum admirari deinde amare istos hospites, et curiose quærere, unde istuc foret, et quod tam elegans hominum genus. Doctus Jesuitas esse, negotiatores nempe magnarios, ipsius humanæ salutis cupidos, qui hujus rei causa orbem terrarum pervagentur : qui trans maria currant ; nullumque discrimen, ejus ipsius rei studio, defugiant. His nunc ipse si venum ire velit, nihil esse negotii ; facile se puerum vendituros. Hæsit primum ad hæc ille, deliberanti similis ; mox se Patribus tradit ultro ; suæ deinceps Societatis totus usu et mancipio futurus et fructu. Sed ejus consilii tam calidi fructus expectandus erat, dum ipse cum ætate pariter maturesceret. Itaque bene valere jussus, domique tantisper quiescere. Ille deinceps majore in dies agi angique Societatis desiderio. Quinto inde anno, concessu parentum, Brunsbergam se appulit. Hinc, nescio cur non acceptus, Romam usque pedes vestigiis Beati Stanislai perrexit. Voti denique compos, quid egerit, in Varmiam an suam in Scotiam redierit, in monumentis nihil invenio. Hæresium magistri in Dania scholas in Varmiam suas cum patria sobole transferri non ferebant ; quam ob rem

31 Daniæ rex compescit Societatis calumniatores.

falsis etiam criminibus Socios ibant oppugnatum. Adversus eos calumniatores emissus e collegio Brunsbergensi apologeticus libellus, proceribus Daniæ dedicatus. In hunc forte incidit rex gentis. Legit curiose. Indignissime tulisse fertur suorum petulantiam : quin edicto etiam cavisse, ne ulli suorum liceret esse deinceps impunito, qui Jesuitas scripto dictove violarit ; ajens, adhibendam esse reverentiam erga homines ; quos ita pietas et doctrina commendaret.

Exeunte jam anno, diebus adventu Christi sacris, Jubilæum concessu Pauli V in Polonia celebratum. Dum Socii pagos visunt hortatores plebis ad pœnitentiam,

in facinus atrox incidunt. In pago quodam diœcesis Vilnensis, malo haud dubie exagitata genio, mulier uno fere temporis articulo quatuor suos jugulat liberos. Quod reliquum est, ipsa sibi violentas infert manus suspendio. Jam domi superstes erat nemo, præter miseram diærectam, necis suæ cunas ex laqueo agitantem. Felis inter hæc, et ipsa cruore interfectorum respersa, tectis omnibus discurrere miserum in modum, gannire, oggannire, et quasi provocare prætereuntes villicos ad triste spectaculum. Suspicatus quid nescio vicinus, tectum subit, plenam attonitus videt casam funeribus, inclamat accolas, infelix laqueo exsolvitur mater. Recreata fomentis, accito sacerdoti nostro scelera pœnitens confitetur.

1609 32 Facinus mulieris atrox.

33 Varsaviæ pax cum perduellibus stabilitur.

Varsaviæ in comitiis generalibus cum perduellibus nuper domitis, rege jus clementer dicente, transactum tranquille negotium. Respirarunt a metu Socii (1) : laudati communiter ab omnibus : a rege et proceribus aucti etiam beneficiis. Ad ædem collegii canonici agebant illi adhuc hospites alienam. Jam ad eandem proxime exædificando ipsis templo jactus est lapis, a Posnaniensi episcopo Andrea Opalinskio dedicatus, in celebritate procerum et populi magna. A plerisque in rem cœptam collata donaria. Perutile quoque illud fuit beneficium : usus aquæ fontanæ, concessu magistratus, cura proconsulis Joannis Clementis, a fonte per subterraneos canales tractu longo ad Sociorum domicilium deductæ. Invitabat ad ea benevolentiæ officia civium animos suis rex Sigismundus exemplis.

Fundamentum templo præjacitur.

Aquæductus conceditur.

34 Vilnæ Rex cum familia sua salutatur.

Multis ille Varsaviæ relictis suæ erga Societatem beneficentiæ monumentis, Vilnam a comitiis statim cum regina Constantia conjuge et filio principe Vladislao invisit. Exceptum pro dignitate a proceribus et civitate, Socii sub arcu triumphali oratione, paucis post diebus e theatro gymnasii dramate, ad præsentem composito lætitiam, per suos academicos salutarunt. Nihil in omni officiorum nostrorum humilitate boni principes aspernandum putarunt. Subinde justa funeri P. Friderici Bartsch, ampliora illa, quam nostra ferret consuetudo, solvimus. Id quod piorum voluntati principum negari haud potuit. Itaque et sacrificium funebre ad regiam decantatum musicam et concio de laudibus Friderici habita, exequias præsentia regis, reginæ, regii principis procerumque cohonestante. Ortus Fridericus in Prussia, diœcesi Varmiensi, civitate Brunsberga : Romæ 1572 in collegium novitiorum Societatis acceptus : Viennæ in Austria theologicis disciplinis excultus : Vilnæ laurea facultatis ejusdem ornatus (an. 1587). Græcas latinasque litteras, theologiam moralem et polemicam Brunsbergæ alias, alias Posnaniæ docuit. Collegia Sociorum Brunsbergæ, deinde Vilnæ, diu rexit. Polonam et Lituanam provinciam vicarius

P. Bartsch Friderici funus præsentia principum honestatum.

(1) Socii ornantur beneficiis.

1609 provincialis administravit. Magna prudentia et charitate in officiis omnibus præluxit Sociis. Regi Sigismundo et reginæ Constantiæ ad sacras confessiones animorum arbiter et monitor, aulæ pietatis christianæ magister, quin ipsis etiam hæreticis Jesuita, propter comitatem et sanctimoniam, fuit perquam carus. Novem prope annos in aula exegerat. Moscovitico bello secutus ad castra regem, dum apud Smolenscum e gente germanica milites, contagiosis afflictos morbis, medicus animorum curat, eodem correptus malo, occumbit III kalend. decembres, anno ætatis LX vitæ in Societate religiosæ XXXVII, magno regis et militarium procerum dolore. Corpus jussu principis Vilnam, XC milliaribus illinc distantem, translatum, in sepulchro Sociorum conditum.

Regina visit domum Collegii. Ejus demissio et benignitas.

Ab exequiis Collegium visit regina. Hic quo familiariter suam nostris benevolentiam probaret; in eam se humilitatem summisit, ut tum in ædiculas nostras pauperum, tum in cœnaculum etiam culinamque descenderit; rogaritque humaniter, ex ea jusculum sibi afferri aliquod; quasi jentandi, eademque occasione experiendæ archimagirorum nostratium industriæ causa. Oblatum bona princeps animo accepit grato ac pro nectare, ibidem consistens pedibus, exhausit. Sic epulata apud pauperes, reliquum diem quasi luculentius habitura, jus idem e culina Collegii, et si quid esset præter id, colligi atque in regium suum cœnaculum, suas vero de mensa regia vicissim dapes domum nostram transferri jubet. Nunquam, credebamus, neque apud nos neque apud principes nostros, quam eo die, cœnatum jucundius. Ita Collegium dignati principes, alio inde die professorum nostrorum domum, ædemque divi Casimiri nomine consecrandam, jam hanc prope absolutam, visunt. Inferiores superioresque ædificii partes, gradibus scalisque sublati, curiose perlustrant. Perficiendo et exornando operi plura nummum millia de fisco assignant. Ea tanta benignitate principum non diu Vilnensibus nostris frui licuit.

Domum professorum rex et regina visunt.

35 Suecus in Livonia victus.

Armis Livones vexabat Carolus dux Sudermannus, jamque arces et urbes præcipuas occuparat. Excivit id Sigismundum. Itum obviam. Commissa sæpius prælia. Fractus, totaque Livonia ejectus hostis : manifesto id superum favore; quos pius rex, suorumque dux exercituum Joannes Carolus Chodkiewicz, bonis suis meritis, et populi supplicationibus conciliare studuerint. Observatum est, versos in fugam fuisse eo ipso die hostes, quo ab omni Vilnensi civitate et frequenti populo supplicatum impensius. In ipsis etiam castris perpetua, militibus vicissim succedentibus, per tempus belli fuit comprecatio; ad quam præibant hortatores Socii, castrenses nostri operarii. Nullo illi loco suis defuere officiis. Illi, in ipso etiam præliorum æstu, ex acie media, saucios suis exportare humeris : perculsorum excipere

Sociorum in castris obsequia

confessiones : quidquid salutaris officii in eo rerum articulo exhiberi poterat, 1610
omne id alacritate animi maxima præstare; ut proinde istorum consiliis in
salutis negotio, quasi ducum suorum imperiis in acie, castrenses facile regi se
circumagique sinerent.

Profligato Suetico in Livonia bello, arma rex transtulit in Severiam. Urbem in *Bellum Moscoviticum in Smolenscia.*
ea principem, Smolenscum, nuper Polonis ereptam, Moscovitici ductor exercitus
Michael Borissus Scheinus, triginta præsidii millibus occupatam, annonæ copia
armorumque omni genere communitam, obtinebat. Et est urbs suis etiam ipsa
mœnibus satis firma : muro lato cubitos octo : cincta turritis serie densa propugnaculis.
Arx in clivo montis Riphæi ad Nebrium, sive Borysthenem, sita, illa tempestate
fere inexpugnabilis. Biennium hæc a Polonis tentata, hoc denique anno
cuniculis, a Borysthene ad triginta cubitos actis, subruta, captaque. Intra mœnia *Expugnantur hostes Smolenscia.*
obsidionis tempore ad octoginta mortalium millia vel morbis vel incommodis belli
absumpta. E tanto numero vix octo millia superstitum censa ; quos salvos esse
jussit atque incolumes victoris clementia. Impositum urbi adversus novas hostium
molitiones præsidium. Ut porro conatus suos suasque boni publici curas Superi
adversus gentis catholicæ hostes fortunare vellent, orabat bonus princeps, idque 36
precibus commendabat ; utens in primis patrono, heroe illo divino Societatis Jesu *Divus Ignatius in Beatos relatus.*
parente, Ignatio de Loyola, anni hujus sexto kalendas sextiles a Paulo V rite in
Beatos relato. Hoc deprecatore ac duce, hostes religionis et Lechici nominis sæpius
fracti prostratique. Triginta eorum millia, numero Polonorum sane exiguo, apud 37
Clusinum (1610) pars cæsa, pars cum suo M. Duce Basilio Szuyskio in fugam *Victi Mosci invitant victoris filium ad imperium.*
aversa. Promotis inde armis ad ipsa Moscuæ mœnia, eo dux polonici exercitus
Stanislaus Zolkievskius compulit hostes, ut hi, abrogato magistratu duci suo
Basilio, regium principem Vladislaum, Sigismundi filium, oblato imperio invitarent
per Philaretum Theodorum, Rostoviæ metropolitanum, et Basilium Galliczynum,
legatos. Versute id illi, et ex fide græca, an ex animo facerent, explorari
satis non poterat. Proptera Sigismundo, timenti Danaos dona etiam ferentes, persuadere
difficile erat, ut Vladislaum genti, nuperrime sibi inimicæ, committeret ;
tametsi suam ipsi fidem Polonis jurejurando obstrinxissent. Pacis itaque consilia
inter utramque gentem impedita bellum inde consequens inflammarunt. In expugnata
Smolenscensium urbe aliquot e Societate, anno 1611 collocati, omnes industriæ
nervos contendebant, ut religionis catholicæ, per Photianos Orientales
corruptæ, studium et dignitatem suum in locum restituerent. Intra arcis mœnia
ipsis tantisper et templum erat et domicilium ; mox in jugo omnium, in quibus

1610

38 *Smolensci Sociorum domicilium.*

sita est urbs, editissimo coloniæ Sociorum assignatæ ab Alexandro Corvino Gosievskio, Smolenscensium palatino : templum domusque condita : sexaginta agri jugeribus eidem attributis. Vilnæ incendio, extra mœnia, D. Stephani templum versus, hora ante meridiem octava excitato, pars multo major civitatis potiorque kalendis

39 *Vilnæ incendium.*

quintilibus conflagravit. Communem urbis cladem res pariter nostra, exustis collegii academici et novitiorum domibus, accepit. Eo periculo, jam tectis imminente, domum professorum prohibuit Deus, excusso repente nimbo : rem, ut creditum est, ædis honori suo dedicatæ Divo Casimiro protegente; cujus beneficio regium quoque sacellum suum, ad ædem Divi Stanislai episcopi, cum aliis exustam, pariter conservatum. Consumptis incendio rebus collegii academici, auditores scholastici, theologi Nesvisium, philosophi Pultoviam cum suis dimissi præceptoribus. Tironum domus maturius, quam ipsi sperassent, sex circiter mensium intervallo, reparata ; divina benignitate servulis suis stipem mirabiliter offerente : ut tum accidit, cum rei curatori coquinariæ, paucos nummulos ad macellum ferenti, atque, quid cibi Sociis dato triente emat, sollicito, marsupium aureis nummis grave, loco offendit pervio. Intacta res præconi ; qui dominum ad rem suam per tubam e prætorio advocaret, subjecta; nemine sibi eam vindicante, eidem, cui divino

*Beneficia Constantiæ reginæ et aliorum.*

beneficio in usus oblata fuit, domui restituta. Spectavit dolenter urbis cladem suæ Constantia regina cum privigno suo principe Vladislao : miserata inprimis tironum nostrorum inopiam, annuum e vectigalibus suis reditum certum constituit ; qui ad annum 1631, supremum principis munificæ tempus, constanter pendebatur. Ad sarciendas ejusdem domus ruinas complures alii opes contulere suas : in primis Andreas Bobola, regundorum finium regni præfectus, sive, ut vocant, Succamerarius Nicolaus Wolskius, polonus eques : Stanislaus Wilczopolskius cano-

*Novitiorum rector Becano succedit Bartilius.*

nicus Vilnensis. Convalescentem utcunque domum rector Michael Becanus anno exeunte reliquit gubernandam Laurentio Bartilio, ipse ad officium theologi in aula regia faciendum a Sigismundo vocatus. E Collegio Pultoviensi ingressi mortalitatis iter : Martinus Rohalinensis, tres et triginta annos partim domi,

*Socii peste sublati.*

partim in castris Sigismundi III animorum procurator, verbi divini præco eximius : e Nesvisiensi domicilio Albertus Avianus, vir salutaris lucri per apostolicos labores percupidus : Mathias Galminus, rector nuper Nesvisiensis Collegii, prudentiæ, constantiæ, cum integritate et submissione animi conjunctæ, laudibus ornatus : e domicilio Vilnensi ad Divi Casimiri PP. Georgius Vonderau, gente Prutenus, et Adamus Martianus in Lituania natus. Primus horum, exactis LV ætatis, XXX ipsis in Societate annis, alibi veteranorum rector, tironum Socie-

tatis magister alibi, in omni munere suo vir sanctimoniæ exemplum. Die B. V. 1610
Mariæ honoribus sacro IV nonas februarii, a sacrificio rediens, beneque adhuc valens, quarto se inde extinctum iri die Sociis prædixit : eodem extinctus est, canticum Simeonis, dissolvi cupientis, occinens : Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace. P. Adamus, post publicam in templo comprecationem, in qua ipse totum fere diem perduravit supplex, cum sacram hostiam, populo supplicanti expositam, in sacrarium referret, solutis paralysi nervis, trium horarum spatio, compos interim mentis, riteque ad mortem comparatus, ex numero viventium decidit. Fuit vir summa religione præditus : paupertatis maxime, modestiæ et temperantiæ laudibus insignis.

LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER SEXTUS

(1610-1620.)

1611 1 Victorem Sigismundum celebrant præsentem Vilnenses, absentem Brunsbergenses.

A recepto Smolensco victricia referentem signa Sigismundum regem effusi obviam proceres, gratulabunda in portis suis civitas Vilnensis, nostri denique academici ad erectum a se arcum triumphalem, et disposita ad conspectum recentis gloriæ trophæa, salutarunt. Ob eandem victoriam in Varmia a principe suo et antistite, Simone Rudnickio, indicta supplicatio. Brunsbergæ deductam medio foro pompam ornarunt e gymnasio nostro discipuli arcubus triumphalibus, regiis e stirpe Sigismundi Jagellonica signis, carminibus festis, symphoniaque exquisita celebrarunt. A meridie dramaticum Smolenscanæ expugnationis ab eisdem plaudenti populo editum simulacrum. Inter spolia, hostibus detracta, invectum Vilnam æs molis præcipuæ, fano Rutenorum Smolensci ademptum. Hoc spolium rex divo Casimiro, Jagellonidi suo, ad templum professorum nostrorum Vilnæ, tunc adhuc inter manus architectorum crescens, dedicavit.

Æs campanum grande Rex donat Sociis ad S. Casimiri.

Orsæ coloniam Sociorum suam visit.

Primi Sociorum in provincia reducem a bello principem Orsæ, nuper eam in coloniam missi, domicilii conditorem sui, gratulabundi acceperunt. Rex, ut arcem subiit, extemplo descendit ad Collegii templum; Deo acturus pro victoria gratias, et subinde ædificii sui visurus incrementa. Affectum adhuc erat templi ædificium.

Prosecuta regem tota civitas. Instituta pro victoria et victoris incolumitate supplicatio. Inde Sigismundus, remotis arbitriis, ipso filio suo Vladislao præsente, diu de progressu religionis catholicæ in civitate, erroribus Photianis infecta, diu de rebus Sociorum in ea colonia ex præside domus percontatus; cognito, quam frugifer esset non ipsi modo civitati, sed universæ etiam circum provinciæ, Sociorum labor, templum suppellectili, domum novis auxit redditibus. 1611

Qui pariter Socios sua in urbe collocaret, jam diu exspectabat Plocia, 2
civitas Poloniæ Superioris præcipua. Introducti eo duo e Collegio Pultoviensi sacerdotes, Nicolaus Niszczyc et Sebastianus Romanus; ad ædem beato Michaeli sacram, exeunte septembri, a Martino Szyszkovskio, ejus diœcesis antistite, collocati. Fructibus primum ipsis, quos ex decumis assignarat episcopus, deinde ex attributo prædio Littobroco, denique, cum hæc ipsa carperentur ab invidis et subtraherentur, subsidiis et liberalitate piorum civium se sustentabant. Magnus ad sacras conciones fiebat concursus, major ad familiarem doctrinæ de officiis hominis christiani explanationem. Ad scholam quoque pueri convocati.

Plociæ prima sedes Sociorum.

Aliquot ex hac provincia insignes pietate viros ad vitam beatam mors transtulit. 3
Antecepit virtutis suæ fructum adolescens integerrimus, ad omnia summa natus, generis nobilissimi, Jacobus Mlockius, poeticæ in gymnasio Rigensi magister, annis abhinc octo in Societatem acceptus; modestiæ, castimoniæ, pietatis exemplum; legum religiosarum et consuetudinum observantissimus; ad omnes præsidum suorum nutus erectus semper et alacer, omnium amans in Christo ac reverens, omnium ipse amore et reverentia propter ingenuos mores, et spirantem in his vitæ innocentiam ac sanctimoniam, visus est semper dignus. Memor præsentis ubique Dei, omnia sua exequens honestissime, sic amore inflammabatur divino, ut hujus igniculi e pectore sæpe in vultum, sæpe in suspiria et gemitus, non raro in lacrymas etiam erumperent. Secundum Deum Dei parentem Virginem amabat maxime colebatque; quotidie certa ei quasi tributa pietatis devotione animi præcipua pensitabat. Gratum sibi eum clientis sui animum Beata Mater fuisse confirmavit; maxime oppressum morbo supremo, diebus ante obitum circiter decem, conspectu suo solata; id quod Jacobus, mentis etiam tum compos, lætitia perfusus insolita, sacerdoti, arbitro conscientiæ, viro prudenti ac pio, prodidit. Biduo ante mortem, nocte intempesta, cum lumen in cubiculum ægroti custos inferret, ille quasi experrectus : « omitte, inquit, ista, frater carissime; lumen hoc « meis uti ne officiat spectaculis. Audi tu interim meæ pariter tuæque felicitatis « nuntium. Illustrissimos habuimus ecce nunc hospites : exhilaravit me, dignata

Magistri Mlocki felix obitus Rigæ.

1611 « servulum suum conspectu suo, Virgo Dei parens Domina nostra, nostri amantissima, Maria Beatissima. Et jam ego post heram meam abieram; nisi facta fuisset aliqua supremi temporis mei, Deo ita jubente, prorogatio. Te ego ut haberem comitem, oravi; abnuit Dominus; conservaturus te inter mortales ad annum hinc usque tricesimum; hoc tu confecto vitæ curriculo, ad nos commigrabis. Custos, gaudio simul ac metu perstrictus, dum se proripit; Jacobus, caute tu, inquit, frater: viden illustrem adeo triumphalem illum, in medio currum, currum huc a Beatissima Domina mea mihi auferendo hinc missum? hoc scilicet clientes sui ex ista ærumnarum valle ad beatarum mentium patriam ovantes transportantur. Tum cupide gestire, illud repetens: o videre! o amare! o ire! o sibi perire! o ad Deum pervenire! Postridie quærenti Socio, an, quæ vidisset nocte superiore, meminisset: enim vero, ait, memini, sane mente etiam tum animoque fui tranquillo. Te quoque, frater mi, bene comparatum offendat ut mors, mature provide; tempore prædicto moriturus. » Non diu post, suspirans, et quemadmodum « vultu læto gestuque indicavit, ad conspectum Beatæ Dominæ suæ evolans, illam thensam suam conscendit XIV kalendas apriles (1), octennio in Societate exacto. Eodem mense ac die, in Collegio Pultoviensium repentina morte interiit P. Georgius Skarzynskius, nobilis Polonus, Lomsam Pultovia Joanni Chociszevskio, Varsaviensi canonico, præposito Lomsensi, ad instituendam præceptionibus christianis paganam plebem et civicam, a præposito provinciali Paulo Boksza an. 1609 cum Socio P. Jacobo Lachovskio missus. Tantam hic sibi et Sociis civium benevolentiam sanctimonia vitæ, doctrina et navitate conciliavit, ut plerique cum suo præposito canonico, in primis Nicodemus Kossakovskius et sua conjux Juliana de familia Voloviciorum matrona, præfecti Lomsenses, Patres e Societate plures desiderarent vehementer; diligenter itaque de collocando Sociis domicilio consultarent.

4 Lomsæ prima statio Sociorum.

P. Georgius interim, revocatus Pultoviam, dum sibi Lomsenses præstolantur, ad lectum moribundi civis, quem ad obitum curabat felicem, repentino capitis dolore præstrictus, ibidem emoritur.

5 Brunsbergæ G. Oben.

E numero Brunsbergensium sub idem tempus defluxit religiosissimus vir, domesticorum adjutor operum, Gulielmus Oben, gente Geldrius, e civitate Neomagensi, annos natus circiter octoginta; ex his septem et quadraginta religiose in Societate exegit. Fuit submissione animi præcipua, studioque orationis commendabili. Cupidus meritorum bonorum, quoad valeret viribus, laboribus se exercebat; quid-

(1) Ita habet historia Collegii Rigensis scripta contra quam in aliis scriptis de supremo suæ vitæ die legimus.

quid superesset otii, totum in rerum meditatione divinarum aut sacri recitatione 1611
rosarii, abditus, in sacello maxime divi Georgii, conterebat. Vacanti ita in latebra seni desidiam nescio quis, serio an per jocum, objecit; ille cavillantem, et usque lacessentem, deprecatus: cessare, inquit, equidem vobis, mi frater, videor, cum oro; at experiemini, opinor, quanti sit meum istud otium momenti, ubi inter vos et precari Deum et vivere desiero: neque enim ille omnino tibi, oportet, cesset, qui œconomicam domus rem, quando ipse quidem procurare per valetudinem nequit, Deo auctori bonorum omnium precibus, quibus ipsis mereri reliquum est, commendet. Prædixisse his verbis, quod consecutum est, visus bonus senex: quoad hic vixit, Collegii familiaris res omnis, media etiam inter pericula, salva fuit adhuc et incolumis; ipso extincto, paucis post diebus, tota pene res pecuaria lue repentina intercidit, pluraque alia damna consecuta sunt. In convictu comis admodum fuit ac facilis: præsidum reverens: æqualium observans: religiosi instituti cultor diligens: Dei unice amans; id quod illis etiam verbis: *dilectus Jesus*, suspirans crebro, et factis totaque vita profitebatur. Ad supremum vitæ diem multo ante sic se comparabat, ut nihil possis agere diligentius. Itaque obiit feliciter, verno tempore, primo reviviscentis quot annis in sua Ecclesia Salvatoris die, annos natus prope octoginta. Inde tertio die ex inclyto Vilnensium canonicorum collegio ad præmia migravit æterna Stanislaus Vilczopolskius, amantissimus Societatis Jesu antistes, relictis insignibus beneficentiæ monumentis academico Vilnensium collegio (1). Vilczopolski moritur.

Plocia, vetus Superioris Poloniæ oppidum ac nobile, aliquot Socios superiore 6
accepit anno; quo annis ante hac quadraginta Plocensium episcopus, Collegii Pultoviensis conditor, Societatem studiose destinaret. Eo in oppido, deserta diu, sacra divo Michaeli æde Sociis attributa, simul atque tres nostri sacerdotes concionari et sacramenta administrare exorsi sunt, aræque et parietes eleganter convestiri cœperunt, tantam populi frequentiam laudis ejus concivit novitas, ut, aliis alios præcurrentibus, multi sæpe ante limina, exclusi angustiis, hærere cogerentur. Jam domicilium collegio moliebatur animo antistes Plocensis, Martinus Szyszkovskius; atque hoc ipso anno movisset aliquid, si prima, quam 1606 susceperat, Luceoriæ absolvendi cura collegii e Sociis provinciæ Polonicæ sibi decessisset. Plocensis Collegii exordia.

Cracoviæ magnum religionis in Polonia columen cum Petro Skarga visum cecidisse. Ortus ille in Masovia genere nobili: matre Anna e gente Svientkovscia, patre Michaele, jam vulgo Skarga dicto. Id nominis posteris reliquit suis nobilis 7 Petri Skarga vita et obitus.

(1) Desideratur hoc loco historia collegii Vendensis de suis initiis. [Sed vide quæ inferius traduntur, ad annum 1614.]

1612 vir Joannes Povenskius, ab Janussio principe Masoviæ Skarga per jocum, deinde ab aliis communiter hoc nomine, quod Polonis querimoniam significat, vocitatus: quod apud principem de illatis hinc illinc sibi injuriis crebro quereretur. Petrus, demortuis parentibus, ex oppido patrio Grodziec, ubi se privatim in arte litteraria exercuerat, anno ætatis decimo octavo jam inito, Cracoviam litterarum severiorum causa se contulit. Biennio post, academica ornatus laurea, gymnasium rexit Varsaviæ. Amavit doctrinam Petri et mores præter alios archiepiscopus Leopoliensium Paulus Tarlo. Hic juvenem, præ divinis quidem profana fastidientem omnia, at sacerdotio non dum maturum per ætatem, ut, eo legis ecclesiasticæ exsolutus nexu, initiaretur sacris, curavit; mox Rohatinensem præpositum, deinde Leopolitanum canonicum creavit. Sed Petrus ad lucra animorum salutaria attentior (quod se et naturæ præsidiis et doctrinæ ad dicendum docendumque populum sentiret bene paratum) quo fiat ad munus concionatoris expeditior, Rohatinensi sacerdotio se abdicat; inde ad concionandum majori opera se dedere: novorum satores dogmatum hæreticos dictis scriptisque persequi: adversus hostes religionis armare catholicos: suis ipse ad pietatem exemplis præire omnibus: divinam rem in templis curare diligenter: inclusos in custodias visere: in ptochotrophiis pene habitare. Ita ille Societati parabatur. Sustinere diu haud potuit ea hominis studia ater genius; instigabat in caput viri invidos primum improbosque; fraudibus deinde frustra periclitatus constantiam, per se ipse Petrum aggredi: perturbare miris dolis spectrisque animum; interdum trifaucem mentitus pamphagum, diducto rictu, solitarium, aut quiescentem noctu, maxime Deo supplicantem, territare, et nescio quid velle extorquere. Triennium prope graves hostis teterrimi assultus fortis sustinuit: tantumque abfuit, ut de suo pietatis studio quidquam remitteret, ut animum in officia sibi proposita magis etiam intenderet. Quin quo ægrius etiam hosti suo faceret, arctiusque fidem suam Deo obstringeret, ut cooptaretur in Societatem, cujus institutum jam olim adamasset, præpositum Societati generalem oravit; exemplo etiam Simonis Wysockii, familiaris sibi viri, excitatus.

*Simonis Wysocki vocatio.*

Tranquillioris vitæ cupidus Simon, diu cum animo suo disputaverat, incertus, quæ potius in ista Ordinum religiosorum varietate ratio vitæ sibi esset diligenda; ea propter secum sui animi consilia ad Petrum confert. Ille divinum precatus numen, nullum sibi, ait, videri magis appositum ad ingenium Simonis et mores vitæ genus, quam sit Societatis Jesu institutio; jam illius in regno etiam Poloniæ gloria doctrinæ, sanctimoniæ, rerumque gestarum efflorescentis pulchre; ad hunc Ordinem animum consultor adverteret. Suo se dicto Petrus commonuisse sibi

visus; ea homini continuo injecta cogitatio: quin tu idem ipse tuum suscipis consilium? te quoque vult Deus in eodem versari curriculo. Percussit arcana Dei vox animum hominis, eoque perpulit, ut Christum, vitæ ducem, in Societate sibi addicta sequi decreverit, ac redeunti postridie Simoni se socium comitemque Romam ad collegium tironum Societatis animo incenso obtulerit. Rebus domesticis, quanta poterat, festinatione dispositis, Leopoli pariter se dant in viam. 1612

Vanum omen periculi contemnitur.

Hic animos salutantium amicorum ad religionem advertit casus: simul Petrus conscendit equum, firmum illum et cuivis oneri parem, simul sternitur bellua, pedemque frangit, idque ab amicis in magni terroris omen accipitur. Ipse Petrus, imperturbata mente, hostis sui interpretatus insidias, mutat in vestigio jumentum, plenusque animi iter propositum ingreditur. Ibant uterque læti, intentique in occasionem omnem meriti salutaris; qualis oblata est, cum ex itinere ad Joannem Christophorum comitem Tarnovium, castellanum Voinicensem, invitatu uxoris Sophiæ, e gente Odrovonssiorum inclyta matronæ catholicæ, divertissent. Acceptus humaniter Petrus, castellanum ab hæreticis seductum, in viam salutis consiliis revocat, itaque confirmat, ut post aliquot etiam annos in supremo morbo comes suæ hunc ipsum procuratorem salutis ad se invitandum curaverit; accepti ille per hominem divini memor beneficii. Pari successu consilii Nicolaum Mieleckium, Podoliæ palatinum, civilis quidem prudentiæ et æquitatis laude clarum, sed hæresis suæ existimatorem pertinacem, ex eodem itinere adortus. Fastosum principio offendit palatinum et intractabilem; fœmineis maxime uxoris perturbatum fraudibus; quæ nunc catholicæ calvinianam, nunc arianam calvinisticæ, mox utrique judaicam, deinde huic etiam aliam nescio quam sectam muliebri levitate disputatrix vana præferebat. Difficilis fuit cum ingenio adeo mobili controversia; victam se utique sensit argumentis luce clarioribus pertinacia, neque dolorem suum dissimulavit superbia. Ultum ambo eunt jam pro sua quasi contumelia victorem sacerdotem: mittunt famulos, qui abeuntem de ponte proximo in flumen spargant. Dissimulantium prudentia factum, ut ne heros imperii sui pœniteret; sed oborta mentibus luce, plenis officiorum litteris Petrum ad se revocarent; damnataque sua contumacia, religionem catholicam profiterentur ambo. Hoc suo refectus viatico Petrus, cœptum iter hilaris conficit, Romamque anno 1568 cum suo comite Simone subit incolumis, aliquot mensibus a felici in cœlum transitu Stanislai Kostka. Cujus adventus sui in vita ejusdem Beati mentionem ita facit: « Hos ego, « inquit, omnes (posteaquam Stanislai in tirocinio collegas numerasset) super- « stites reperi; et felici, in eadem vitæ religiosæ schola, fruitus sum consortio:

In itinere Petrus viros principes visit, et revocat ad Ecclesiam.

1612 « cum me Dominus Deus indignum, post menses aliquot ab exitu Beati Kostka, « ad eos anno salutis 1569 appulisset. » In quo divina benignitas, inquit historiarum Societatis scriptor Juvencius, consulere Poloniæ visa est, dum in locum recepti cœlo adolescentis maturum gerendis rebus virum terris dedit; ut alter potenti patrocinio, alter labore utili ornaret patriam et juvaret. Quinque fere menses in visendis beatorum martyrum sepulchris exegit; tardante quam ob rem nescio Præposito generali Francisco Borgia hominem accipere. Acceptus anni 1569 quarto nonas februàrias, die Beatæ Virgini Mariæ sacro. Biennio tirocinii exacto, postea quam inter Socios apostolico pœnitentiæ foro ad Beati Petri impositos, aliquandiu navasset operam, multo jam a theologia etiam instructior, patriam repetiit.

*Romæ instituitur.*

*Redit in patriam.*

Primum sibi concionatoris officium assignatum Pultoviæ. Sexto deinde ab inita Societate anno, quatuor vota professus, verbum Dei prædicabat Livonibus; modo Stephanum regem consectans, modo cardinalem Georgium Radivillum. Bene consuluit genti, jam diu per hæreticos corruptæ, religiosissimorum principum usus animis. Ipso consilii faciente copiam, magistris religionis sinceræ et morum collegia et seminaria condita: Rigæ, Derpati, nuperque in Russia Polociæ. Vilnæ Collegium, titulo Academiæ et Universitatis auctum, rector primus an. 1580 tum Polocense, alia alias gubernavit. Aliquot sodalitates pias instituit; duas in primis utiles: alteram Vilnæ ad templum divi Joannis; Varsaviæ alteram, dictam S. Lazari, colligendis egenis piorumque sodalium charitate sustentandis. Ad fundandam domum professorum Cracoviæ, et alteram ibidem novitiorum Societatis stabiliendam, industria sua et navitas multum contulit. Accitus a Sigismundi III ad aulam, et theologus in illa per salutaria principibus consilia et publicus per conciones religionis, vitæ et morum regi, proceribus, populo magister, tanta munus suum cum laude præstitit, ut dicta sua vulgo essent pro divinis effatis, mores sui pro exemplis (1).

*Concionatur Pultoviæ.*

*Livoniam excolit.*

*Vilnæ primus Academiam regit.*

*Sodalitia instituit.*

8

*Laus concionum.*

Admirantur omnes in concionibus Petri scriptis etiam lucem quandam præcipuam, tractandorum artificium animorum, partium orationis distributionem, argumentorum nervos, succi plenos ac roboris; in singulis, altera parte fulgurat Petrus adversus religionis hostes catholicæ, oppositasque dissipat machinas: altera contra eosdem populum catholicum armat, et salutaribus instruit consiliis. Omni festo die in hac provincia leguntur super mensam per agnosten Petri conciones, neque tamen ulli adhuc, toties repetitæ, satietatem attulere: adeo in

(1) Domiciliorum condendorum auctor.

illis jucunditas cum utilitate multiplex est ac varia. Complures tibi numerem, qui 1612
hac etiam ætate nostra, lectis Petri concionibus, pars a pravitate animi ad assensum boni consilii, pars a turbis hæreticorum ad tranquillitatem et Romanæ Ecclesiæ auctoritatem traducti sint. Collectas in unum justum volumen dedicavit principi suo Sigismundo, qua in oratione sui rationes officii sic refert : « Defunctus « jam munere meo, Rex serenissime, Domine mi clementissime, post duos et « triginta annos concionalis mei opificii, hoc modico laboris mei in perscribenda « doctrina, quam nomine Christi disserebam, absolvo reliquum vitæ diesque istos « paucos et malos peregrinationis meæ. Delassatus, et quemadmodum Samuel « propheta de se ait, senectute confectus atque incanus, brevi deficiam. Tempus « est quiescendi. Exspectat me cellula in domicilio pauperum Patrum meorum ; « cujus fores brevi hospes ille, cum sua familia, morbis scilicet vitiisque ægræ « valetudinis, pulsabit. Faxit Deus, fidenti animo ad nomen ut respondeam, foresque aperiam, et alacri promptoque ore dicam : salve hospes, exspectatus ades, « diu te præstolabar, pertæsus vitam hanc atque hujus ærumnas. Ædicula hæc « ruinosa, quam disturbabis, convertetur mihi in domum æternam, non manu « factam. Migranti quidem animo fores ad requiem aperies : corpore vero tibi « derelicto non perdiu ad voluptatem tuam pasceris. Deus ita in eo articulo ani- « mum meum, et cujusque christiani hominis confirmet inflammetque. Id hodie « jam mecum reputo, qui redditurus sim rationem Christo Domino meo et Deo « meo ; qui me conduxit operarium, et misit in vineam suam : qui sua mihi talenta « ad lucrum tradidit commisitque. Is ubi quæsierit : ecquid adhuc egisti homo ? « nunquidnam mihi compendii in opere tuo ? hic ego quid proferam ? quo indu- « striam exactori meam approbabo ? Adductus in verecundiam perculsusque dicam : « Domine, misisti me in negotium ad aulam regiam, ad Sigismundum III, duo- « rum amplissimorum regnorum principem, ad familiam et senatum et ordinem « equestrem et servos cæterosque sibi obnoxios. Docebam, monebamque Dominum « meum, Christum tuum (cujus plurimum intererat) tuo jussu tuoque nomine divino, « ut te noscat Deum suum ; qui hunc extuleris, regemque tot tantarum tam am- « plarum gentium creaveris, eique tot provincias, et innumerabiles populos, tuo « redemptos sanguine, subjeceris ; ut sapientiam a te rogitare, et suo ipse dili- « genti comparare studio, sui moderatricem imperii, sciat ; ut reverentia tuæ « Majestatis animos suós contineat, omnemque amet pietatem : ut dominationem « tuam et gloriam amplificet, sanctuaria tua religionesque sarta tectaque præstet, « ex legibus tuis imperitet, justitiam et disciplinam tueatur, cives suos amet,

Harum dedicatio.

Exspectat mortem

Rationes muneris sui secum init.

Quid docuerit Reges.

1612 « æquumque se illis exhibeat : ut se in tuenda et conservanda Republica nullius « industriæ et laboris pigeat : ut piis et sapientibus auscultet, assentatores « aversetur, desidiam et voluptates defugiat, ecclesiasticos et profanos rei com- « munis administros creet probos ubique et pios, aliasque secundum legem tuam « et voluntatem divinam vias persequatur. Ita polliceor nomine tuo, Jesu Christe, « potentem manum tuam huic, foreque, ut omnia quæcunque sit facturus, prospere

Quid proceres monuerit.

« eveniant. Ad senatum item ordinemque equestrem, ad suam familiam et famu- « los, in comitiis et conventibus, servator Domine, obii perfecique legationes « tuas. Hortabar, ut suam parentem utramque, Ecclesiam scilicet et patriam, « uno secum vinculo conjunctas, constanter efflictimque ament : ut ne eas ab se « per hæreses divellant : ne discordias inducant, quibus utraque intereat : ut « consilia consocient salutaria, ipso sibi bono Reipublicæ proposito ; hujus causa, « ubi res postulaverit, omnis privati commodi jacturam facere parati : ut princi- « pes suos, suorum exemplo majorum, colant fideliter, illis obtemperent, de « ipsorum contumelia irascantur, neque ipsis obmurmurent : ut vicissim gra- « tificentur sibi, secumque consentiant : ne sua abutantur libertate, itaque « dispereant, discordiisque in servitutem adducantur. Vociferabar, Domine, cla- « moribusque meis omnes flagitabam, ut castigandis homicidiis, perfidiæ, adulte- « riis, incestis, fœnoribus, rapinis, incursionibus, cæterisque criminibus æquiores « condant leges, promptiorque justitia habeatur ; itaque pollutam et sanguine « et injuriis templorum ac pauperum, et subjectorum oppressione, terram suam « expient : ut superbiam, luxum, nepotatum, profusionem sumptuum in vina, in « lanam bombycinam voluptatesque omittant ; sed opes in præsidia Reipublicæ, « in egentes et templa impendant. Minabar his, jussu tuo, iram tuæ justitiæ, « interitum et gladium hostilem, vastitatem regni sui ad alienigenas transferendi. « Ostentabam impendentes cervicibus acinaces barbaricos ; qui tot jam vicinarum « gentium capita florentesque nuper opes demessuerint ; ut severitatis tuæ « moniti resipiscerent, et, qui majores culpas contraxissent, cogitarent prudentes, « quibus demum piaculis divinam tuam propitiarent justitiam. Ecquid agerem « amplius, mi Domine ? fideliter atque ex animo pœnitentiam, emendationem « morum, salutem eorum procurabam : tu nosti. Libenter in id etiam nunc vitam « meam impendero, modo bono patriæ publico consulatur. Amabam gloriam « tuam et lucra tua ; verebarque, ne labor et pretiosus sanguis tuus profun- « deretur in gentem hanc frustra. Qui fiat, ut oleum perdam et operam, nescio. « Rari admodum ad frugem se recipiunt : durus malignusque ager vetulum

« bovem, perpetuo labore proficientem nihil, delassavit. Callidi pisces ac « lubrici evitant retia tua, seque capi non sinunt. Querar hic oportet cum « Michea Propheta etc. » 1612

Queritur labores suos malitia aliorum fuisse steriles.

Alterum volumen, idque grandius, concionum extraordinariarum Petro Tylickio, Cracoviensium episcopo, Severiensium duci, inscripsit. Illud quoque doctrinæ et sanctimoniæ et studii præclarum monumentum. Nunquam ille non bene meditatam orationem, aut non multis precibus Deo commendatam, ad concionem attulit. Itaque nullam fere habuit, ex qua non aliquem insignem fructum laboris perceperit (1). Quantum a concionatorio munere et apostolicis laboribus aliis otii supererat, scriptioni librorum perutili dabat. Duo latina, alterum de Sacramento Eucharistico, de imposturis Calvinistarum alterum, viginti amplius patria lingua præclara in lucem emisit opera, firma adversus fraudes hæreticas catholicis præsidia. Quibus expugnandis quia principes hæreticorum cum suis ministris essent impares, undeunde corripi poterant, in rogos 9
conferebant. Cum Arianis, Lutheranis, Sacramentariis, Calvinistis, cum impiis mortalibus perpetua illi pro religione et pietate dimicatio. Quid egerit ac sustinuerit præterea, aliqua jam narravimus, plura alibi legas. Ex ipsa denique concionum suarum nuncupatione, hic recitata, intelligis, qui fuerit hic, quam studiosus divinæ gloriæ, quam integer cultor veritatis. Multis præclare, duos supra triginta annos in munere concionatoris, atque alias gestis; quando jam ætas grandior laboribus erat impar; missionem denique, ægre quidem illam, recusante diu rege, obtinuit. Hac impetrata, ipso Paschatis die, multam regi, senatui, et populo salutem, non sine lacrymis et gemitu auditorum, dixit Varsaviæ. Ea expeditus cura, lætitiis senex incedens omnibus, Cracoviam ad beata religiosæ solitudinis otia festinavit; prudens videlicet sciensque, supremum jam tempus vitæ appetere : quod sibi suus olim collega charissimus Stanislaus Varszewickius, annis abhinc decem prænuntiasset (2). Hic ille, sibi restitutus, subducere, quod ait Cato, sursum animam : vitæ suæ rationes a se ipse reposcere, et ad veritatem revocare : hic ad mortis nuntium arrectus vigilare. Vetus illi consuetudo erat, contentionem animi, quam in suis adhiberet operibus, interposito manuali labore aliquo temperare. Ille nunc Sociis lucernas, atramentum, librarias fibulas, scriptorias thecas parare : quin linteola etiam et indusia consuere. Paucis ante obitum diebus album suis ipse manibus conflavit cereum, beatæque Virgini, suo clientis, hoc anno morituri, nomine, Czenstochoviæ ad imaginem Divæ, miris

Cum hæreticis pro religione pugnat.

Ad mortem se præparat.

Ejus humilitas.

(1) Libros hujus auctoris vide in elencho nostro Scriptorum. — (2) Vid. Lib. IV, num. 2.

1612

Cum suo cereo sacro pariter consumitur.

inclytam beneficiis, obtulit munusculum. Animadversum est, simul facem suam igne, simul Petrum febricula consumptum esse, V kalendas octobres, anno ætatis 77$^{mo}$, vitæ in Societate transactæ 44$^{to}$ (1). Elatus magno civium, academicorum, procerum et religiosorum Ordinum concursu ad funus. Certatum inter principes viros, qui feretrum subirent primi. Merita demortui oratione luculenta celebravit inclytus e sacra divi Dominici familia concionator Fabianus Birkowskius, ab illis Ecclesiastici verbis orsus : *surrexit Elias, et verbum illius quasi facula ardebat.* Orationis veritatem secunda concionis admurmuratio et universæ gentis consensus comprobarunt. Sepulto monumentum jussu principum impositum, effigiesque Petri in æs incisa. Cives Sendomiræ, apud quos Petrus postremum erat concionatus, exequias consursu et apparatu magno celebrarunt. In his, civitatis antistes, religiosissimus doctissimusque vir, Gaspar Cichockius e suggesto publica oratione Petrum collaudavit. Vilnæ item in templo academico, primo huic academiæ illius rectori bene merito, præstatum pietatis officium.

10

Brunsbergæ Rector Stadfeld. victima charitatis.

Brunsbergenses paulo ante, suo et ipsi rectori Nicolao Stadfeldio parentarunt. Funus illis tanto fuit acerbius, quanto mors visa matura nimis; vixdum enim annos vitæ 42, ex his in Societate 15, exegerat : vir, cujus exspectatio ab ipso tirocinio fuit magna. Natus in ora Trevirensi,patria Pruniensis. Coloniæ Agrippinæ cum adolescens versaretur, certissimum sibi injectum mortis periculum. Consilio nescio quo an casu, articulo temporis uno, decem hastæ intortæ in juvenem ; sed omnes sic cecidere, ut aliquæ exceptæ sint sine vulnere, aliquæ vix summam cuticulam perstrinxerint. Conservatæ ita salutis beneficio monitum se a Deo sensit, ut se ei in Societate dicaret. Atque id egit postera statim luce. Acceptus, missusque in provinciam Lituanicam, Colonia Vilnam usque totum iter pedibus emensus est. Propositam sibi vitæ rationem a tirocinio tenuit diligenter. Brunsbergensi præfectus Collegio, misere illi morbis afflicto, oravit Deum, ut, si quidem aliqua vellet placari victima, suum caput pro Collegii salute devotum haberet. Jam erat tota unum valetudinarium domus, cum insperantibus reddi statim salus aliis post alios. Ipse rector tentari morbo, urgeri, denique opprimi. Grata fuit homini ea voluntatis divinæ commutatio ; idque suo gaudio in febrili æstu et acerbitate doloris prodebatur. Jucundum fuit præsentibus observare, quo ille tum esset habitu, quibusque se et condolentes modis solaretur ; maxime cum febrim, divinam

Vocationis gratia difficultates superatæ.

Charitatis victima.

(1) P. Petro apparuisse post mortem hæreticum quendam virum prænobilem, propter suam contumaciam damnatum, scribit Joannes Leo in Historia Prussiæ. Lib. VIII, pag. 467.

patientiæ suæ magistram, clementem delictorum ultricem suorum, immortalitatis praenuntiam, appellaret; eamque per loca beatorum Martyrum quasi circumduceret, Deoque offerret. Ita peregrinatus, præmissis omnibus, quæ ad felicem exitum facerent, intercidit victima charitatis. Qui aliquando ante Patrem Nicolaum Brunsbergense rexit Collegium, eodem anno Gedani occubuit, confectus laboribus, Joannes Huberus, natione germanus, patria Franco Herbipolensis, in provincia Lituana theologiam professus triennium, subinde Brunsbergæ præses seminarii scholastici, theologus et concionator eximius, insectator hæreticorum victoriis inclytus. Reliquit memoriam sui in libris a se editis, et scriptis aliis, luce pariter dignis. 1613

11 P. Huberus Gedani.

Status aliquot in hac provincia Collegiorum anno 1613 et superiore fuit oppido miser. Fame dira enectum fuisset cum civitate Collegium Smolenscanum, Moschis urbem obsidentibus, nisi regii prætor exercitus, eruptione per medios hostium cuneos facta, dejectis barbarorum munitionibus, re frumentaria laborantibus annonæ copiam intulisset. Orsæ, per absentiam ducis, in factiones duas discesserat exercitus; et jam coorti ad pugnam tubarum tympanorumque sonitu animos irasque acuebant. Exciti tumultu accurrunt Socii: in medias irrumpunt acies: dereptis tubis et tympanis, commonitis partium ducibus gratiam reconciliant. Constabat exercitus e copiis catholicis hæreticisque promiscue. Æque studium sociorum et opera partibus grata fuit: ut propterea omnium centuriarum suffragiis e Collegio rogarentur, qui disciplinæ christianæ suis in castris magistri præessent. Pultoviæ tota Collegii res continenti urbis incendio conflagravit. Derpati in præteritarum bustis cladium, ferme adhuc fumantibus, ægre septem de toto Collegio sociis inopiam aliaque incommoda sustinentibus in summa annonæ gravitate ac fame; hæretici alia ex aliis facessebant negotia. Rigæ in procuranda civium salute conatus Sociorum orcus hæreticus fraudibus infringebat. Quantum hic ad perdendam civitatem laboraret, manifestum erat. Magicorum in ea maleficiorum comperti cives quinque, iique lutherani. De nocturnis suis conventibus per tortorem quæsiti, multa nefanda prodiderunt: et locum quidem consiliorum suorum ac scelerum habuisse in fano, olim Beatæ Virgini ritibus catholicis sacro, hodie impietate hæretica exaugurato. « Hic regium (narrabant) solium sublimis « insidens, specie humana, corona circumfusus frequenti, princeps hujus mundi « sævum in devota sibi diro sacramento capita exercebat imperium, tributi loco « ab unoquoque exigebat: quot quam diras pestes familiis, pecoribus, satis, for- « tunis attulissent. Singulis sua facinora gloriose percensentibus, quasi omnes

12 Smolensci Collegium fame prope interit.

13 Orsæ militares turbæ sedantur.

14 Pultoviæ incendium.

15 Derpatensis collegii angustiæ. Dæmonis maleficia Rigæ.

1613 « adhuc egissent nihil, itaque ipsi mortalium essent ignavissimi, acerbe tyrannus « querebatur; maxime quod leviorem suis civibus, quam pro ejus odio, calami- « tatem intulissent. Mala porro si exaggerare accuratius deinceps perrexerint, « pollicebatur voluptates infinitis partibus majores illis, quas pro suis, maximis « etiam, meritis sperarent christiani. » Interrogati, cur non in catholicorum templis suos facerent conventus, responderunt (1): prohiberi se ingressu virtute hostiæ divinæ, respectu ossium quæ pro sacris haberent catholici, atque hinc horrore quodam sacro. Quarum rerum nihil esse in lutheranicis, aliisque religionum consimilium fanis; quare non arceri se illis, quin ad ea invitari etiam quibus nescio illecebris. Ista suorum gregalium confessio lutheranicis maxime hominibus prædicandæ sectæ attulit verecundiam. Mense hujus anni decembri, Carolus Caroli, Suecorum ducis, filius, annos septem in Polonia captivus adhuc, ac demum redux, Rigam venit. Collegium ille in primis nostrum visit, suique obsidem capitis P. Andream Leomannum, ante septem annos Dorpatensis Rectorem Collegii, visitatori provinciæ Lituanicæ, Joanni Argento, lætus ipse libertate sua, restituit.

Carolus Suecus princeps captus a Polonis dimittitur.

16 Leomannus Sociis restituitur.

Excepit utrumque in libertatem assertum gratulatio; hæc non perinde grata fuit P. Andreæ: cui scilicet, vitæ in ea causa profundendæ cupido, illa vincula Suetica, quibus collum, manus, pedesque attrivisset; ille squalor carcerum, ærumnæ, tormenta, quibus ad hæreticorum sectam frustra cogeretur, libertate ipsaque usura lucis jucundiora Deum amanti fuerint. Raptus fuit P. Andreas de statione Vendensi, et in Sueciam abductus anno abhinc septimo. Restitutus provinciæ, Riga translatus est Polociam. Consuetudinem ille jam ærumnarum nactus, quando quidem, qui se vexaret, erat nemo, se ipse afflictabat. Memor, se tamdiu in nuda cubasse humo, induci non poterat, ut ad quietem torum admitteret molliorem. Par erat victus ratio. Præter herbas et frigidam nihil omnino cibi potusque capiebat. Pestilens fuit Polocensibus annus 1620: uno omnes morbi genere Socii viginti numero afflicti pariter decumbebant. Ipse Leomannus inter fractos integer, idem bene doctus duriora etiam pati, omnibus magna cum diligentia ministrabat. P. Augustinum Vivaldum visitatorem provinciæ secutus, morbo oppressus in itinere prope Orsam quinto idus septembres, anno 1620, ætatis suæ quinto supra quinquagesimum: multa, religionis et charitatis causa, cum in hostico tum in patria expertus heros. Sepultus Orsæ. Egit in Societate annis 39. E collegio Brunsbergensi demigravit anni ejusdem mense aprili P. Robertus Abircrombius, an, ut hunc Brunsbergenses in annuis suis nominant, Abocrombii, gente Scotus, a

(1) Arcetur a templo dæmon virtute sacræ hostiæ et SS. Reliquarum.

1613 17

P. Jacobo Lainez Tridento, sub celebre illud Concilium, Romam ad collegium novitiorum missus, dignum ejus temporis magistrorum in religiosa disciplina discipulum se præstitit. Prima colonia in Lituaniam deducta, sedes et ipsi obtigit prima Brunsbergæ; tres hic et viginti annos industriam suam et fidem, decennium minister Collegii, tredecim annos magister novitiorum, approbavit. Inde Cracoviæ tirocinio formandorum ex instituto Sociorum eo studio et commendatione dedit initia, ut eorum disciplinam civitas etiam suspiceret laudaretque, deinde provincia gerendis suis muneribus experiretur perutilem. Unde vinginti annos postea versatus in Scotia, salutis negotiator civicæ, dici vix potest, quot incommoda, quam multa dura, quanta patientia pertulerit.

P. Abircrombii obitus.

Ejus officia.

Pluribus suis popularibus ad Ecclesiam pertractis, in regiam aulam penetravit; reginamque, Danico ortam genere, lutheranicisque implicitam eroribus, ut se Deo per sinceram religionem restitueret, inque fide ad supremum usque vitæ suæ diem permaneret, induxit. Prodita sunt regi Roberti studia : dissimulavit princeps, neque aula sua indignius quidpiam statuit, quam ut vocitaretur regalis præfectus aucupii. Ille, ne regius tantum nuncuparetur auceps, greges etiam, errabundos scilicet post Lutherum cives suos, venabatur. Ea propagandæ in Scotia religionis facultas odia hæreticorum inflammavit : conqueri illi apud regem ; et quia catholicorum faveret partibus, moliri pestem principi, idque non obscure minitari. Damnatur Robertus capite; æstimato nummum decies mille, numerandorum illi, qui reum ante tribunal suum destituisset. Noster interim, Deo fretus et suæ bonitate causæ, nihilo tamen secius sua persequi ; quam boni tenax propositi, tam prudens ac vigilans ad omnia. Sed cautum etiam, prope fuit ut opprimeret insidiantium malitia, maxime cum apud suum hospitem catholicum suos ad fidem tenendam et vitæ officia christianæ hortaretur. Tum in obsessa ab hæreticis domo furiose quæsitus, ad forum et pœnas decretas tractus fuisset in vinculis; nisi famulum suum Deus quo nescio modo protexisset. Novem ita decemque annos in perpetuis versatus est periculis. Laboribus denique fractum, et jam octogenarium, Brunsberga in suum recepit Collegium.

In Scotia civium salutem curat.

Reginam revocat ad Ecclesiam.

Auceps dictus animarum.

Hæreticorum invidiam sustinet.

Periclitatur capite.

Excitat pariter ad sui memoriam posteros P. Stanislaus Grodzickius. Honesta is et ampla familia editus in Posnaniensi provincia. Multa egit præclara in Lituania ; multos qua dictis qua scriptis hæreticos ad Ecclesiam revocavit : quapropter vulgo appellabatur apostolus Lituaniæ. Juvenis, post datam philosophiæ operam in patria, Romam profectus est, animo ad studia theologica converso. Jam theologiæ curriculum in gymnasio Societatis prope confecerat, cum popularis suus et

1614 18 P. Grodzicki vulgo apostolus Lituaniæ extinctus Posnaniæ. Patientia ignominiæ.

cognominis Stanislaus Kostka inter mortales esse desiit; hujus ipse funus officiose pieque prosecutus, serio secum de statu vitæ consilium iniit. Subductis denique rationibus, animum ad Societatem appulit, jam theologici doctoris insignis laurea. Ingressus tirocinium pridie kalendas apriles anni 1571, ætatis suæ 29, ei palestræ imitandam dedit operam; omnibus propterea carus Sociis, in primis Claudio Aquaviva.

Restitutus patriæ, in collegio Vilnensium academico multa cum hæreticis tum concionator tum deinde theologiæ magister fecit certamina; in quibus doctrina catholica et veritas de adversariorum errore et pertinacia semper triumphavit. Sacrificabat quotidie, incenso semper animo, horamque a sacrificio totam durabat in agendis Deo gratiis. Ad omne officii munus egregie instructus, atque adeo natus, propter suum studium humilitatis, cogendus erat ad suscipiendas præfecturas; itaque compulsus, Pultoviæ in Lituanica, Jaroslaviæ, Posnaniæ, Cracoviæ in Polonica, provinciis, annos 18 rector præfuit collegiis. Injurias et contumelias, divinæ maxime gloriæ causa, appetebat ardenter, sustinebat alacriter. In foro Vilnæ primario Calvinipor, nescio quis, ebrius ac petulans, verbis patrem fœdis, osque pytismate conspurcavit. Animo pacato et vultu placido tulit hic ignominiam; matronamque catholicam, eo sacerdotis sui commotam dedecore, vicinosque clamoribus excitantem, admonuit, ebrio uti parceret, decoris ipsa sui matronalis etiam nunc memor. Ejus admiratio virtutis alios etiam, ad ulciscendum coortos, sedavit. Ex Lituanica translatus in polonicam provinciam, supremum quievit Posnaniæ anni hujus quarto nonas martias, bene meritus senex annorum 72 (1). Lomsæ

19 Lomsæ sedes Collegii.

temporarium adhuc Sociis et perangustum fuit in curiali ædicula domicilium. Collectitiis primum donis, maxime Hedvigis Jlowska, conjugis Alberti Subcamerarii Vilnensis, triennium victitarunt; emptus deinde hortus, Narviam versus decurrens; domus ibi et sacellum constructa. Kalendis februariis anni 1613 eo se, totum Collegium, quatuor Socii intulere. Ad labores istorum civitati suæ perutiles advertit animum episcopus Posnaniensium Adamus Novodvorskius, Premetensium tunc temporis antistes, vulgo abbas, oblatoque prædio, thermulis in ea provincia inclyto, Nestempovia, ad condendum Collegium anno 1614 incubuit. Constructum instituendis quinque scholis opere tumultuario ædificium; collecti adolescentes amplius quadringenti.

Adam Novodvorski condit Collegium.

Vendam, in urbem Livoniæ interioris, ejusdem episcopus Otto Schenkingus Socios invitavit; præparato ad templum suum cathedrale habitaculo, constituto

(1) Libros a P. Stanislao editos vide in catalogo scriptorum.

vectigali certo, attributo præterea agro, dicto Silvestrino. Deducti Vendam ex collegio Rigensi P. Ertmannus Tolgsdorff et Joannes Stribingus. Hos subsecutus, recentique præfectus coloniæ, Petrus Kulesza. Simul atque in possessionem domicilii venerunt, et in desertum diu canonicorum admissi sunt templum, frequentes illud viserunt cives, ac deinceps permisti etiam hæretici catholicis magno numero celebrabant. Ex omni vicinia confluentium auxit celebritatem præfectus Volmariæ magno contracto agmine e civitate sua, quatuor milliaribus distante. Invitabant eo populum non pauca, rite a Sociis instituta, eaque ab hæreticis etiam collaudata; conciones, catechismi, supplicationes, sacrificia, in horas certas distributa. Magnæ hinc consecutæ sunt in populo, partim rerum illo divinarum rudi, partim a magistris hæreticis currupto, conversiones animorum. Duos antistites, de Societate nostra bene meritos, amisimus : Regni primatem, Gnesnensem archiepiscopum, Adalbertum Baranovskium, et Benedictum Woyna, Vilnensem episcopum. Ille collegii Pultoviensis rem œconomicam auxit insigniter suis opibus : conditum nuper clericis erudiendis seminarium gubernandum commisit Sociis : Societatem adversus hæreticos et concitatores ejus, de qua narravimus (1), seditionis ac tempestatis decumanæ, tum eloquentia ætatis suæ facundissimus, tum auctoritate inter cives præstanti, defensavit. Pro ea in Societatem voluntate adeo propensa, cum Socii, a generalibus redeunti comitiis, an. 1607 obviam facti, patrono suo gratias agerent, ille amanter homines complexus : quidquid adhuc, inquit, egi, minus egi laude vestra, Patres; contendam porro, voluntatem meam in Ordinem vestrum argumentis multo gravioribus ut approbem.

1615
20 Vendensis Collegii initia.

21 Adalberti Baranovski elogium.

Inter alias principis laudes conspicua erant maxime : propugnandæ religionis studium, et incorrupta fides : ut aliquando plena vasis, culeis vini, donisque aliis plaustra sibi, judici tum causarum in tribunali, oblata ab ea parte, cujus causa foret iniquior, animo rejecit magno, sic alias alia munera, cupiditatis velut et injustitiæ illecebras, respuebat. Diœcesim suam lustrabat diligenter. Primus hic Plocensem suam provinciam in decurias, sive decanatus, distribuit. Religionis stabiliendæ causa ecclesiasticos cogebat cœtus; multaque sanxit, salutaria bona, redditus, et canones, sive pensitationes canonicas, œconomicis amplificavit inventis. In egentes munificus : in perferendis rebus adversis, obtrectationibus invidorum, hæreticorum maleficiis, invicto heros animo, justus, integer, religiosus, ipsius divinæ gloriæ cupidus, rerum caducarum minime curiosus, pro grege sibi commisso vigil pastor, multis rebus bene vel gestis vel institutis, templis alibi

(1) Vide lib. IV, num. 23.

1616 refectis, alibi etiam conditis, decessit anno ætatis suæ sexto supra sexagesimum.

22 Benedictus Woyna Episcopus.

Pari benevolentia complectebatur Societatem antistes Vilnensium Benedictus, in Romano olim Collegio felix, et a suo præceptore litteris etiam commendatus, inclyti ejus theologi Roberti Bellarmini discipulus; ex vero, qualem hunc perquam eruditus, prudensque æstimator, Gaspar Cichockius in suis allocutionibus Osiecensibus nuncupat; hæreticorum terror, catholicæ religionis propugnator acerrimus : adde patronus Societatis ac tutor amantissimus. Summam hujus laudum Vilnenses canonici hoc in suo templo supra Benedicti sepulchrum posito complexi sunt elogio : BENEDICTUS. WOYNA. ETC. ECCLESIASTICÆ. PARITER. AC. SENATORIÆ. DIGNITATIS. ILLUSTRE. EXEMPLUM. PRÆFUIT. ECCLESIÆ. VILNENSI. ANNIS. XV. MULTAS. ÆDES. SACRAS. E. MANIBUS. HÆRETICORUM. ERIPUIT. DIVI. CASIMIRI. PRINCIPIS. HONORES. INSTAURAVIT. SACRAS. EIUS. RELIQUIAS. HONESTIORE. LOCO. TUMULAVIT. PATRIAM. CONSILIO. OPE. VIGILANTIA. SUMMA. DEFENDIT. CUM. ITALIÆ. THERMAS. RESTAURANDÆ. VALETUDINIS. CAUSA. ADIISSET. PATAVII. EXCESSIT. ANNO. MDCXVI.

23 Nesvisiensis Conditoris Radivilli felix obitus.

Ejus mortis nuntius offendit Socios, jam luctu occupatos in patria ex funere capitis longe carissimi, Conditoris sui in domicilio Nesvisiensi, Nicolai Christophori Radivilli, Sacri Romani Imperii Principis, ducis in Olyka et Niesviz, Vilnensis palatini, Hierosolymitani equitis, anni hujus, mense februario, pridie kalendas martias ad præmia meritorum ex hac rerum mortalium colluvione translati. Multi quidem de hoc principe memoria omnium sæculorum digno, præclara suis monumentis consignarunt multa, sed singuli fere singula; neque fuit adhuc, qui sparsas passim per libros laudes viri, præcipuas utique, in unum collegerit. Natus hic IV nonas sextiles 1549 Nicolao Nigro palatino Vilnensi et Elisabetha de Szydlovieckiis, castellani Cracoviensis filia, parentibus adhuc catholicis, paterna ex antiqua Narimundi, ducis Lituaniæ et stirpe. Agnomen Sierotka, quo hic in sua familia distinguitur, sors sibi indidit. Celebrantibus in aula Sigismundi Augusti regia proceribus, nescio cujus, nuptias (quibus Nicolaus etiam, tum admodum puer, cum suis intererat parentibus) conviviumque in seram noctem et choreas agitantibus, jejunus ipse, a suis etiam relictus ephebis, solitudinem puer solus suam in conclavi interiore lacrymis solabatur. Indicit forte in puerum convivator rex, miseratusque eam Nicolai orbitatem, produxit tristem in chorum complaudentium, atque, en vobis, patria lingua inquit, *Sierotka;* quo nomine Latini orbos pupillosque appellant. Exceptum blandimentis convivarum vocabulum inde Nicolao agnomen usu appellantium factum.

Unde Sierotka dictus.

Magistros litterarum e secta Calvini in aula paterna male nactus, captus homi-

num fraudibus, religionem avitam cœpit non suspectam habere tantum, sed etiam fastidire, atquo adeo ex Romanæ ritibus Ecclesiæ ludos sibi suisque facere ; hinc scilicet præclaris suis præceptoribus, illinc eruditis ad assentationem asseclis, ipsis denique parentum exemplis, ad id animum juvenis instigantibus. Procedente deinde ætate, maxime a parentis morte sui circumspicere suos ille mores suorumque ritus : aversari prima consilia ac damnare : sensim ad pietatem et sinceræ studium religionis trahi judicio. Ut ne tergiversaretur porro, divina benignitas vim adhibuit ostento admirabili. Rem certis posteritati traditam monumentis ac pervulgatam, ea, qua fide accepimus, narramus. Vilnam Nicolao redeunti Varsavia, atque in diversorio prandenti sacræ quadragesimæ tempore, Dominica Passionis, ad cibos capus assus ab archimagiro calvinista appositus. Cavillantibus inter se assentatoribus aulicis dogmata catholicorum et jejunia, altius in jocis provectus princeps ; et jam pronuntiare non dubitat, in eis, quæ maxime de mysterio Cœnæ Dominicæ profiterentur catholici, tantum veritatis inesse, quantum animæ in isto suo tosto esset gallinaceo. Simul id Nicolaus est effatus, simul, res mira, ecce tibi capus in triblio se commovet, consurgit, et quo certiorem te faciat, se revixisse, plaudit, cucurritque. Id tantum monstrum tam insolens quanto timore joculatorum animos percusserit, intelligis nempe : nimirum irati numinis imminentisque pœnæ portentum visus est certum quisque sibi cernere. At istud erat non ulciscentis fulgur, sed miserentis et admonentis Dei prodigium et lux.

1616

24

Prodigio insigni ad Ecclesiam redit perterritus.

Ergo Nicolaus, ubi se ex timore collegit, dolens, ultricemque numinis deprecans justitiam, e vestigio currus suos jubet reverti Varsaviam, et properare maximis itineribus. Varsaviæ recta ille ex carpento ad ædem Beati Joannis, quam vocant Collegiatam, quæsiturus animo medicinam. Ita saucius, incidit forte in perorantem jam concionatorem regium, Petrum Skarga. Sensit intimum versantis mentem suam Dei monitum : hoc sacerdote, sibi probe noto, in salutis negotio suæ uteretur. Obtemperat ; descendentem concionatorem sequitur ; orat Patrem, percusso sibi remedium salutare ut afferat : velle se, conciliari Deo per sacramentum pœnitentiæ ritu catholico, recipique jam nunc in sinum sanctæ matris Ecclesiæ. Petrus, qui probe nosset ingenium principis artesque cavillandi, ratus etiam num in se jocari palatinum, fronte contracta, monet severius, faceret aliquando finem ludificandi princeps : non hoc loco suis esse ludis theatrum ; satis horum jam esse factitatum ; digniora tandem se palatino, digniora genere suo Radivillio, susciperet consilia. Perseverare Nicolaus et precibus urgere propositum. Obluctatus aliquamdiu Petrus, intellexit denique rem agi ex animo. Lætus

1616 jam inde atque alacer suum facit officium. Confessus rite delicta pœnitens, ejurat palam Calvini hæresim, reconciliatur publice Ecclesiæ. Quæ res, ut præsentibus tum regi et proceribus catholicis magnam attulit lætitiam, sic nimium quantum, contemptos ita cum suis dogmatis, conturbavit hæreticos. Horum Nicolaus libros etiam, vel conquisitos vel coemptos, in rogum conjectos exussit; quo caveret imprudentibus, quidvis legere et probare paratis. Fana in suis oppidis, cœtibus hæreticorum profanata, catholicis restituit. Complures exemplo suo, in primis germanos fratres suos, Georgium, Albertum, et Stanislaum, a secta Calvini ad Ecclesiam traduxit; inde et ipsos Societatis nostræ amantissimos, optimeque meritos principes. Jam et legati in Galliam ad Henricum Valesium, electum a Polonis regem, et alia publica executus munera, ad Palæstinæ loca, Salvatoris nostri vestigiis consecrata, visenda se contulit: pietate sua provocatus et voto, quo se devinxerat, morbo implicitus olim difficili, quodque alias in certis vitæ periculis, belli maxime, tum in Livonia, tum apud Polociam in Russia; ibi glande ictus caput, dejectusque ex equo, salvus ex casu tamen et incolumis, iterata sponsione confirmarat. Damnatus itaque voti, anno 1582 in viam se dedit.

Sacra Palæstinæ loca visit.

Soluta promissi fide, ad an. 1584 revertit in patriam, auctus equitis sacri Sepulchri insignibus. In ornamenta sacri ejus Sepulchri census assignavit certos, ex pecunia Venetiis collocata dependendos quot annis. Nesvisiensem suam civitatem, suo principis gratulabundam reditu, revisit nonis quintilibus. Domicilium ibi Sociis anno 1586 ædificari cœptum, an. 1588 profligatum atque absolutum. Prædia attributa Collegio, ut essent immunia, in comitiis regni generalibus anno 1589 effecit. Incredibili charitate complexus Socios, ea quoque ipsis ingerebat ultro, quæ a paupertate religiosorum institutoque abhorrerent: qualis erat abacus ille argenteus, qui Sociorum usui confectus fuisset; nisi id muneris ipsi fuissent a se deprecati. Colligendis in domicilium pluribus tertiam ædificio contignationem imponere statuerat; id vero beneficii, quam ob rem, nescio, Socii non admittendum putarent. Commodius illi hodie, quod volebat conditor, habitarent, cœloque puriore, superiores loco ad stagnum humido, fruerentur. Nunc in regione domus infima, fundo insalubri, uvido cœlo nitrosoque habitandum est. Ædificiis templi et domus perfectis, in proximo ab urbe jugo sacellum Beato Archangelo Raphaeli (cujus præsidio tectus Palæstinum iter confecerat) collocavit, Collegioque attribuit (1). Hic quoque principem, ut fecerat in urbico suo fundando templo, ipsum inter operarios exhaurire humum; ipsum, honorandis eo humili suo ministerio novem

25 Pietas munifica. Nesvisiense collegium perfectum.

(1) S. Raphaelis sacellum; ibidem Divo Michaeli et BB. Angelis dedicatum templum.

choris angelicis, novem scirpeis exportare sabulum, lateres, arenam, cæmentitium ferrumen manibus ministrare suis, non piguit. Placuisse, oportet, superis eam Nicolai pietatem : nam brevi locus is clarescere cœpit miris Dei beneficiis, propterque eaque a populo celebrari. Hinc mons ille, vulgo Angelicus, Beatis scilicet Angelis sacer, nuncupatur. 1616

Pia principis humilitas et cultus Sanctorum.

Haud multo post Joannes Carolus Chodkiewicz, sacello hoc seu diruto seu pro accessione ædibus adjuncto, ibidem templum condidit; idque, sua Joannis voluntate, Beatis Angelis, in primis eorum principi, Divo Michaeli dedicatum est. Curavit scilicet exequi victor ille, quod nuper ipse voverat bello Turcico dux exercituum. Eam dedicationem templi quo clarius significaret, populoque proponeret, rector Collegii Michael Ginkiewicz, novem sacellis minoribus, in cœmeterio positis ad numerum chororum cœlestium, templum circumdedit. In hoc colle angelico Sociis, qui ex instituto nostro post studia litterarum probantur, positum domicilium anno 1689, prædiis et redditibus auctum a Tobia Grochovskio, Lukoviensi tribuno, et sua Elisabeth, e gente Szczavinskia. Primus rector præfectus Sociis Andreas Rybskius. Sed jam ad Nicolaum principem revertamur. Non satis ille pietati fecisse suæ videbatur; aliis insuper muneribus bene mereri pergit. Ordini divi Joannis Jerosolymitani, sive Melitensium equitum, annuos redditus, unde alatur vicarius curionis, assignat. Franciscanis, a strictiore observantia dictis, cœnobium gynecæum virginibus, institutum divi Benedicti profitentibus, condit Nesvisii; Miræ, suo in oppido ædem Myrensi illi in Lycia sancto antistiti Nicolao sacram e muro solido, et alteram in oppido Svierzna fundat, atque sacerdotiis locupletat. Omitto arces, xenodochia, ptochotrophia, gerontocomia et alia; quæ usui publico multis locis condidit vel donis ornavit. Familiæ suæ Radivilliæ consuluit sapienter. Ne per fœmineam prolem avita Radivilliorum bona averterentur alio dotis nomine, sed ipsa doti pecunia diceretur; in bonorum vero hæreditatem paternam ipsi succederent filii, aut, nisi essent filii, herciscundam proximus e patruelibus hæreditatem cerneret; idem Nicolaus, fratribus suis, Alberto et Stanislao, consentientibus, statuit curavitque, sua ut ista conventio et regia Sigismundi III et civium auctoritate in comitiis regni anno 1589 firmaretur. Quæ sua Radivilliorum pactio *Ordinationis* nomine hodieque nuncupatur. A morte conjugis suæ, quæ in an. 1597 incidit, etsi cum ætas integra tum amicorum consilia ad nuptias secundas invitarent : ut tamen id faceret, nullis potuit induci consiliis. Consilium Pauli apostoli potius illi omnibus fuit. Ex eo reliquos 19 annos vitæ cælebs, sollicitus de iis tantum, quæ Domini essent, quomodo magis placeret Deo, transegit; inde maxime ita pietati deditus,

Ibidem hodie domus tertiæ probationis.

Pia Nicolai opera alia.

Ordinatio Radivillia.

Cælibis laus vitæ.

1616 Frugalitas. ut aula sua, suo principis exemplo, schola quædam esset vitæ christianæ. Mensa illi frugalior : convivæ, homines fere e cœnobiis aut nosocomiis : sermo non nisi de rebus divinis, in primis quæ lecta essent per anagnosten.

Memoria mortis etiam ad mensam. Solitudo habitantis in sepulchro. Caput omnis prandii cœnæque cineres in quadra : his, per ephebum, ubi consessum, illatis primos sibi Nicolaus perspergebat bolos, quo ritu supremorum cinerum, lethi scilicet imminentis animum suum prudens admonebat. Quæ res amantibus principem, beneque bono cupientibus, lacrymas electabat. Illud autem acerbius etiam erat, carum principem jam sua voluntate pene sepultum esse; ita ille in condito a se sibi sepulchro subter templum Nesvisiensis collegii habitabat, quotidie certis horis animum suum præparans ad tempus vitæ mortalis supremum. In eo suo bonæ mortis gymnasio, uti certis diebus cœlestem immolari liceret hostiam, a Pontifice Romano impetravit. Omni feria sexta ibi fieri sacrificium curabat ; cui ipse intererat, operantique sacerdoti ministrabat. Sæpe solus, pomeridianis maxime horis, ibidem nunc inambulans, versansque mortem animo et immortalia, nunc flexis connixus genibus, complures horas perdurabat. Ad sepulchri introitum hæc sibi, quæ ipse lectitaret, incidi in marmor jussit monita : *Peccantem me quotidie et non pœnitentem, timor mortis conturbat me... Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Advena ego et peregrinus apud te, sicut omnes patres mei... Credo carnis resurrectionem et vitam æternam... Jesu, æterna vita morientium.* Nicolaus Christophorus Radziwill, Nicolai et Elisabethæ de Szydloviec filius, Joannis nepos, Nicolai primi pronepos, Sacri Sepulchri eques, etc...sciens se esse escam vermium, in hac lacrymarum valle, vovens, sibi posuit monumentum (hoc corpus... cœlum animam... posteritas memoriam in benedictione servet) obiit.

Itaque lethi memor, rerum pertæsus mortalium, æternitatis beatæ cupidus, numinis divini amans unice ac reverens, in hoc mundo, quasi hospitem in diversorio, propediem se migraturum, cogitabat ; idque præclaris vitæ christianæ documentis confirmabat. Non curiose hæc, oportet, observasse illum, qui Nicolai animum, rerum contemptorem caducarum, aliter ac vereri debuerat aut experiri, expertus esset. Hic in officio versatus aulico, ex ærario principis multa nummorum aureorum millia sublegerat, subjecta abligurierat. Qui ablatum restitueret, inops consilii, peccatum suum et inopiam in sacro pœnitentiæ foro confitetur. Quod reliquum est, eodem judice suo sacerdote apud principem deprecatore utitur. Qua ratione licuit, res Nicolao proposita.

Animus opum contemptor. Ille ad hæc animo excelso, nihil cunctatus : ecquid sunt ista, inquit, ad ea, quæ ipse Domino meo, bonorum largitori omnium, debeam? Meministi, quam argute

jocatus sit ille furcifer, qui, præeuntes ad spectaculum supplicii conspicatus opulentos, clamabat duci se a furibus magnis parvum furem. Vereor, ne me, tot talentorum debitorem, multo enimvero plurium, quam in ablata illa nobis pecunia sit, jam hodie reum agat divina justitia. Quare condonemus nos homini, libenter condonemus tantillum : ut, quod optamus, Deus nobis condonet tantum. Pius omnino, misericors ac liberalis princeps complures alias ejusmodi injurias lucris suis sua benignitate apposuit. Dum ita Deo omni pietate placere studet, agere denique inter mortales desinit. Statim, ut morbo tentari sensit, P. Joanem Alandum, carum sibi virum, expertumque jam diu conscientiæ suæ cognitorem, adesse jubet. Huic tum maxime salutis suæ negotium, tum Sociis, qui adjutarent Joannem, nominatim Martino Smigleckio (1), Michaeli Ortizo, et hujus fratri Jacobo, e Collegio Nesvisiensi sacerdotibus, commendat. Testamentum, ante jam confectum, recognoscit. Familiam suam, sui memorem esse, beneque valere in Domino, jubet. Veniam sibi ab omnibus, quoscunque offendisset, petit. Quo rem suam, momenti scilicet illam maximi, cum Deo judice suo transigat tranquillius, otium sibi ab omni interpellatione postulat. Confecto omni salutari negotio, spei bonæ plenissimus, quieta morte obdormiscit in Domino Nesvisii 1616 (2) pridie kalendas martias. Testamento suo cavit, ut corpus suum, peregrinatoris amictu, quali usus esset in Jerosolymitano itinere, contectum, a mendiculis, et ipsis ad funus peregrinabundorum in morem tunicatis, efferretur. Itaque elatum est. Quiescit in sepulchro suo (3); quod nuper abnepos suus, Michael Radivillus, palatinus Vilnensis, dux exercituum Lituniæ, adornavit ; in hunc diem incorruptum (4). Vixit Nicolaus annos sexaginta septem.

1616

Obitus.

Sepultura

Principis funus morte sua, Nesvisiensis rector Collegii, Simon Gos antevertit, præmortuus Varsaviæ XIV kalendas februarias, anno ab inita Societate XXVII, vir tum pietate tum doctrina commendabili ; comitem in viam æternitatis eodem die ex Sociorum Varsaviensi collegio nactus Simonem Gorskium, genere Masovitam, magisteriis rhetoricæ, philosophiæ et theologiæ scholasticæ septennium traditæ, scriptis quoque adversus Arianos inclytum. Duo itaque funera eodem die in eodem domicilio erant facienda. Vixit P. Simon in Societate annos 27, aggregatus ad eam juvenis annorum 21. In munus rectoris, a Patre Gos relictum, successit Michael Ortissius, carus et ille Nicolao principi et hujus filiis superstitibus (5).

26

Varsaviæ PP. Gos et Gorski eodem di funera.

(1) Morienti adsunt Socii PP. Alandus, Smiglecki, Ortiz. — (2) Pompa insolens in funeribus principum. — (3) Nesvisii sepulchrum Radivillorum principum. — (4) Corpus integrum.

(5) Nesvisiensis Collegii rector P. Ortiz.

1616 27

Crosis collegium Sociorum conditum a Joanne Chodkiewicz.

Crosis in Samogitia ab anno 1608 adhuc Socii, tanquam in statione temporaria, versabantur. Fixum illud ac frequens, aliquod utique in sua provincia non minima, nostris ut esset domicilium, perboni cives illi, homines plerumque animo simplici, religionum studiosissimi, jam doctrinam Sociorum, pietatem, industriamque experti, vehementer cupiebant. Pro eorum desiderio, rei olim apud se constitutæ, partem jam confecerat palatinus Vilnensis, dux exercituum Lituaniæ ac felix imperator, Joannes Carolus Chodkiewicz, tabulis, quibus rem suam collocandis in Samogitia Sociis consignasset rite, publica auctoritate per comitia regni generalia anno 1615 confirmatis. Circumspectabat inde loci opportunitatem, quo utilissime constitueretur Sociis colonia. Crosi oppidum in umbilico provinciæ situm (unde quoquoversus excurras facilius) Sociorum etiam sententia, Joannis Argenti in primis et Pauli Boksza, hujus præsidis provincialis, illius tunc visitatoris, cæteris locis præpositum. In hoc oppido Nicolaus Christophorus Radivillus, de quo modo narravimus, arcis parietinas suæ et fundum domicilio scholisque condendis nuper donaverat. Eo demum a prima illa ad S. Crucis ædiculam statione in conferruminatas opere tumultuario ædes XIV kalendas octobres anni 1616, nostri missionarii Vierzbolovia cum præside suo Joanne Jamielkowskio translati; his additi mox sacerdotes quatuor, scholarum magistri duo, tres laici adjutores: itaque hoc anno Collegium novellum coaluit, creato domus rectore eodem patre Jamielkovskio.

S. Marini reliquiæ.

Eodem insigne pignus Sociis, sacra Beati Marini martyris ossa, nuper allata ex Urbe, Vilna mense sextili translata, maximo, quanto potuit, apparatu, in sacellum domesticum accepta. Atque has quidem sinceras esse divi martyris reliquias, Deus manifestis admirandisque signis approbavit. Lomsæ quoque crescentes pariter Collegii res similibus auctæ ornamentis, allatis per Patrem Nicolaum Lancicium Roma de cœmeterio, Sanctorum Sebastiani et Calixti dicto, Beatorum Martyrum Zenonis et Theclæ sacris ossibus. Biennium amplius ante ad hæc divina munera, honoribus præcipuis populo commendanda, Socii se comparabant; difficultatibus interim hinc illinc alienisque intervenientibus negotiis. Hujus demum anni VI idus quintiles publicus Beatis hospitibus habitus est honos. Erectæ in urbe quatuor triumphales portæ: ex his, lecti atque aliunde etiam conducti, symphoniaci ad laudes Beatorum carminibus invitabant; odis ad eorum numeros pubis scholasticæ, ordine pulchro vicatim dispositæ, consonantibus, perque earum intervalla, quas musici pausas vocant, æneis ex edito loco machinis tonantibus. Secundo tertiove ab oppido lapide, pagum versus quem Gelesinum vocant, inter tentoria, sub tabernaculo, quasi illo prætorio, in thensis propositæ Beatorum reliquiæ, et sua

Lomsæ SS. MM. Zenonis et Theclæ reliquiæ.

Triumphus in harum translatione.

simulacra erecta, stabant ad pompam, sacerdotum et religiosarum familiarum 1616
cœtibus circumdata. Contractæ copiæ cum equitum tum peditum militares. Et ipsæ in suos distributæ ordines sua pietatis studia, artesque ad triumphi speciem accommodatas, eisdem cœlitibus commendabant. Ad hæc non unius provinciæ hujus cives, sed ab aliis etiam regionibus proceres, sodalitia, oppidani, pagani confluxere. Huic celebritati campestri antistes, suo clericorum collegio nostroque comitatus, anteeunte urbico magistratu, obviam prodiit. Favit celebritati sacræ cœlum : discussa caligine, dissipatisque repente nubibus, quæ nimbos proxime minabantur et grandinem. Tota illa regione hymnis festisque tonitribus personante, in oppidum inque templum Collegii triumphus Sanctorum deportatus. Inde populus divos Zenonem et Theclam precibus invocare, et colere impensius, miraque per eos Dei experiri beneficia.

Smolenscensibus Sociis anni 1611 nonis quintilibus a Sigismundo III in expugnata nuper urbe collocatis, par cum obsessis civibus conditio. Quatuor tum in eo domicilio hærentium Sociorum lego nomina : Joannis Jalovskii, Stephani Valenii, Andreæ Rubei, sacerdotum, et Joannis Chripatowicz adjutoris. Summis opibus recuperatum ibant urbem anno 1606 Moscovitæ, duce copiarum Mastrugio ; huic nihil proficienti, proptereaque in Moscoviam revocato, successit Chovanskius, isti Alexander Sickius, Sickio denique Buturlinus, audacior primis ac ferocior. Frustra singuli adversus nostrates diu periclitati et vires et artes, ad extremum ab imperatore exercitus Lituanici, Joanne Carolo Chodkievicio, adjuvante Alexandro Corvino Gosievskio, pars cæsi pars in suas regiones aversi, legitimis sua dominis reliquere. Depulsis hostibus, cives Smolenscii diu oppugnati ab hostibus, anno 1607 respirarunt. Inter ea ducum nostratium cum Moscis negotia religiosi nostri antistites de salute gentis ejusdem et modis, quibus, abalienati per Photianum schisma ab Ecclesia, græcisantes Ruteni reconcilientur in gratiam, consultant. Monasticam in primis Basilianorum, qui suis probi essent Rutenis magistri ac duces, exolescentem jam disciplinam Josephus Velaminus, metropolitanus Rutenorum antistes, censebat esse instaurandam. Id autem quibus viis consequi possent, se non videre : nisi forte aliunde, e religiosis qui tum florerent maxime doctrinæ et sanctimoniæ laudibus, suis præficerentur cœnobiis, idonei cum primis tironibus vitæ et morum magistri ; placere sibi Societatis Jesu institutum, mores, doctrinam, magisteria ; istorum hominum operam esse tentandam : si assenserint collegium in primis frequens tironum Bytinii charitati ipsorum et industriæ commendandum. Assensu congregatorum omnium excepta metropo-

Smolenscum a Polonis defenditur.

28 Monachorum disciplina per Socios restauratur.

1617 litani sententia. Jesuitas illi certatim laudare, et ad magisterium deposcere: ipsorum navitate, tot præclaris probata exemplis, effici enimvero posse, ut sui laus Ordinis, jam diu jacens, assurgat tandem et convalescat. Bytinium itaque tres e Nesvisiensi Sociorum Collegio sacerdotes lecti, Simon Pruskius, Andreas Koniuskius, et Stephanus Gruzevskius, deducuntur (1). Horum magisterio unius spatio anni effectum est, ut illud tironum pariter ac veteranorum Collegium aliud inde omnino a se videretur: ita hic antiqua Ordinis Basiliani laus reviguit. Hujus rei commendatione excitati, plures ex aliis cœnobiis se Bytinium conferre, et in disciplinam alacres nostris dedere; aliisque alii, institutis rudes, succedere. Quapropter diutius eo in magisterio socios versari oportuit, quam inter præsides partium convenisset: nam principio Socii hoc pacto accepti, ut ne annum amplius unum in officiis tenerentur; sed rogatu cum metropolitani tum suorum antistitum coacti sunt, plures annos sua continuare magisteria (2). Ex quo deinde quantæ in plebem etiam utilitates manarent, videbant gratulabundi antistites sui. Jam plebes sua Rutenica, quæ nuper et ritus Ecclesiæ Romanæ et sacerdotes aversabatur, inde omnia catholicorum pro suis habere; Societatis nostræ homines, quos ante defugiebat, suspicere deinceps, fidentius adire, et in suo quisque salutis negotio pro suis uti magistris ac patribus. Tum demum clarius intellectum est, quid unio sua, quam inscientes adhuc ita Græcorum cum Latinis conjunctionem vocitarent; quid, inquam, significaret, quidque discriminis romanam inter et græcam foret Ecclesiam. Alibi ipsis etiam schismaticis opera Sociorum fuit pergrata.

29

Orsæ captivos redimunt Socii suis officiis.

Capti nuper bello Moscovitico, Ruteni milites Orsæ in vinculis servabantur. Visere captivos identidem e Collegio Socii: solari mancipia, non aliter atque si sui, iique bene meriti, forent, et curare, stipe et cibariis quoque die ad carceres per suas manus collatis. Magnam faciebat admirationem ea misericordia barbaris; itaque vicissim Moscorum ductor clementer habere e Lituanico captivos exercitu; nonnullos eorum Sociis, tanquam inter partes benignitatis magistris, quasique sequestris, remisit sine pretio. Per occasiones ejusmodi facta sunt lucra animorum insignia. Octingenti et quadraginta vel a græcanico schismate, vel a sectis hæreticorum variis, intra hunc annum, Orsæ, in ipso oppido, ad Ecclesiam revocati numerantur. Novogrodensem civitatem Nesvisienses Socii pro sua vinea colebant; excurrebatur ad eam identidem; cum Arianis ibi crebra fuere pro sanctitate religionis catholicæ certamina. Effectum hoc anno denique,

Fructus insignis.

Novogrodensem civitatem curant.

(1) V. in vita P. Thomæ Viejski scripta a P. Brictio, pag. 295.

(2) Ad decem annos perseverarunt in eo magisterio.

ut impii, qui contumacius veritati resisterent, decreto publico ex urbe pelleren- 1617
tur. Pars multo major istorum, in sectis, suæ germanis, Calvini, Lutheri, Photii, opibus potentiorum freta, restitit. Hos inter pauci admodum erant catholici, iique majorem partem religionum suarum rudes. Ut ad horum pietatem confovendam, sic ad comprimendam illorum audaciam, pius pusilli gregis sui pastor, Novogrodensium curio, Martinus Gradovskius adjutores conatuum suorum e Collegio Nesvisiensi advocabat. Perspecta satis industria hominum et navitate, semper eos præsto sibi esse, cupiebat. Quam ob rem de collocando ipsis aliquo in urbe sua domicilio cogitabat, diligenterque cum familiaribus suis consultabat; idque anno 1624, probante consilium episcopo, obtinuit.

Ariani exturbantur.

Domicilium Sociis offertur.

Pecuniam incerti domini, quam forte repereris, quos in usus converti deceat, 30
exemplo hic aliquo potes admoneri. E Pultoviensi Collegio Socius, repertos a quodam cive nummos, sibique oblatos hoc pacto, ut, si quidem rei non inveniretur dominus, ipse arbitratu suo vel erogaret in egentes, quales in suo etiam forent Collegio, vel in pios, quos ipse putaret, usus converteret, accepit. Pii nescio quid operis moliebatur ille, inque id, concessu rectoris sui, depositam pecuniam suo servavit in cubiculo. Nocte proxima excitatur ex somno repente sonitu nummorum magno in terram proruentium. Nescius, quid ita conciderit, lumen infert : dispersam videt toto pavimento pecuniam; sed quod ipsum erat mirum, arcula omnino, qua continerentur nummi, obserata. Portentum in eo casu sibi visum est : signum scilicet Dei, nescio quid admonentis. Colligit dilapsum æs, et claudit accurate. Nummi rursus, integro carcere, erumpunt omnes pariter, et cum majore etiam strepitu dissipantur; itaque bis, terque clausa, fugit pecunia. Intellexit denique Socius, malle Deum, in egentes quam in quævis pia munera alia erogari depositum. Ergo, commonito domus rectore, postridie totum illud fugitivum æs in mendicos distribuit.

Pecunia incerti domini reperta, qualiter collocanda.

Vladislaus, Sigismundi regis filius, præmissis cum suo exercitus duce Joanne 31
Carolo Chodkiewicz copiis, adversus Moscovitas armatis, eodem itinere venit Nesvisium IX kalendas septembres. Acceptus pro dignitate a principibus Radivillis, benevolentiæ significandæ gratia ad Sociorum descendit collegium. Salutatus oratione publica. Expeditionem suam supplicationibus Sociorum commendavit. 32
Duos hoc anno viros nobilissimos mors civibus abstulit : Andream Bobola regni subcamerarium, et Joannem Chociszewskium Varsaviensem canonicum, auctorem Collegii nuper Lomsæ conditi. De Andrea æquiora narrant omnes alii scriptores, quam suis in *Chronicis gestorum in Europa* Piaseckius. Huic quidem

Vladislaus princeps Nesvisium visit.

Bobola bonus civis Patriæ, patronus Societatis.

1617 historico, non omnibus æquissimo, quæ ex animo suo in his suis præclaris hypomnematis Societati nostræ aspersit (pag. 358), libenter condonamus : sed nostra causa carpi alios, eosque viros sanctissimos, quis, justus æstimator, sustineat ? Morosus huic bono scriptori Bobola, promotus ad illud officium (regii præfecturam cubiculi) patrocinio sacerdotum Societatis Jesu : quod illis in omnibus consentiret ; unde utrique conjuncta opera in privatis colloquiis, quæ ipsis semper patebant : sollicitantes regem adeo constrinxerant, ut omnia ipsorum consiliis ageret, et aulicorum spes et curæ non nisi ab eorum favore penderent ; quin et in publicis negotiis isti suggerebant, quid rex decerneret, tanto majori reipublicæ periculo, quod ad hujusmodi familiaritatem regis assumebantur (præsertim confessor et concionator) a scholis vel a magisteriis novitiorum religiosorum (quales scilicet erant Skarga et Varszevickius?) rerum et status politiæ prorsus expertes : hæcque causa unica fuit errorum, non in domesticis solum sed et in publicis : ut moschicis, sueticis livonicisque regis (cur non etiam regni et religionis et salutis civium, addere huic placuit ?) rationibus ; et tamen pene sacrilegii crimen putabatur, si quis eorum dicta factaque reprehendisset, et nemini, qui non ipsis applauderet, facilis ad dignitatem aditus patebat. Sed remiserant aliquantum illud supercilium, amisso isto Bobola, tanti artificii aptiori instrumento.

Malevoli scriptoris calumniæ.

Ita scilicet pio huic sacerdoti et studioso veritatis historico, et rex Sigismundus imprudens, cujus tamen sapientiam omnis laudat laudabitque posteritas; et iste Bobola, homo rudis, morosus, Jesuitarum (nempe confessoris, nescio cujus, et concionatoris Petri scilicet Skarga, hominis ut hæreticis sic Piaseckio invisi) seu auctoritate sive astutia adjutus, efficere tantum potuit, quantum damni, rege Sigismundo, in rebus sueticis, moschicis, livonicis fecerit Polonia. Sed Piaseckium malim ex aliis, quam ex istis scriptis suis amet veritas, laudetque posteritas. Certiora sunt multo, quæ sine ulla prava animi affectione, præter alios bene multos, de hoc viro inclytus ille veritatis cultor, e Societate nostra concionator Matthæus Bembus (1), et civilis orator politicæ scientissimus civis, Jacobus Szczavinskius, anno 1616 præses comitiorum regni generalium, mox Cujaviensium palatinus, in funere ejus celeberrimo prædicarunt. In aula Joannis Tarnovski Cracoviensium præfecti castellani, exercituum Poloniæ ducis, Andreas pueritiam juventutem in aulæ regiæ officiis apud Sigismundum Augustum exercuit. Stephano Bathorio adversus tum Moscovitas tum perduelles Gedani hæreticos ductabat copias signifer. Sigismundo III virum pietas, charitas patriæ, prudentia, æquitas

33 Sincera laus viri.

Pueri et adolescentis.

(1) V. concionem hujus, quæ inscribitur : *Vizerunek Szlachcica Polskiego.*

1619

Viri fortis, pii, justi.

animi, temperantia, abstinentia, rerum usus, et fides experta commendarunt. Vir stoicus, moribus antiquis, assentationum fastidiens, gravis ac simplex, religionis cultor constantissimus. Primus hic in comitiis regni molientibus sua adversus religionem catholicam hæreticis et ipse fortiter restitit, et ad profitendam, juratam Deo, fidem suo excitavit exemplo. Quam viri constantiam romanus etiam Pontifex, datis ad Andream litteris, plenis testimonio grati animi, collaudavit. Egentium et subjectorum pater vulgo appellabatur : ita scilicet eorum bona salutemque procurabat. Sapientia sua ad eam hominum exstimationem dimanavit, ut non sui tantum cives, sed Itali etiam, Germani, Galli, Hispani, proceres, in suis negotiis Polonum hunc irent consultum. Vixit annos 72, cælebs, et laude castimoniæ senex omnino integra. Quoad vixit, certis quotidie horis tum meditabatur divina, propositis sibi christianæ vitæ officiis ; tum, vespertino maxime tempore, rationes cogitatorum, dictorum, factorumque a se exigebat. Probe sibi cognitum hunc, atque adeo familiarem, Petrus Skarga sæpe in suis scriptis virum appellat sanctum. Existimator erat et laudator omnium religiosorum Ordinum, Societatis patronus etiam munificus. Ut mittam, quæ in Polonicam Sociorum provinciam beneficia contulerit, Varsaviensi Collegio certam pecuniæ summam testamento assignavit.

Laudatur idem ab Romano etiam Pontifice.

Pater pauperum

Doctus ac sapiens.

Cælebs et castus.

Diligens animi sui inspector.

Amans Religiosorum.

Alter, quem supra cum hoc composuimus, Joannes Chociszewskius, et ipse inte- 34
gerrimus, religiosissimus sacerdos, in philosophicis et theologicis egregie versatus : ad hæc eloquens, isque moribus percommodis, munificus, pius. Multis rebus cum laude gestis, copiolis nascentis Lomsæ Collegii, etiam bibliotheca, lecta illa a se diligenter, liberaliter auctis, bene ad æternitatem comparatus, diem supremum obiit Varsaviæ quarto nonas januarias.

Joannis Chociszewscii bona merita.

Crosis Socii nuper collocati, jam rerum Samogiticarum non ita peregrini, in 35
lucos deorum gentilium intimos, et obscurissima superstitionum claustra, sagaces mortalium venatores, penetrarunt. Narrare hic, jam alibi dicta, supervacaneum sit quibus quantis fraudibus circumventam, mali dæmones miseram simplicis gentis plebeculam adhuc tenuerint. Excussæ hoc anno curiose omnes interiores hostis latebræ : deprehensa multis locis, si mores et religiones homine indignas spectes, rusticorum feritas : exsectæ Perkuno, Jovi illi lituanico, devotæ quercus : edita insignis deorum strages : exinde viri senesque ad professionem religionis sinceræ et sacramentorum usum inducti : census istorum capitum ad sesqui sex millia fuit. E gregibus hinc Lutheri, illinc Calvini, aliunde Photii, 522 ad Ecclesiam Christi retracti : Sodalitas cultorum B. Virginis Mariæ instituta (1) : infantes

Crosis Sociorum labores frugiferi.

Deorum excidium.

(1) Sodalitas Mariana. Senes baptizati.

1619 alibi, alibi e paganis pueri annorum prope centum, ritu christiano ad aliquot millia abluti. Contractus inter sponsos e Concilii Tridentini præscripto castigati.

36 Vendensium Sociorum curæ. Neque Vendenses sua cessabant in vinea; ab his etiam duodena amplius millia confessionum pro sacro tribunali excepta: centum octoginta mortales, in his grandes natu, qui nunquam antehac peccata sacramentis deleri curaverint, expiati; hæretici sex supra sexaginta reconciliati Ecclesiæ; 418 baptismo lustrati; in pagis loca, diis gentium devota, lustralibus Ecclesiæ ritibus perpurgata, saxa pro diis culta (quæ illi lingua patria *Atmeszenes Viete*, adjectorum scilicet loca, in quæ Superstitiones sublatæ. ciborum analecta pro libamine conjectabant: quibus cæsorum animantium cruorem aspergebant: quæque contingere ipsis fas esset victimariis) sex, inquam, ejusmodi aræ circum oppida, in primis Rositenum, Duneburgum, Russonum, eversæ, cœtusque sacrificantium dissipati. Arbores item evulsæ stirpitus, tum quærcus qui-

37 Torpatensium conatus. bus mares, tum tiliæ quibus feminæ, pullastra pro frugibus et incolumitate rei domesticæ, quasi diis, faciebant. In eandem stragem Ceroklis, ex orco ille hospitalitatis deus (cui ex omnibus esculentis primas buccas, primos ex poculentis haustus, stulta libabat plebes) actus est securibus. In eadem Livonum provincia Torpatenses Socii suarum et ipsi rerum satagebant; quoad fieri poterat hoc tempore, quo incursionibus hostium perturbata civium forent omnia. Duodecim Socii: sex sa-Rigensium sterilis opera. cerdotes, magister scholæ unus, reliqui adjutores, Derpati habitarunt, superiore anno duobus tum pauciores. Olim decem supra centum hæretici, hoc anno quatuor supra ducentos, reducti ad Ecclesiam. Malignior multo Rigæ et circum fructibus hujusmodi reddendis ager, magnis nostris conatibus non respondit: ex omni civitate, frequenti illa, et circumjacentibus pagis ad ovile Christi 18 non amplius siverunt se reduci.

38 P. Smiglecki Martini elogium. Calissii confecit vitæ cursum P. Martinus Smigleckius; de cujus doctrina et moribus communis est Lituanis gloria cum Sociis provinciæ polonicæ. Ortus in Russia, quam Rubram sive Roxolaniam vocant, cooptatus in Societatem Romæ 1581, remissus in patriam, nondum per ætatem sacerdos Vilnæ in Academia philosophiam professus quadriennium; exinde, jam initiatus, tradendæ theologiæ scholasticæ decennium dedit operam. Pugnavit pro veritate doctrinæ catholicæ adversus hæreticos, Vilnæ maxime in illa celebri theologorum velitatione, depugnavitque ad victoriam; quam Deus etiam prodigio illustravit. Cum homo ille Arianus (quod (1) narravimus) ab ea nostrorum cum hæreticis pugna, diversans apud hospitem familiam, in consessu ad mensam de conflictu illo vanus narrator sereret mendacia, atque juraret, etiam Smigleckium, pancratiastam jesuiticum,

(1) V. L. IV, n. 15.

succubuisse in certamine, repente mendax, ut se execratione devinxerat, obtorto collo, oblisis faucibus, interiit. Rerum mortalium et sui despicientia in Martino singularis : nullis ille honoribus, nullis de se opinionibus tangebatur. Sermones pios in familiaribus scite inferebat. Dei amore sic pectus flagrabat. ut ad ipsam divinæ bonitatis mentionem a sensu mentis abstrahi videretur. Rexit Collegia Pultoviæ, Posnaniæ, Calissii, et domum professam Cracoviæ. In muneribus pulchro virtutis artificio severitatem cum lenitate temperabat. In corripiendis subjectorum moribus, in occasionem, quæ opportunitatem utilitatemque haberet præcipuam, intentus erat. Patientiam et fortitudinem viri cum alia multa, tum ipsius morbi supremi acres ac diuturnæ molestiæ probarunt. His denique contabuit VII kalendas sextiles, annos 56 natus, initæ Societatis 38. Funus Martini religiosæ, quot erant Cracoviæ, celebrarunt familiæ; atque ex illis aliquis concionator laudes docti pariter et sancti viri oratione publica prædicavit. 1619

Divi Ignatius et Xaverius rite in Beatos relati.

Annus hujus sæculi undevicesimus expectationem nostri desiderii explevit maximam; quod denique, a felici suo in patriam superum excessu supra sexagesimum tertio, divus Societatis Jesu dux et auctor, Ignatius De Loyola, procurantibus in primis Baronio et Bellarmino cardinalibus, VI kalendas sextiles, ac brevi post, carissimus suus e primis Sociis, Franciscus Xaverius VIII kalendas novembres in beatorum numerum a Paulo V pontifice maximo rite translati sunt. Pro eo nuntio tam optato Lituana quoque provincia, quanta fieri poterat pietate, sua obtulit evangelia. Si qua calamitas provinciæ Lituanicæ acerba fuit, eam hic ego injuriosissimam dico, quæ monumenta rerum nostrarum ex archivis domiciliorum abstulerit : essent profecto non pauca nobis, præterita hic memorantibus, quibus superiorum nostrorum erga beatos parentes suos pietas se hodieque commendaret.

Meminit utique nostræ etiam provinciæ, complexus hanc communi nomine Poloniæ, historicus Societatis Josephus Juvencius. Posteaquam enarravit, quibus illud nuntii triumphis exceptum esset in Italia; par, inquit, in aliis Europæ urbibus lætitiæ significatio, par pompa. Ignatii vita, virtutes, res præclare gestæ, hic aulæis intextæ, illic productæ in scenam, alibi symbolis ingeniosis adumbratæ, in æs ac marmor incisæ, in vexillis auro et ostro micantibus depictæ, patuerunt. Longum sit referre arcus triumphales erectos, obeliscos, machinas exoticis figuris ornatas, trophæa, pyramides, festos abeuntium in omnes formas varietate mira ignium ludos, illustres pietatis, ingenii, doctrinæque partus, editos in Lusitania, Hispania, Gallia, Belgio, Germania, Polonia; nullum ut elementum, nullus hominum ordo, nulla pars vel remotissima, in communi gaudio ces-

1619 saverit. Pultoviensibus inter hæc alius etiam triumphi oblata occasio. Jacuere
39 adhuc sine honore alibi Beatorum Martyrum Pelagiæ et Eugeniæ sacra corpora. Hæc per Henricum Firleium, seu Polocensium adhuc episcopum, sive, quod aliunde colligas, jam Gnesnensium archiepiscopum, in ædem Societatis illata. Non alias tanta visa Pultoviæ celebritas: multi Sodalitatum, ex aliis oppidis contractarum, multi religiosorum Ordinum, et procerum cœtus erant; in ante omnes rex ipse Sigismundus, et sua regia conjux Constantia Austriaca, omnisque aula sua. His comitantibus, tota urbe carminibus, musica, et tonitru continenti machinarum ex mœnibus personante, sacra pignora ad aram sibi præparatam deportata.

*Pultoviæ sanctæ reliquiæ cum triumpho exceptæ.*

40 Hæc omnino pie: alibi ab aliis interim flagitiose sunt acta. Vilnæ e schola Lutheranica Marcipori, petulci juvenes, ut a suis erant instituti præmonstratoribus, probrosis sæpe vocibus, sæpe conjectu etiam lapidum academicos nostros incessebant; inferiores illi multo et nobilitate generis et numero. Illi istorum aspernati mores, ad aliud genus certaminis, ad controversiam nempe de religione vera, aliquando provocarunt. Constituto die utrinque ad disputandum conveniunt: sed Lutheranici, quasi ad prælium, armati. Non ita convenisse inter se, ut telis scilicet de proposito decernant, cum adversariis expostulant academici: argumentis secum, si quid scirent, disputatores, non verubus istis mirmillones, sententiis non cœstibus, decertarent: inermes se convenisse; ab ipsis armis scholasticis paratos. Contra inhorrescere illi, telisque suis et numero freti, maledictis æmulos modestos lacessere: jactare proba in Ecclesiam catholicam, in Romanum Pontificem. Utrinque hinc animis incalescentibus, a jurgiis cooriuntur in pugnam. Superiores quidem nostri causa et accurrentium sodalium numero cedunt modesti furentibus: cedentes lapidibus cæduntur; tres cæteris gravius vulnerantur. Hi maxime afflicti, miro plane modo convaluerunt; ut appareret, bonam juvenum mentem valuisse apud Deum ad excusationem imprudentiæ.

*Vilnæ inter Academicos et pueros scholæ Luteranicæ pugna.*

41 Ad tragœdias lutheranicæ Vilnensium scholæ appone infelicem scholastici e gymnasio Vendensi adolescentis exitum: nam is quoque inter lutheranos libentius quam inter catholicos versabatur, sæpius ille visus in fanis illorum et ganeis quam in templis nostris et cœtibus juvenum modestorum. E Societate, in qua exegerat annos aliquot, dimissus, Vendæ, parentum disciplinam veritus, commune licentiæ suæ et lasciviæ domicilium collocavit; hic juris sui ac mancipii homulus, dum lustratur, et, quidquid libet, impune facit, repente gravem in morbum incidit. Ad periculum accurrit e Collegio sacerdos: monet obsti-

*Vendensis juvenis e Societate dimissi mors.*

natum, propositis remediis salutaribus ; æger fastidiose rejicit medicum, fastidiosius medicinam. Repulsus monitor redit postridie, monet etiam atque etiam pervicacem, saluti suæ ut consulat; respuentem consilia et monita revisit tertium; quidquid pereunti prodesse poterat, dolens miseransque medicinam animi ægro, ac pene jam moribundo, dictis quam suavissimis propinat. Ille, ut aversus ad contemptum sacerdotis jacebat, retorto vultu, oculis Patrem intuitus minacibus : quin tu, inquit, ad corvos abis cum tua, quam suades, confessione, bipedum nequissime ; non committam, ut hodie tu de me apud sodales tuos triumphes. Suprema hæc scelerati vox juvenis fuit : mox ardentibus oculis, truculento vultu, spumam præ ira bilemque mandens, animam evomuit. 1619

42 Varsaviæ flagitiosæ mulieris pœnitentia.

His adde, licet, flagitium mulieris et supplicium : excipe tamen mortem, eamque violentam ac sanguinariam ; sed feliciorem multo eam, quam illius Vendensis asoti fuerit. Pepererat innupta in agro Varsaviæ suburbano, quo se, periculi conscia proximi, clam contulerat ; hic, metu prodendi flagitii, fœtum salices inter vepresque destituit, morti facile obnoxium : itaque sibi defuncta jam periculo videbatur, gaudebatque in sinu reversa domum. At nusquam tutæ sceleri sunt latebræ : nec ignem tunica, quod Plutarchus etiam monet, nec turpe delictum tempore occultaveris. Cum imprudens fœmina rem suam in tuto (in illis scilicet vepribus) esse putat, ecce tibi vagus miræ magnitudinis canis rictu infantulum ex agro in urbem, rectaque domum affert ad puerperam, sarcinam illæsam deponit ante matris pedes, domesticis circum spectantibus. Mirari omnes : ipsa, flagitii conscia, mulier pallere, et se suumque crimen prodere. Vincta est, addictaque suspendio. Præparanda ad supplicium curæ Sociorum commendatur. Respexit miseram misericors Deus : ita hæc sententiam mortis, ita mortem excepit fœmina, ut suæ tristis scenæ spectatores in admirationem magnam traduxerit. Ipsa suum publice dolens damnabat scelus : ipsa suæ laudabat decretum necis. Deprecans mortales, orans Deum, ne peccata sua æternis mactaret suppliciis, tortori cervices subdidit magno animo.

Peccatum miro proditum modo.

43 P. Carminatæ elogium.

Panormi XVI kalendas quintiles, vir in primis de Lituanis nostris bene meritus, P. Joannes Carminata curis laboribusque vitæ mortalis defunctus est. Hic est, a quo dimissi etiam ex Societate salutare possint petere exemplum. Juvenis ille, mobilique per ætatem ingenio, cum inter Societatis tirones adhuc versaretur, in suo nescio quid pertæsus vitæ instituto, obtentis causis ad speciem justis, dimissionem impetraverat. Errore mox deprehenso, facti pœnitens, ut suum restitueretur in locum, precibus egit supplicibus. Receptus, eam continuo ingressus est

Dimissi exemplum imitandum.

1619 ac deinceps persecutus viam, ut pietatis et meritorum laude multo plures quam ætate, ad octoginta provectus annos, anteierit. Maturus ad res gerendas, præter siculam, romanam, et venetam provincias, lituanicam et polonicam insigni prudentia, charitate, atque industria gubernavit. Munus assistentis ab italicis provinciis, præposito generali Claudio, præclare sustinuit. Omnibus vel naturæ vel doctrinæ præsidiis ad dicendum paratus, annos prope sexaginta, alienissimis etiam ab hoc officio impeditus muniis, concionabatur approbatione populi et utilitate præcipua. Hujus concionibus, Neapoli habitis, ad sanctius vitæ institutum, et Societatem ineundam permotus fuisse dicitur clarissimus vir ille, Bernardinus Realinus. Cardinali Bellarmino carus in primis fuit; hoc sui Joannes animi per confessiones arbitro, et in rebus perplexis consiliario, familiariter utebatur. Amavit eum sanctissimus etiam convictor suus in Collegio Romano Aloysius Gonzaga, suæ sanctimoniæ et morum imitatorem diligentem. Pluribus commendat Joannem historicus Societatis P. Julius Cordara. Sed his æquius Lituanica provincia vindicat sibi laudes Patrum,

44 PP. Veltherus et Boierus.

Joannis Ambrosii Veltheri, et Laurentii Boieri, alienigenarum et horum quidem; quos tamen usus longior, et ipse in hac provincia obitus magis facit nostrates. Joannes, e superiore Germania in Livoniam anno circiter 1582 accersitus, in eadem provincia, maxime in Esthonia, utilissime versatus, cum ab erroribus et consuetudinibus pravis complures dictis scriptisque, lingua etiam esthonica, quam multo condidicerat labore, ad professionem fidei christianæ et vitæ christianæ pertraxiset: a Carolo Sudermano principe, Livoniam populante, Derpati comprehensus, et cum sex e Collegio sociis abductus in Sueciam, præclaris ibi documentis virtutem suam vir fortis populo illi approbavit. Ibi Joannes in vinculis, in summa rerum inopia, solari captivos sodales, et ipse miser, dolorum fomentis mala duræ servitutis levare: laceras sociorum vestes et calceos, minime olim ejus artis sciens, reficere: barbarorum animos tum donis sciathericorum, scitus horum artifex, tum comitate (quæ suos mores commendabat præcipue) sociis conciliare studiit. Quinquennium in illo diro patientiæ gymnasio, fame ærumnisque prope enectus, exegit cum sodalibus. Dimissum complexa Brunsberga. Ubi post tantas

Poeta insignis laureæ.

jactationes quiescendum erat, ille, non secus ac si recens atque ab otio rediisset, totum se in rei divinæ et salutarem aliorum curam impendebat. Dolebat, angustio hoc loco, quam in Sueticis fuisset carceribus, sibi bene merendi esse campum: quare ut in illam arenam suam sibi redire liceret, suos orabat præsides. Ita affectum servum suum Deus e Collegio Brunsbergensium ad requiem vocavit

sempiternam. Eodem abiit religiosissimus, et in primis eruditus vir, P. Laurentius Boierus, gente Suecus, patria Stokholmiensis, poeticæ artis laurea insignis, anno ætatis vigesimo et quarto in Societatem acceptus ; docuit rhetoricam et poeticam annos novem, mathematicam professus triennium, theologiam polemicam annos aliquot. 1620

45. Varsaviæ templum casus aperit.

Varsaviæ templum Sociorum, imperfectum adhuc introrsus, anno 1620, XII kalendas decembres, occasionem aperiendi eventus dedit tragicus. Ad ædem proximam beati Joannis, quam vocant Collegiatam, rex et proceres diebus festis conventabant. Præclusus is aditus ecclesiastico interdicto, propter immane crimen. Inter comitia regni generalia, Varsaviæ de suscipiendo adversus Turcas bello habita, Michael Piekarskius, homo in familia nobili quidem et opulenta natus, sed a prima idem pueritia non bene institutus, ad hæc natura vecors et præceps ad omnia, atrox edidit facinus. Huic regendo fortunisque suis administrandis tutores probos nuper præposuit rex, rogatu suorum maxime affinium. Acerba stulto fuit et iniqua ea rerum suarum cura. Hinc furenti promptum consilium : XVII kalendas decembres, festo die, hora, qua sciebat iturum regem ad supplicandum cum populo, ad fores templi armatus imminet in occasionem necandi principis ; subeuntem ferit rostrata, parata ad cædem, clava ; sed ictum humero, fallente plaga, quam iterata vi capiti intentasset. Abreptus ad tortorem parricida. In quæstionibus, præter confessionem facti, exprimi potuit nihil ex malefico. Decretum supplicium per eadem comitia. Ferali per urbem vectus plaustro, per intervalla candentibus laceratus forcipibus ; præcisæ manus sanguinariæ ; concitatis in diversum equis discerpitur : discerptus exuritur ; exusti cadaveris cineres e bellico tormento disploduntur : ita puniti bona in publicum addicta. Clementia regis, veniam pœnæ ultro sua dantis sententia, apud judices gentemque, principum suorum amantissimam, nullo eam simili adhuc infamatam scelere, valere non potuit. Moderatione pœnæ hinc quoque parricida indignus erat, quod remedia salutis æternæ, per curatores ejus sacerdotes oblata, obstinatus diu respueret, necemque principis optimi quam veniam criminis vitamque suam præoptaret. Vocatus ad latronem e Sociorum collegio sacerdos, de negotio salutis sempiternæ commonendum ; hunc ille ut conspexit, præsentis etiam conditionis suæ ab ira immemor, unum quærit : si viveret ex afflictu hesterno Sigismundus. Affirmante id sacerdote, frendere ille, suaque concutere amens vincula : devovere, mandendam Cerbero, manum, quæ ita sui impetus animi viresque in ventum effudisset. Ita miserum occupavit vecordia, ut dirum facinus

Cædes Sigismundi Regis ab amente sicario.

1620 suum, quasi illud heroicum amaret, totique posteritati putaret commendabile. Triduum quæsitis omnibus ad salutem viis oppugnata a Sociis scelerati insania pertinax rationi denique concessit. Tandem aliquando criminis auctorem, sive impulsorem, non jam (quod animo persuadebat suo e doctrina Calvini de causa peccatorum efficace) Deum, sed malum omnino dæmonem suamque pravam voluntatem esse intellexit, idque sanior affirmabat; se propterea ipse condemnabat; probabat decretum, leniusque dicebat esse suo merito supplicium. Violata per cædem, clausaque interdicto Collegiata ecclesia, ornatum festinanter proximum Societatis templum, apertumque monitu regio, deinceps exemplo regis frequentari cœpit (1).

46 Regiomontum Socii a principe Borussiæ accersuntur ex Varmia.

Prutenorum sive Borussorum princeps, Brandeburgicus elector, magnam Sociis nostris Varmiensibus voluntatis suæ admirationem movit, pariterque spem fecit recipiendæ in Prussiam, jam diu exulis, religionis catholicæ : nam, quos ante vix pati poterat considentes in vicina suæ provinciæ Varmia, ille Jesuitas invitavit tandem Regiomontum, missis etiam curribus suis Brunsbergam. Advectos accepit benigne atque honorifice. Atqui alio spectabat ea principis humanitas; ad profitendam scilicet voluntatem suam legato Polonorum, languenti apud se ex casu. Spectaculum in theriotrophio venatorium legato dabat Borussus. Figebat et ipse feras alacer : inter eas alcem mediam sic trajicit ut eadem glande legatus, ex adversa spectans scena, vulneretur. Casu tametsi minime voluntario, conterritus princeps, e vestigio ad saucium, veniam orat : solatur : languentem apud se curat diligenter. Inter hæc monet amanter, si quid a se postularet, prolixe se facturum. Ad hæc æger : pergrata, inquit, ista mihi, princeps, erga me voluntas tua; ad cumulum porro tuorum in me beneficiorum perutile mihi munus adjeceris, si oppido, quocunque illo, proximo sacerdotem, eumque Jesuitam, ad tractandum secum salutis meæ negotium jusseris accersi. Nihil moræ. Duo e collegio Brunsbergensi Patres adducti : benignius spe sua a principe accepti ac deinde sunt habiti. Secundum curas ægro impensas, vigilabant intenti in occasionem lucri salutaris in aula principis hæretica faciendi; ecce vero hanc ipse princeps offert; coactis in palatium Regiomontanæ suæ academiæ primis magistris, præmonitis illis atque ad certamen instructis. Provocati Brunsbergenses adversus præsidentes istos pugiles descendunt alacres in arenam. Objectæ lutheranorum sententiæ. Disceptatur in conspectu principis et frequentia procerum aulicorum. Repetitæ per eos dies aliquoties controversiæ, sed fructu nullo; hæreticis, quod ipsis so-

Controversia cum hæreticis de Religione vera.

(1) Varsaviæ apertum templum domus nostræ.

lenne est, hæc verbose tractantibus, illa arte sophistica eludentibus. Proclivius denique erat, ea probari istis arbitris, quibus ipsi a pueritia imbuti essent, quæque a præclaris lutheranicæ scholæ magistris suis, in illo theatro suo adversus advenas, eosque duos ipsos a multis, hinc illinc, quæ cuique venirent in mentem, multa simul diversa, eaque superbe jactarentur. 1620

47. P. Tolgsdorffi bona merita et obitus Vendæ.

Vendæ P. Ertmannus Tolgsdorff, Prutenus, a Varmia oriundus, e numero mortalium defluxit IV nonas octobris anno, ætatis suæ 70, a tirocinio initæ in Societate vitæ 39. In Collegium canonicorum cooptatus olim, Martino Cromero Varmiensium episcopo, in Livoniam, nuper ex Moscho a Polonis receptam, ad repastinandum agrum illum, cujus cultus annis abhinc quinquaginta consenuerat per hæresim lutheranicam, episcopo diœcesis Ottoni Schenkingo in subsidium missus, Deo industriam suam et mortalibus probavit; in tractu maxime Volmariæ, curis suis commendato. Linguam gentis, cæteroqui difficilem, studio juvandorum hominum incenso, brevi tam perfecte condidicit, ut, si natus in ea esset gente, et christianæ legis dogmata per se exponeret, et eundem in usum libellos conscriberet. Doctrinam Ertmanni et religionis catholicæ magisteria etsi non libenter acciperent hæretici, non amare tamen mores hominis, industriam, et cæteras laudes non poterant. Facilius quoque visum ipsis cum uno sacerdote romano negotium, quam cum pluribus ejusdem religionis hominibus, eisque Jesuitis : quibus hic Riga exturbatis, in partem muneris aliquam, et qui res Collegii templumque divi Jacobi, sibi commissa, tantisper curaret, regis jussu successerat. Ita porro ille res et munera Sociorum exulum tanta administrabat diligentia, ut si jam tum unus foret e nostris. Cœnobium virginum olim, nostrum jam id temporis domicilium, quibus fecisset vitium, refecit accurate, atque ornavit etiam ; conciones et ritus Ecclesiæ restituit. Odas sacras cani olim ad sacrificia solitas, quas seu ipse seu alii memoria tenuissent, conscriptas, in ordinem et libros digessit ; puerosque cantores in Ecclesia instituit; earum usus hodieque in Estonia viget, in provincia illa ex Livonicis apud nostrates reliqua. Restituto in locum suum Rigensi Collegio anno 1581 lætus non modo res ac prædia repræsentavit, a se conservata, sed ipse etiam se Societati tradidit. Acceptus, et Cracoviæ inter novitios nostros doctrinis nostris institutus, remissus est in Livoniam, ad instituta ibidem a se utiliter persequenda. Inde expeditius etiam in salute civium versatus est labor suus. Acceptus in comitatum ab episcopo, Livoniam suam perlustrante, perscrutatus est omnes paganorum latebras, opportuna locis afferens remedia cum per se, tum per Socios, aliunde etiam contractos. Multo plus erat negotii Ertmanno, exercitu Caroli

1620 Svetico annos 14 amplius armis, fame, inde pestilentia etiam Livonicos agros perurente. Ille tum maxime cives in vacuis oppidis et pagis, in sylvis latitantes et speluncis, conquirere, et quibusquibus posset fomentis miseros reficere; isque ætate jam ingravescente, valetudine infirma, injuriis et periculis obnoxius : hinc sibi hostibus hæreticis, illinc latronibus, passim occursantibus. Quam ob rem oppidanis rusticanisque adeo fuit carus, ut omnes communiter Ertmannum pro parente suo haberent, carissimisque sibi nominibus, jam senis domini, jam patris sui, sui antistitis pii, vocitarent. Laborum inediæ, ærumnarum, non modo tolerans, sed etiam cupidissimus, ad supremos senectutis dies habebat semper sibi propositum, quod ageret utiliter : nunc ad forum pœnitentiæ accusanti se populo aderat assiduus : nunc concionabundus hortabatur : modo rudimentis christianæ doctrinæ instituebat plebem : modo ægrotos medicus animorum invisebat : nulla sibi, ex eo maxime tempore, quo in Societatem aggregatus esset, boni muneris unquam fuit vacatio. Mortem (1) Patris, lætam illam, spei plenam optimæ, omnium, Vendensium in primis civium, excepit desiderium, multorum etiam comploratio.

(1) Mortuus IV nonas octobris, annum ætatis septuagesimum emensus.

## LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER SEPTIMUS

(1620-1630.)

1621
Grave regno Poloniæ tempus, summæque rerum civilium decretorium, coortis 1
hostibus valentissimis: hinc tyranno Turcarum Osmanno, illinc Gustavo, Bellum Turcicum
Suecorum duce, summa vi pariter in polonici perniciem nominis incumbenti- apud Chotimum.
bus. In communibus reipublicæ periculis nostræ quoque provinciæ et res et supplicationes et vota et, quod summum, pius de cœlo gentis servator suæ, noster divus Stanislaus Kostka, locum habent. Non alienum ergo instituto nostro erit, aliqua utique rerum publicarum capita rebus hic nostris interponere. A nupera Polonorum apud Cecoram clade insolentior Osmannus, spe universæ Poloniæ occupandæ et cupiditate inflammatus, contractis ad quadringenta millia copiis, Polonorum provinciis, quas a Tyra ad Balticum usque suis præsidens destinavisset victoriis, imminebat. Jam hostis prope in acie, dum nostrates interim consultant suis in comitiis Varsaviæ: tum demum hi, unde cogi possit exercitus et adjungi auxilia, tum de committenda certo duci summa belli inter se disceptant; inter hæc vero nuntii alius super alium trepidi afferunt, jam hostem adesse, eumque viribus immanem et numero. Ergo raptim contractis equitum ter denis peditumque universe millibus, sustinendi tantisper in finibus hostis, dum rex ipse, justiore con-

1621] Causa belli. fecto exercitu, superveniret, duci exercituum Lituaniæ Joanni Carolo Chodkiewicz datur negotium. Summa imperii tradita regio principi Vladislao; oblato eidem per nuntium romani Pontificis, Franciscum Diotalevium, vexillo sacro, in quo erat expicta belli causa : religionis christianæ simulacrum, crux salutaris, e pectore aquilæ Polonorum gentilitiæ emicans, attextaque hæc tessera: *pro gloria crucis*, adversus scilicet hostem christiani nominis immanissimum. Sed Vladislao, generoso illi principi, animis uti suis non fuit integrum, occupato febribus, et toto fere belli tempore in castris detento. Summa ergo imperii translata ad Lituanicum ducem Joannem Carolum; omnia hic ad suum maxime arbitrium habuit belli consilia. Ineunte sextili, castra apud Chotimum metatus est: quatuor supra triginta millia peditum equitumque. Accidit forte, ut ad istam manum, quibus nescio impulsi causis, velites a Zaporovia Cosaci sponte se aggregarint, facta sibi armis via per medios Turcarum cuneos. Conspecto ducis Polonici exercitu, et præ suis tot millibus contempto, victoriam Osmannus spe et opinione devoravit. Primi Polonos præliis lacessunt barbari; at suo illi etiam atque etiam infortunio : quoties aggressi, toties per insignem stragem suorum aversi. Frequentiores inde congressus ac pugnæ ad justi etiam belli speciem. Decies acie dimicatum, superiore semper virtute nostrorum et fortuna; ut ipsis etiam barbaris manifestum foret, virtutem divinam facere a Polonis. Quartus kalendas octobres, divo Venceslao, regni Poloniæ patrono, sacer, dies fuit universæ fortunæ bellicæ decretorius: ea luce, ab ipso fere ortu ad vesperam usque tota virtute continenter pugnatum, denique debellatum est. Jam in acie sexaginta suorum millia quos mars perculisset, plura multo quos cœli tempestas bellique confecissent incommoda, dolenter spectabat circum, suæ victimas impietatis et superbiæ, Osmannus. Accidit interea, totisque castris dissipatur fama, imminere ipsum regem Sigismundum, cum multis millibus summoque robore exercitus. Ad hæc disputare in suo concilio, futurosque eventus præcipere ex præsenti: tanti illam videlicet christianorum manum non vim modo tanti sui exercitus sustinuisse, sed funera etiam Osmanno edidisse tam multa. Quid porro non sibi metuerent a copiis Sigismundi recentibus? Cadere itaque animis barbari, atque spectare alia; tentare per legatos, et convenire Polonici imperatorem exercitus; qui denique pacis conditiones, nuper sibi a Polonis oblatas, rejecerant superbe, modo easdem ipsi ultro poscere.

Prælia. — Bellum decretorium. — Victoria insignis.

Pacta cum hoste. Obniti diu nostrates postulantibus prudenter non poterant, hostibus illi non modo inferiores numero, sed viribus etiam maxime per famem, commeatu a

barbaris intercepto. Pax ergo æquis utrinque conditionibus conficitur VII idus 1621
octobres; consequitur inter fessos bello utrinque gratulatio. Erat vero, quod desideraret pars utraque: et Turcæ quidem centum amplius suorum millia; nostrates autem suppetias nervumque belli ad ampliorem victoriam. Quapropter Sigismundo, præstolanti adhuc apud Leopolim relictis post tergum agminibus, non optatissimus accidisse fertur ejus fœderis nuntius. Divino ille numine et causæ suæ æquitate fretus, sperabat fore ut aut hostem omnino contunderet, aut, quas utique vellet ipse, conditiones pacis a barbaro seminece exprimeret. Quando tamen quidem jacta jam esset in castris alea; supersedendum bello, neque temere lacessendam ultra fortunam ratus, pactionem utrinque propositam accipit, confirmatque. Postridie statim ejus diei recipiunt se, impatientes ejus dedecoris sui ac damni, linguntque sua vulnera barbari. Horum plures multo, quam occubuissent in acie, in reditu, amissis belluis etiam clitellariis, saucii exhaustique, pluvio ac perfrigido autumno, in tesquis passim, passim in uliginosis locis intereunt, triploque pauciores suæ nuntii cladis, pollingenda nuribus suis terga referunt Byzantium.

Pœna hostis christiani.

Poloni, divino incolumes præsidio, tumulatis suorum corporibus, interemptorum quadringentis non plurium, Deum læti, suum Dominum exercituum, festis etiam epiniciis reduces collaudant. Per latus poloni regis petebantur cæteri principes in Europa christiani: ad hos quoque omnes pertinere debuit ejusdem victoriæ gratulatio. Enimvero hoc nuntio lætati sunt omnes: in primis romanus Pontifex Gregorius XV. Pro eo tanto Dei beneficio et ipse publice ad aras egit gratias supplicatione celeberrima: et diem VI idus octobres, quo victus hostis submotusque ex acie, sacrum Domino exercituum, festumque Polonis diem quot annis per officium divinum peculiare et sacrificia esse jussit; quod deinde Urbanus VIII rogatu Vladislai IV, confirmavit. Hactenus de re communi. Jam de his, quæ peculiaria sunt magisque nostra. Divina haud dubie virtute, non humanis viribus, hosti tam potenti extorta est victoria: hanc Divo Stanislao deberi, et Polonia agnovit omnis, et Deus certis ostentis declaravit.

Publica gratulatio.

Victoria patrocinio B. Stanislai Kostka parta.

Sane eo ipso die, sexto scilicet idus octobres, quo Turcæ concesserunt victoribus, aliquot prudentibus rerum æstimatoribus, sapientibusque eisdem et sanctis viris, cum, pleni expectatione eventus bellici, rem christianam in eo discrimine suæque salutem patriæ supplices Deo commendarent, de negotio transacto (id quod jurati confirmarunt) divinitus se monitos agnoverunt spectaculo ejusmodi. Videre sibi visi sunt theatrum belli in campis Chotimensibus: hinc a Tyra immanem barbarorum exercitum signis irruentem infestis, illinc ab oppido intenta in

1621 Spectaculum mirum et amabile.

se propulsantes pericula polonicæ gentis legiones : superne, via quasi lactea, a septemtrionibus orientem versus (quam spectat plagam Moldavia, ejus belli campus) perillustri vectam thensa, illam auroram consurgentem, pulchram ut luna, electam ut sol, cum puero Jesu Virginem Beatissimam : ad horum pedes supplicem Stanislaum, eo vultus simulacro, ex quo facile cognosceres, a Beatissimo cive rem suæ Poloniæ precibus commendari : arridere deprecatori Matrem piissimam : Filium clementissimum servulo suo annuere. Non somniantis illud erat miraculum, inquit in sua historia de rebus patriis, senator polonus, Gedanensium castellanus, Stanislaus a Kobierzycko Kobierzyckius (1), cui fidem dies « stabilitæ pacis, quin ipsum pene momentum adstruxerat. Quæ quidem Dei « optimi benignitas Cœlitumque favor me permovit, ut rem loco attexere non dubi- « tarem : nam ut dubia et admiranda e triviis aut circumforaneis schedis conqui- « rere, procul gravitate suscepti operis habuerim ; ita serio traditis, eventuque « comprobatis, silentio fidem adimere, profecto et divorum, qui prope damnantur « cum prætereuntur, injuriam duco, et ab homine catholico, veluti beneficii minus « grato, alienum existimo. Exstat ejus beneficii monumentum Cracoviæ, in templo « Societatis, divis apostolorum principibus dicato, in sacello ibidem Beati « Stanislai magnifico, ingens tabula, in qua hæc legas : *Dum Osmannes, Turca- « rum imperator, insigni suorum clade ad Chotimum bello Dacico adactus, de « pacis fœdere sanciendo cum Polonis hæret : Beatissima Dei Mater unicum « christiani nominis propugnaculum, cum infante Jesu rheda invehi conspecta « est, præsentem Poloniæ opem allatura ; supplicante coram Beato Stanislao Kostka « Societatis Jesu pro patria, pene extremum tunc periclitante*. Jam vero Sigis- « mundo rege cum universæ nobilitatis ordinibus ad castra sui exercitus proce- « dente, dum hostis inglorius finibus excedere cogeretur, eo ipso tempore sacrum « divi hujus tutelaris caput, alia regni parte, in Poloniam communi omnium « solatio inferebatur per illustrissimum reverendissimum Dominum Achatium « Grochovski, episcopum Luceoriensem, Roma ab admodum R. Patre Mutio « eidem serenissimo transmissum... etc. etc. »

2 Joannis Caroli Chodkiewicz laus et obitus

Inter nostrates castrenses, hujus gloriæ participes, primas sibi vindicat laudis partes virtus ducis fortissimi, Joannis Caroli Chodkiewicz ; cujus maxime consilio, imperio, et ductu salus suorum constitit et victoria. Hujus fructum laudemque reliquam cum imperio dimisit suo collegæ, ea tempestate dapifero regni, Stanislao Lubomirskio ; ipse, senescente jam bello, ad immortales (quod existimare licet)

(1) Historiæ Vladislai IV, lib. X, pag. 847.

triumphos evocatus a Deo, VIII kalendas octobres, e Chotimensi castello. Natus in antiquissima gentis Lituanicæ ac principe familia, parentibus Joanne et Christina, Zborovskiorum castellanorum Cracoviensium filia : comitibus in Szklov, Mysz et Bychov, gubernatoribus Livoniæ, ducibus exercituum Lituaniæ. Pater Joannis Caroli rebus multis domi militiæque gestis senator et imperator inclytus. A Calvini secta ad Ecclesiam catholicam opera theologi nostri Francisci Toleti, quem cardinalis Commendonus, Romani Pontificis ad Polonos legatus, comitem adduxerat, revocatus (1) sub comitiis regni, habitis Varsaviæ an. 1572, Societatem nostram adamavit. Præter alia sua beneficia illud est, quod regis Stephani consilium in confirmandis academicis Collegii Vilnensis privilegiis sententia sua curaque promoverit. Hujus natu minor filius, hic noster Joannes Carolus, Alexandri Trocensium palatini frater, primum pocillator Lituaniæ, deinde præses Samogitiæ capitaneus, et dux campestris, denique Vilnensium palatinus, gubernator Livoniæ, et supremus dux exercituum Lituaniæ. Ad res armis gerendas natus, jam puer, visus est regi Poloniæ, cum aliquando Vilnæ regem hospitem nomine academicorum salutaret, contemplatus oratorem princeps, eam animi præsentiam, illos vultus pueri martios, prænuntiasse fertur : fore hunc aliquando heroem magnanimum ac ducem. Ad id Joannes suopte ingenio fingebatur. Nullus sibi jucundior sermo quam de actis heroum rebusque bellicis. Versatus peregre in Hungaria, Germania, Italia, Melita, Gallia, Hispania, Lusitania, Belgio, Scotia, Anglia, multarum rerum et artium in primis militarium scientiam consecutus est. Eadem occasione multorum principum, inter alios illorum celebrium bellatorum, Albani, Parmensis, Austriaci, Mauricii, conciliavit sibi amicitias. Prima huic exeperiendæ virtutis aperta occasio in campis Moldaviæ, adversus ejus provinciæ palatinum, Michaelem, secuto ducem clarissimum Joannem Zamoyskium. Crescentibus inde animis, fortia et ipse meditari, domique per otium, coactis in campum distributisque in cohortes et turmas aulicis paganisque servitiis, instruere acies, committere adversas partes, pugnaque umbratili collidere : sustinere, perfringere, turbare, restituere : adoriri circum septos aggeribus, obsidere, vineas pluteosque agere, oppugnare, hinc illinc hostem summovere, et cæteros ejusmodi ludos edere suis vernaculis. Hæc ille præ conviviis, choreis, theatrisque comœdorum amabat. In tali hippodromo cum aliquando ipse magister equitum pro seria re ageret, prolapsus ex equo pedem fregit. Nuntio interim accepto, rem agi patriam, expugnante Livoniam Sueco, contineri haud potuit,

*[Margin notes: 1621 — Nobilitas generis. — De Collegio Vilnensium Academico bene meritus. — Ingenium Joannis martium. — Amor et studium artium bellicarum. — Usus armorum laudabilis.]*

(1) Joannis pater ad Ecclesiam per P. Toletum aggregatus.

1621 quin ad castra, nondum ille a casu firmus, evolaret. Non prius utique eo se vertit, quam precatus numen divinum, initiatusque ab episcopo gladium et vexillum accepisset; professus hoc pacto, non usurum se armis nisi ad religionis defensionem aut patriæ. Adde, quod traditur, Carolum eam professionem jurejurando ac syngrapha, suo conscripta sanguine, confirmasse. Gratum id fuisse Deo, eventa tot prospera comprobarunt. Mille quingentos apud Revaliam anno 1604 : quatuor millia apud Derpatum eodem anno : septem millia ad pagum, cui nomen ab Albo lapide : alibi alias, majores etiam, hostium copias profligavit. Undecim millia et trecenos apud Kircholmum ad internecionem cecidit, ipso Suecorum principe Carolo in fugam acto, duobus fugientium millibus in gurgitem præcipitatis ac submersis (1). Gratulatus duci de victoria Romanus etiam Pontifex, Paulus V, in sua ad Joannem epistola, anno 1605 data (2) : « plane, inquit, specimen dedisti « fortissimi atque sapientissimi ducis; et nos hanc tuam præstantem virtutem, « qua generis tui præclaram nobilitatem adeo illustrasti, mirifice laudamus, « teque ob id, ut filium valde dilectum in Domino complectimur. » Duo Luneburgici principes, Caroli Suetici auxiliares, cæsi; quibus etiam funeris arbitria Rigæ solvit magnifice : idque pii victoris officium hostes etiam multis præconiis laudarunt. Revalescentem per intervalla, persecutus Gustavum, tota Livonia, comite ubique victoria, agitavit. Sex millia hostium apud Dunæmundam funditus perdidit. Mansfeldium, Suetici ducem exercitus, a Derpati mœnibus rejecit seminecem; inde Parnaviam, exciso hostili præsidio, redipiscitur. Volmaria instructissimas hostis copias, nocte intempesta adortus, exturbat : reliquis Livoniæ munimentis emovet, fugientesque passim sternit : naves Suecorum subsidiarias exurit alias, alias deprimit, reliquas cum annona et armis correptas usibus suorum servire cogit. In eas denique Gustavum angustias compulit, ut qui bellum violentus commovisset, pacem redimeret precibus. Vix dum ista confecerat, cum in Smolensciam adversus Moschos arma transferri res postulat. Hic quoque fortuna virtuti obsequitur; depellitur hostis, depulsus apud Mosaiscum profligatur. Obsessis Moscuæ ac pereuntibus fame Polonis annonam infert. Severiam et Czernichoviam adimit : in patria tumultuantes pacat : perduelles regi ad obsequium cogit : arces Bychoviæ, Lachoviciis, et alibi restaurat communitque. « Longo « armorum usu (laudat hunc alienigena historicus) et multis præclare partis

Labores bellici et victoriæ.

(1) Vide præter alios Bulleng. Gallum, Lib. XII, pag. 366.

(2) Ex cod. ms. Collegii Ostrogiensis Soc. J. apud Gasparum Niesieckium, Lib. *Korona Polska*, Littera C, pag. 277.

« victoriis probatus dux non manu magis quam consilio promptus, disciplinæ vero 1621
« militaris severissimus exactor. » Ad consilia prudens, ad usum ac disciplinam peritus, historiæ et geographiæ sciens, litteratorum amans, quodque summa laudum, vir pius, amans Dei ac reverens. Quot hebdomadis confessione sacramentali lustrabat animum : quotidie sacrificio altaris supplex aderat : ante conflictum omnem sic se comparabat, ut noctes in supplicationibus exigeret; neque se quieti traderet, nisi perbrevi, atque in nudam provolutus humum, tergo prius flagellis perusto. Procedens in aciem, veterem illum Divi Adalberti archiepiscopi Gnesnensis hymnum vernaculum : *Bogarodzica Dziewica*, in suo exercitu pro epinicio cantitabat. Religionis amplificandæ studio multa egit præclara. Cœnobia, Cretingæ patribus ordinis Franciscani, quos Bernardinos vocamus; Bychoviæ canonicis S. Augustini regularibus, Crosis templum, domicilium et gymnasium Collegio Societatis, alibi aliis, ut Derparti, Myszæ, Rigæ, condidit, ornavit, stabilivit. Cum aliquo se, præsertim ad templum cum sua conjuge conferret, spargendorum in mendicos nummum duo ferebantur marsupia: alterum ab assecla heri, ab heræ pedissequo alterum. Cœlitum cultor eximius, patrociniis eorum, maxime B. Stanislai Kostka fidenter feliciterque utebatur. Atque Divus Kostka, Livonico etiam bello, ante ipsum in acie cum Suecis conflictum, spectabilem se Carolo e nubecula obtulisse fertur, manantem ille cruore gladium distringens, minitansque perniciem hostibus. Habitus oris viro plane heroicus, erectior severiorque vultus, qui se intuentes reverentiæ admoneret : frons exporrecta : nigelli acutique oculi : statura perquam justa, et ad dignitatem apposita. Natura ad iracundiam erat incitatior; quam tamen virtus suavitate sua temperaret. Belle expressum, aiunt, esse in suo simulacro, quod in hortis Medicæi M. ducis Hetruriæ inter signa clarissimorum heroum visitur. Vixit annos sexaginta amplius. Corpus Chotimo translatum in oppidum Ostrog mense decimo quarto ab obitu, ibidemque sepultum (1).

*Pietas ducis et liberalitas.* — *Cultus Divorum, in primis B. Stanislai Kostka.* — *Imago vultus.* — *Sepulchrum.*

3

Polonis Turcico distractis bello, Gustavus Adolphus, Caroli ducis Sudermannici filius, idoneam fraudis faciendæ legitimo regni Suetici hæredi Sigismundo, regi Poloniæ III, nactus tempestatem, trajecto 24 millium e Suecia in Livoniam exercitu, ineunte mense septembri, non observatus immigravit. Obnoxia ibi clandestinis consiliis erant omnia. Rigæ præsidiarii in mœnibus treceni non amplius : arcis Dunæmundæ custodia nulla : suppetiæ aliunde callipides atque invalidæ :

*Sueticum bellum in Livonia.* — *Riga proditur ab hæreticis;*

(1) Laudes principis præter alios poeta noster Sarbievius celebravit. V. hujus Poemata collecta et edita Vilnæ an. 1757. — (2) Vid. in Facie Rerum Sarmat. P. Naramovski, pag. 297.

1621 cives hæretici in lutheranum principem Gustavum quam in catholicum regem proniores: ipsique proditionem jam diu meditati. Itaque Rigensis civitas, parum cunctata, Adolpho deditur ad VIII kalendas octobres. At potuisset illa semestri minimum spatio obsidionem sustinere, quæ et suis mœnibus esset firma, et instructa satis ab annona armisque, et præsidiarios plures ex sese legisset facile. Noluit ad bimestre utique tempus præstolari suppetias a Lituania. Causa præcipitis consilii una, quam diximus : pronior in principem lutheranicum voluntas ; huic obsecuta, nihil morata consilium ducis Christophori Radivilli, qui ad periculum, coactis raptim aliquot turmis, advolarat, pollicitus certa, propediem affutura, ex Lituania et Russia auxilia. Riga ergo se suoque exemplo cæteras Livoniæ prodidit civitates. Invidiose hic etiam, nempe more suo, Jesuitas criminatur Paulus Piaseckius (1).Defectionem ille Rigensium Collegio ea in urbe Jesuitico assignat . « Non pauci, inquit, ibi (Rigæ) tam ex senatoriis, quam ex plebeiis ad novandas « res jam dudum propendebant, exacerbati molestiis perpessis, in jurgiis et con- « troversiis forensibus continuo apud regium judicium cum religiosis Societatis « Jesu collegii Rigensis agitandis ; ex quibus eousque impatientiæ processerant,ut « Ulricus syndicus illius civitatis, aliquando perorans coram rege, et frequenti « senatu, in quibusdam libellis contra illos religiosos [prope ducentas (papæ « tam multas !) tunc habebant, et pene totidem aliæ sub hoc belli tempus (uno « scilicet atque hoc ipso anno?) ab iisdem religiosis illatæ illis fuerant], prorum- « pere in ista verba ausus fuerit ; verendum esse, ne ad desperationem talibus « controversiis civitas adducatur (nempe controversiis de ipsa religionis sinceritate, « eisque in templo scholave prudenter ac placide, ut fieri amat, habitis)? »

*causa proditionis vera.*

Istud porro excidit intento nimis ad veritatem historico. Perculisse denique multos, oportet, atque ad perduellionem commovisse eam Piaseckii tam vehementem, an ipsius ejus syndici exclamationem. Simplicius dixisset auctor : Rigenses hæreticos ab iracundia, et religionis catholici regisque pii odio aut metu saltem hostis præsentis, proditionis facinus conscivisse. De imminente, atque adeo præsente jam periculo monitus ab amicis rector Collegii, Philippus Frisius octo Socios : PP. Fabianum Mollerum, Albertum Fabricium, polonicum hunc, germanicum illum, concionatores ; Martinum Borovskium, procuratorem prædiorum, et Joannem Swarz missionarium : duos scholarum magistros, totidem adjutores laicos, cum his partem supellectilis sacræ, ingressus iter III idus sextiles, Vilnam furori hostium subduxit. Pro rectore ad curam domus et officia plebi catholicæ

*Invidiosa chronographi interpretatio.*

*Rigense Collegium dissipatur.*

(1) Chronicorum, pag. 413.

relictus minister P. Thomas Blonensis cum PP. Laurentio Norvego et Hieronymo Klant et cum Michaele Moriano adjutore atque aliis quatuor fratribus laicis. Ut in urbem deditam irrupit hostis, statim ad res Collegii animum advertit et oculos. Collocatæ ad fores domus centuriæ: excussæ omnes cellæ, thecæ, omnesque latebræ: direpta supellex : ereptæ claves : exauguratum rursus Divi Jacobi templum, et Luthero addictum. Quinto kalendas octobris accitos ad se Societatis homines non clementer excipit victor: acerbius cæteris P. Laurentium Nicolai Norvegum, senem octogenario majorem; jam tum sibi cognitum, cum Laurentius in Suetica Joannis III regia religionem catholicam promoveret. Hunc torve intuens : « et tu, inquit, vivis adhuc senex Acheruntice; nihilo tu tamen per istam utique ætatem prudentior? Nunquamne oculos aperies, talpa? An vero ignoras de ignibus sempiternis qui te, jam hodie moriturum, manent; nisi religionem veram, reformatam scilicet, quam profitemur, amplectaris? » Ad hæc Laurentius, modeste quidem, sed intrepide: « æternis obnoxios suppliciis lutheranos, certo scio; metu horum liberum mihi præstat animum sancta romana, quam profiteor, religio. » Male Gustavum habuit ea quoque sacerdotis responsio; hæsit paululum, vocemque cogitabundo similis continuit; mox senem lacerare omnibus verborum contumeliis : objectare innocenti quas fraudes nescio, quasi turbas is aliquando inter proceres Sueciæ concivisset: Joannem regem a fratre suo Carolo duce Sudermaniæ criminationibus falsis susurrisque abalienasset. « Propterea, inquit, « nihil est, quod Vilnam aliove cogites; quo tui sodales, facinorum istorum non « omnino affines, eant, per me licet; tibi Stokholmiæ paratum domicilium in « ergastulo. » Cæterum isthæc minæ fuerunt tantum, et quædam fortitudinis senilis tentatio. Expertus constantiam, tertio post die liberum cum Sociis dimisit. Pridie kalendas octobres turbulentissimam jam inde ab ipso in urbem ingressu stationem deseruerunt Socii, ad secundum ab urbe lapidem ducentis equitibus Sueticis comitati. Evenit autem id Rigensibus a suscepta lutheranica hæresi anno sæculari: ut enim notat Chytræus, suæ ille sectæ admirator, anno 1516 Andreas Cnophius, perditus Lutheri præco, hunc suamque pestem incautis civibus attulit. Vendensium etiam Collegium brevi post idem Gustavus dissipavit. Derpatenses, ad alia festinans, præterivit.

1621 Domus Sociorum diripitur.

P. Nicolai fortitudo.

Deseritur Rigense domicilium

et Vendense.

His injucundis prosperas alibi res divina benignitas intexuit. Smolensci, dono Sigismundi regis, procurante rem conditore Collegii, Alexandro Corvino Gosievskio, præside Smolenscensium palatino, certi Collegio Sociorum agri attributi : templum item Rutenicum extra mœnia, nomine Salvatoris, sive ut vocant

1622 4 Smolenscensis Collegii res aucta. Orsæ Collegium et scholæ firmantur. Crosis templi fundamenta et Lomsæ. Kondzynum prædium.

illi, *Spas*, dedicatum, et villa suburbana, locus a studio litterarum recreandis viribus destinatus. Orsense domicilium redditibus certis a rege, nomine Collegii a Generali Societatis Præside auctum. Sancitum quoque diplomate regio, ne photianis Orsæ, neque in proximo tractu, liceret ulli scholas instituere. Crosis templo condendo lapis angularis jactus V nonas maii, ab antistite Samogitiæ Stanislao Kiszka consecratus: sub idem tempus ab alio, nescio quo, Lomsæ VIII kalendas ponendæ ædi sacræ dedicatus. Fundamenta Crosensis templi inclytus noster poeta Mathias Sarbievius tum epico poemate tum melico celebravit. Grodnæ, in oppido Lituaniæ, comitiis regni nobili, firmius collocatum est domicilium. Septem abhinc et triginta annis rex Stephanus jecerat quædam Collegio fundamenta; assignato proventibus Kondzyno pago, ædificato templo, satis illo magnifico, e muro solido. Sed hujus perfectionem ædis et reliqui consilii mors Stephani intercidit.

5 Grodnæ firmatur domicilium.

Pagum hinc Socii domui novitiorum Vilnensi, templum curioni, præposito Grodnensi, concessere; probante utrumque Præposito Societatis Generali. Hoc demum anno (1) Grodnam revocati per testamentum præsidis Grodnensium capitanei, Stanislai Kossobuckii. Is militiam secuturus bello Tartarico, testamentum rite confectum domi reliquerat: Sociis hæredibus prædii sui, Sucha Biala dicti, si belli occubuisset ipse, scriptis. Occubuit: invitantur ad rem ultimis ceris consignatam Socii. Grodnam ad pristinum domicilium a Præposito provinciæ Michaele Ortissio revocantur. Sed facilius illi introducti erant olim, quam nunc recepti. Fuerunt non pauci ex ordine ecclesiastico etiam, qui relictis nuper a Sociis Grodnensis coloniæ rebus, fidei illis quorundam commendatis, oculos adjecerint. Jamque aliquis parti bonorum non exiguæ ungulas, alieni cupidus, injecerat. Sed prædam raptor divinæ metu vindictæ, sibi quoque aliorum exemplo impendentis, coactus est dimittere. Is, dum possessoribus legitimis, jure sua repetentibus, obluctatur: alium, consilio cujus id faceret, furtorum aliunde alligatum esse, audit, et jam ad infame trahi supplicium. Hoc exemplo perculsus, suas et ipse piceatas lavat manus, multis ridentibus. Neque tamen sibi suisque consiliariis rapuisse, impune fuit: eis paucas tempestates, ad unum omnes, alius alio exitii genere, disperiere funditus. Actor ipse, dum interea cum suis domesticis de rapina dimissa dissertat, coorto circum incendio, domum, rem familiarem, omnia, tantum non vitam, amittit. Recte in rebus ejusmodi usurpes illud Comici: « Si quis avidus poscit escam ava- « riter; decipitur in transenna avaritia sua. Ille, qui consulte, docte, atque

Raptorum pœnæ.

(1) Anno 1622. De primis Grodnæ Sociis vide in catalogo rectorum infra.

« astute cavet, diutine ei uti bene licet partum bene. » (Plautus in Ruden.) 1622

Duos Roma nuntios Lituanica etiam provincia accepit optatissimos : alterum, Gregorii XV decretum quo confirmata est Pauli V sententia, anno 1618 lata, de Conceptione Beatæ Virginis Mariæ, immunis noxia mortalium primigenia ; alterum de beato Societatis parente Ignatio et socio suo, inclyto Indiarum apostolo, Fransisco Xaverio, ab eodem Gregorio Sanctorum indici rite anni hujus VI idus martias adscriptis, una cum beatis, Philippo Nerio, congregationis Oratorii conditore, Isidoro Hispaniensi agricola et Theresia, Carmelici Ordinis Excalceatorum parente virgine. Jam sexdecim domicilia Lituanica complectebatur provincia : tria Vilnæ : Nesvisii : singula, Brunsbergæ, Crosis, Grodnæ, Lomsæ, Orsæ, Novogrodeci, Plociæ, Polociæ, Pultoviæ, Varsaviæ. In his certatim Socii, pro se quisque, eo nuntio a præside suo provinciali, Augustino Vivaldo, commoniti, pietate quam maxima agebant Deo gratias, idem beneficium divinum proceribus Lituaniæ cum populo celebrantibus. Insignis ea quoque fuit panegyris, quæ sacra divi Paschasii ossa, in Collegii templum illata, celebravit Nesvisii : convocatis ad cœtum e provincia Sociis, principibus Radivillis triumphum sacrum magna pietate procurantibus. Frequens et Vilnæ subinde fuit concursus ad fundamenta templi, divo parenti Ignatio ad novitiorum domicilium condendi ; quibus præjaciebatur lapis angularis, ab episcopo civitatis Eustachio Wolowicz consecratus. At Smolenscensis Collegii nostri jam diu alia narramus immemores. Gubernavit id hac tempestate rector Jonnes Komparskius ; hoc ille anno defectus est munere suo et vita : Crosensis antehac præses domicilii. Moribundus illud Simeonis canticum : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace*, lætus præcinuit : gaudens maxime, jam suæ Societatis parentes carissimos, Ignatium et Franciscum, Sanctorum in Ecclesia militante auctos esse honoribus ; quod quam vehementer desiderasset adhuc, re ipsa paulo ante professus est. Ille, ut de Romano eo nuntio inaudiit, omnes statim cogitationes curasque convertit ad celebrandos Patres suos sanctos triumpho quam amplissimo. Difficilis cuique visus est conatus Joannis, in civitate videlicet hæresi photianæ dedita, eaque nuperrime armis Polonorum subacta, nondum mansuefacta, obnixus ille tamen pertinaci studio effecit, ut secum cives, hostes etiam illi religionum nostrarum, ad triumphalem divorum cultum mirifice conspirarint. Illi tum alacres contrahere, unde possent, equitum peditumque copias : ad festos tonitrus bellicas in vallis mœnibusque disponere machinas : ædes, fora, plateas lampadibus collustrare : artificiosa ignium ostenta in auras jaculari : labara, divorum triumphantium figuris et ornamentis insignia, proceres ejus pro-

6 Sententiæ Pontificum de B. V. M. sine peccato originali concepta.

7 Triumphus Societatis in promulgata canonisatione S. Patris Ignatii et S. Xaverii.

8 Nesvisii in translatione Paschasii celebritas.

9 Vilnæ fundamenta templi dedicandi S. Ignatio.

10 Smolensci procurator sacri triumphi P. Joan. Komparski.

1622 vinciæ præferre : quin ipse e photiana secta Rossicus archiepiscopus, Smolensci tum ex itinere hospes, probare istos ritus, et pietatem Romanorum in colendis cœlitibus collaudare.

11 P. Nicolai Vilnæ moritur.

Excellentes cum pietate tum doctrina viros aliquot mors subduxit provinciæ : ac Vilnæ quidem Laurentium Nicolai cujus proxime meminimus (v. hic, num. 3), a Norvegia, patria sua, dictum vulgo Norvegum. Multis ille in Belgio, Austria, Moravia, Dania, Bohemia, in Suecia maxime et Livonia, et laboribus religionis causa defunctus et periculis : vir magnitudine animi præcipua, patientia incredibili, in omni fortuna sui similis, propagandæ divinæ gloriæ cupidissimus. Jam sacerdos ac doctor sacræ theologiæ in Societatem acceptus, in ea quatuor vota professus, perpetuis se laboribus exercuit, id maxime contendens, ut hæreticos ad Ecclesiam, sceleratos ad frugem, reduceret quam plurimos; per illum animi sic affecti ardorem, in extrema etiam senectute, induci non poterat, ut quiesceret. Semper ille in opere salutari visus, vel lectitans vel scriptitans, ea maxime, quæ Suecis, quæ Danis, quæ Norvegis suis speraret ad salutem profutura. Laboribus pariter ac senio consumptus II nonas maias, anno ætatis 84, ab inita Societate 55, sacerdotii 60, a professione quatuor votorum 47. In eadem urbe, e domicilio professorum Societatis, ad ædem Beati Casimiri, demigravit ab hominibus

12 P. Pakost Matthæi finis Vilnæ.

P. Matthæus Pakost, Polonus, et ipse exacta ætate, anno vitæ 70, XVI kalendas novembres. Vixit in Societate annos 38, ex his 17 annos Romæ pœnitentiarii, in provincia sua concionatoris alias, alias ministri præclara cum laude defunctus est officiis. Vir moribus perquam commodis; ut qui de nullo unquam sit questus : nullum mortalium ne verbo quidem violarit. Instituti religiosi in primis diligens, et precationi rerumque divinarum meditationi deditus. A sacrificiis in genua provolutus ante imaginem Salvatoris e cruce pendentis ardore animi magno orans, lacrymis eam perfundebat. Humillimus Pater nunquam passus est, ne in supremo quidem senio, suum ab alio verri cubiculum, aut ullum ejusmodi sibi exhiberi obsequium; cum se ipse ad talia multo inferioribus ultro etiam offerret. Erat Matthæus in eorum ordine, quos adjutores spirituales vocamus. His appone

13 P. Keylert Brunsbergæ.

P. Engelbertum Keylert, in Collegio Brunsbergensium mense aprili mortuum. Operarius hic strenuus ac felix, in præparandis maxime ad beatæ æternitatis aditum moribundis. Mira industria et alacritate in eo constitutis articulo operam impendebat. Expertus hanc feliciter præter alios sacerdos quidam externus, a sua proxime morte spectabilem Engelberto se obtulit, proque opera sua salutari gratias egit amplissimas, acturus etiam immortales. Neque P. Petrus Fabricius

prætereundus est silentio. Zadzini in pago superioris, seu, ut vocant, majoris 1622
Poloniæ natus, Vratislaviæ in oppido Cujaviensis episcopi denatus : in Lituanica 14 P. Petrus
provincia diu versatus, olim etiam rector Collegii Pultoviæ. Vir apprime tum Fabricius,
eruditus tum sanctus. Præter Pultoviense, Collegia Sociorum Jaroslaviæ, Torunii, Calissii, Cracoviæ domum etiam tirocinii gubernavit. Libros aliquot commendabiles in lucem emisit. Ætate provectior, in aulis duorum antistitum : Andreæ Opalinski, deinde Pauli Voluckii, hujus Cujaviensis, Posnaniensis illius, pulchre munus theologicum sustinuit; idem interim et aulæ magister, et populo concionator interdum extemporalis, et parochorum adjutor. Nullis parcebat laboribus, quos existimaret utiles populo, quibus denique fractus, dierum plenus et meritorum, septuaginta annorum emensus curriculum, quievit Varsaviæ VIII kalendas martias (1). ejus doctrina et munera.

Hujus seu frater, sive affinis, P. Valentinus Fabricius, gente Roxolanus, quarto post anno secutus est Petrum, e Collegio Varsaviensi a Deo vocatus 1626, VIII kalendas martias. Diutius in ludo litterario versatus : magister eloquentiæ annos octo : tres philosophiæ, quinquennium theologiæ; inde in regia Sigismundi aula annos 28 concionator, præconiis omnium id ætatis in Polonia inclytus (2). In uno is maxime sibi gratulabatur munere : quod scilicet fortunati illius Polocensium archiepiscopi, beati martyris Josaphat Kuncewicz, 1623 Vitebsci a græcisantibus hæreticis pro sanctitate religionis catholicæ interfecti, olim fuerit magister. Huic Valentinus, clerico adhuc, ipse theologiæ in academia Vilnensi magister, quæ publice ritu suo latine tradidisset auditoribus in schola, ea privato studio, ex latino in sclavonicum conversa, amanter explicabat. Præviderit ille, oportet, quis olim futurus esset suus Josaphat; qualem scilicet hodie et vita sancta et mors præclara et beneficia Dei mira commendant. P. Fabricius Valentiuus. Magister B. Josaphati.

Collaudarunt beatum martyrem e Societate nostra scriptis suis complures : in his sunt *Elogia* P. Andreæ Mlodzianowskii, e provincia Lituanica, et ipsius gente Lituani e provinciola Caunensi (3) : poemata heroica P. Valentini Biatowicz, poetæ inclyti, Olomucii, in Moravia, ornati artium liberalium et philosophiæ magisterio : concio P. Georgii Barszcz, nuper (ab anno 1731 ad 1735) Lituanicæ provinciæ præsidis : *Historia vitæ et martyrii*, scripta a P. Stanislao Kosinskio et pervulgata typis Vilnensis Collegii : libri tres poematis epici, inscripti *Josaphatidos*, anno 1627, opus poetæ nostri Nicolai Kmicic : quod hodie quidam (4) non L. Joannes symbolicæ et Vita Beati.

(1) Alibi lego mortuum anno 1626. — (2) Libros a Valentino editos vide in Indice Scriptorum nostratium. — (3) Hujus et sequentium opera vide ibidem. — (4) [Patres nimirum Basiliani, Josaphatum Isacovium verum illius auctorem esse asserentes.]

1622 jure suo sibi vindicant. Nos hic de cæde ipsa beati patroni nostri, qui Societati tribuendum putaret tantum, ut dictitaret : eum e numero electorum ad gloriam sempiternam non esse, qui religiosum Societatis Jesu Ordinem non amaret.

15 Josaphat archiepiscopi cædes Vitebsci.

Rutenos, jam diu græcanici schismatis erroribus implicitos, a Brestensi synodo (de qua libro IV narravimus) in religionem catholicam inde proniores, accenso studio salutis, revocatum ibat ad Romanam Ecclesiam ante alios iste Polocensium antistes. Pios archiepiscopi conatus, et consentientium bona consilia, Photiani, ex omni Græcia coorti, vi omni et fraude infringere ac dissipare contendebant. Ea propter illi Kijoviam, in præcipuam Russiæ urbem, suum Hierosolymitanum pseudopatriarcham delegarunt. Atque effectum græcis artibus, ut in hujus advenæ sententiam, jus ac ditionem Kijovienses concederent. Hic ille, collocata sede, exaugurat in primis septem episcopos qui Romano parerent Pontifici, aliis sua qua nescio potestate substitutis. Cum his ipse permiscere Russiam : inflammare animos suorum in catholicos, atque adeo ad crudelitatem acuere. Concepere facile flammam civitates finitimæ, inter eas Vitebscia; in qua altero inde anno importunitas sceleris inauditi exarsit. Sollicitus de gregis sui salute Josaphat invisit urbem diœcesis suæ Vitebscum : curare ibi rem sui muneris et circumspicere omnia. Schismatici interim agitare necis consilia, et secures acuere, in occasionem parricidii imminentes; atque hæc sibi oblata esse commodum visa, quod pontifex impium quendam presbyterum, suæ potestati subjectum, a catholicarum partibus transfugam ad schismaticos, tradiderit in custodiam.

Causa cædis.

Ea insuper commoti re, ilicet erumpunt seditiosorum duces, signoque concita plebs omnis : uno omnes agmine in ædem antistitis irruunt : famulos sternunt hos, dissipant illos : effractis denique penetralium foribus, præsulem ad cædem deposcunt magnis clamoribus. Ut impetum hic sensit furentium, sacrilegum illum perfugam e carcere dimitti confestim jubet. Nihilo tamen placatiores illi, ut occeperunt, pergunt. Tres ita continenter horas bacchantur. Quieturos facilius ratus, suis maxime famulis timens, vita sua suorumque Deo precibus commendata, prodit ipse : tumultuantes sanioris consilii paternum in modum commonet. Inter hæc latronum audacissimus, sublato ad cædem clamore, securim impingit capiti, sternitque antistitem : mox quisque pugnis, fustibus, lapidibus jacentem contrucidant. At neque ita visa est luctuosa satis sua furentibus rabies : horrendum dictu, quanta deinde immanitate, exanimatum jam, protractum in aream corpus, unguibus etiam mulierum ac puerorum laceratum, calcibus conscissum, conculcatum. Multo minus humani fuit ingenii in istis hominibus, quam fuerit vel in bestia. Canis,

Immanitas parricidarum.

viso interfecti domini cadavere, quasi ictus ipse, super hero suo lamentabiliter hirrire, cruorem lingere, circumcursare, et allatrare parricidas. Nullis bestiola terriculis repelli potuit a pedibus; id ipsum mirati invidiose, interfectores catulum confodiunt. Nunquid amplius? Lusisse adhuc in scelere sibi visi carnifices : pedibus insuper resti colligatis, per vicos raptant laniatum; ita versis plateis, in jugum Dunæ fluvio imminens trahunt, ex jugo in præterfluentem præcipitant. Dejectum corpus hæsit in littore. Deinde, ne tam atrox facinoris sui monumentum supersit, scaphæ injectum, provectumque in altum, alligatis ad pedes et collum ponderibus, spargunt. Gurgitem illum catholici hodie *sacri putei* nominant vocabulo. Patrata cædes hæc pridie idus novembres; quo ipso tempore visa est a civibus Polociæ, in urbe hujus antistitis primaria, grandis in cœlo, Vitebscum versus, columna ignea; is fuit Polocensibus nuntius : columen suum, sanctum antistitem Vitebsci convulsum esse.

1623

Tempus cædis. Monstra facinoris.

Narrarunt quidam, iique graves viri, statim ac demersum esset martyris corpus, multo ante occasum diei, offusas fuisse civitati tenebras, tetras illas adeo, ut parricidæ in noctem repente Acherunticam conjecti sibi viderentur, præsentesque sibi alius alium requirerent : errabundi per vicos, horrore perfusi, sicubi domus, sicubi fores essent, pedibus manibusque, cæcorum ritu, prætentarent.

Cæcitas repentina.

Postridie ejus cædis, Polociæ, in oppido hinc disjuncto leucarum viginti intervallo, Simeon, Dorothei Achremovicii, Polocensis consulis filiolus, bimulo minor, simul cum ortu solis experrectus, parentibus et familia præsentibus, repente se corripit e lectulo, perculso similis, quique adhuc vocem non miserat per infantiam, plorare, illudque lacrymabiliter ingeminare voce patria : *Tata! tata! Bohaili zabili!* Pater, scilicet, pater, Divus cæsus est! Mirabundi ad eam infantis vocem, repente in hæc solutam verba, quærunt ex puero parentes : quis ille Deus Divusve sit cæsus? is Divus, respondet pusio, cæsus est, qui in hac urbe sua *Album fanum* (sic Rutenicum templum, a Divo Josaphat opere lateritio exstructum, vocabat vulgus) pius condiderit. His dictis obmutuit, tacuitque tamdiu, donec pueritia consequens superasset infantiam. Vixdum hæc effatus est infans, cum ecce Polocensibus, in primis consuli Dorotheo, a Vitebscia nuntius cædis pontificiæ. Nihil ejusmodi Polociæ erat vel consomniatum adhuc. Ipsa Simeonis infantia, fama quædam civibus fuit prænuntia (1). Exinde famulo suum Deus admirandis signis, aliis atque aliis, populo commendare. Corpus martyris, diu a catholicis in Duna quæsitum, sexto inventum die : integrum illud omnino ac flexibile, grato ac reni-

Infans præco necis.

(1) Ex historia Collegii Polocensis et Vita B. Josaphati, a Basiliano scripta typisque vulgata.

1623 dente vultu : rubentibus labiis : e vulnere capitis stillante etiam tum rore sanguineo. Ornatum quam decentissime : illatum in templum Beato Michaeli Archangelo sacrum. Sex continenter a cæde caliginosos fuisse dies ac turbidos, observatum. Septimus, discussa omni caligine, ad justa funebria illuxit multo clarissimus, tempestasque successit tempori verno simillima. Novem dies expositum erat in sacello, visendum civibus, corpus martyris ; inde Polociam secundo devectum flumine, frequentissimorum civium occursu luctuque excipitur, inque templo S. Sophiæ deponitur honorifice. Alio post translatum, hodieque visitur incorruptum. Manus amantissimi Societatis nostræ Patroni Varsaviæ in templo Collegii pro munere divino servatur integra. Interfectores Deus quosdam ultor male perdidit, quosdam ejusdem, credo, Divi patrocinio ad frugem correxit misericors : quos inter principem obtinet locum Maximus Meletius Smotryckius, Photianæ in Russia sectæ antistes. Infensior hic erat ut Ecclesiæ universe catholicæ sic nostro isti archiepiscopo. Accepto ille cædis, Vitebsci factæ, nuntio, conscientia ardens culpæ, conjecit se in Græciam, inde in Palæstinam : quærebat nempe apud patriarchas suos ægro animo medicinam ; hac nusquam inventa, Romam denique ad Urbanum VIII anno 1627 perrexit. Receptus in Ecclesiam riteque expiatus, non convaluisse tantum, sed renatus omnino sibi visus est. Id beneficii divini Meletius, odiosi nuper sibi præsulis, jam nunc procuratoris sui apud Deum carissimi, patrocinio tribuebat. Reversus in patriam, in Dermanensi cœnobio antistes, reliquum vitæ tempus exegit pœnitens. Anni 1633 exeunte mense decembri, veneno ab inimicis præbito emoriens, jussis bene valere suis sodalibus, apostolicum Urbani P. M. breve, quo absolvebatur a Photiano schismate, quoque dabatur potestas archiepiscopatus Hierapolitani, ut afferretur sibi mature, monuerat. Allatum demum est, cum jam egisset animam, et horis quidem post quinque. Quod moribundo promptum non fuit, ut mortuus utique haberet, monachi Romanum diploma manibus antistitis mortui inserunt. Res mira : ita illud Meletius jam in feretro, ac sic vivus ille, accipit, stringitque digitis, tam arcte deinde membranam tenuit, ut eam (quod præsentes tentarunt frustra omnes) nulla eripuisses vi. Ejus miraculi omnibus approbandi causa, extracto in longius tempus funere, quatuor supra decem hebdomadas, ita suæ in Romano diplomate professionis tenax, populo fuit propositus. Ad faciendum funus metropolitanus Russiæ Josephus Ruckius Dermanum venit. Expertus et ipse, quod jam mirarentur omnes ; tentat denique, quod venit in mentem : appellans nominatim mortuum, litteras, quas teneret ita, dimittere jubet nomine et auctoritate Romani Pontificis. Paret ille continuo : laxatis continuo

Manus Beati Varsaviæ in templo Societatis.

Meletius resipiscit.

Professionis suæ post mortem etiam tenax.

digitis captivas dimittit tabulas. Spectasse id miraculi dicuntur aliquot hominum 1623
millia. Lectas publice, dimissas a mortuo, litteras metropolitanus, bene precatus, eidem restituit. Mortuus, hic etiam vivit : recipit suum pignus, idque stringit digitis pariter. Commoti spectaculo, fremere omnes gaudio, et gratulari de salute æterna Meletii : gratias agere patrono suo, beato martyri ; qui adversario, et fortasse necis etiam auctori suæ, non modo gratiam delicti fecerit, sed salutis etiam negotium æternæ tam amice suo tuitus fuerit patrocinio. Postea quam de consilio Meletii, ad Ecclesiam Romanam recepti, renuntiatum est, resipiscere continuo schismatici, in primis Vitebscenses : majore in dies numero affluere ad inquisitores necis a Romano Pontifice delegatos : commune crimen suum confiteri pœnitentes; sua etiam sententia subituri pœnas scelere dignas suo, quascunque exegerint judices : orare pro se quisque, ut rite ad Ecclesiam Romanam aggregentur : multis lacrymis apud sacerdotes nostros per confessiones cum parricidium tum sua quisque delicta deplorare. Quæ tam felix civitatis commutatio judices gaudio complevit incredibili. Actum igitur cum pœnitentibus clementissime. Relatus martyr in Beatorum numerum anni 1643, XVII kalendas quintiles ab Urbano VIII ; cui in eo negotio cunctanti, atque interim gravissimum in morbum delapso, fama est apparuisse hunc nostrum antistitem : restituisse desperatam ægroto salutem : monitum ab eodem Urbanum esse, ne sacros honores, quos sibi haberi vellet Deus, servus servorum Dei decernere tardaret lentus cognitor.

**Conversio animorum in schismaticis.**

16 Rigensis Collegii, nuper dissipati (vid. hic num. 3), reliquiæ, quatuor Socii : duo sacerdotes, totidem adjutores, in prædio suo Pergeno, non longe disjuncto ab urbe, hærebant : laturi, quamcumque possent, cum oppresso Rigæ, tum circum in oppidis et pagis derelicto, populo opem catholico. Aditu civitatis ab hæreticis prohibiti, nunc ad Polonorum castra, modo ad oppidanos et paganos excurrebant ; crebrius conferebant se Mittaviam, in urbem Curlandiæ principem, Lituanicis insessam copiis. Tum hic tum alibi insignes percepti laborum fructus. Circumsonantibus denique hostium armis, rurale etiam suum oportuit deseri làtibulum. Duobus Mittaviæ relictis, duo alii, sacerdos alter, alter laicus adjutor, ægroti ambo, in sylvam proximam se abdunt. Adjutor Andreas, jam senex, in sinu Patris, Socii sui carissimi, ærumnis confectus moritur. Gente hic erat Livo, unus e primis Sociis Rigensis Collegii : vir simplex, integer, recte ad omnem vitæ morumque laudem institutus : cultor in primis religiosæ paupertatis severus.

**Rigensium Sociorum reliquorum curæ et angustiæ.**

**Mittaviæ Sociorum labores.**

Vendæ quoque quatuor reliqui e distracto Collegio inter pericula strenue sua exequebantur officia ; qui hos in civitate curanda juvarent, missi duo ; mense

1623 17 Vendensium facilius ad consilia bona ingenium.

sextili advenere, magna civium gratulatione accepti. Mitiore Vendenses ingenio popularibus suis, et animo in religionem catholicam salubriaque consilia proniore; adeo frequentes illi ad rem divinam ventitabant, ut, hujus ipsius anni spatio, unusquisque Patrum ad decem facile millia pœnitentium pro sacro tribunali exceperit. Diebus festis ab ortu solis ad occasum fere in officiis pietatis alacres perdurabant. Fuerunt in illis non pauci ita animati, ut rem familiarem, agros, domosque suas maluerint deserere, quam hæreticis, ad impios ritus suos cogentibus, obsequi: propterea plerique a dominis crudeliter vexati, excruciati fidiculis, virgis concisi; præclare illi inter hæc veterum christianorum constantiam suis documentis approbabant. Capienda populo præbebat exempla sodalitas scholasticorum Mariana, in duas divisa classes: utraque frequens, et ad pietatem pulchre composita; in utraque beatus Societatis nostræ parens præcipuis honoribus colebatur. Ipsi sponte sua adolescentes inter se certas percolendi hujus Divi leges condiderant, conditas sancte observabant. Divo Francisco Xaverio civitas construxit sacellum: suæ scilicet urbis patrono, qui Vendenses, inter exhaustos circum pestilentia pagos, servaverit incolumes. Jam et pagani, a nostris mansuefacti, salutem suam adcurabant. Illorum aliquis in morbo, non omnia rite sacerdoti confessus, rogabat domesticos, sacerdotem e Collegio Societatis Vendensi ad se deducendum curarent: esse quod moribundus sibi metueret. Tergiversantibus illis, opem divinam implorat. Colligit repente vires: pergit Vendam: aspirat. Erat vero cum tempus perincommodum, nivibus altis, calore verno tabescentibus, tum iter lubricum, idque ad leucas duas longum; non ægris facile emetiendum pedibus. Ingressus templum, anhelus, macie torridus, et cadaveri similior quam vivo, confitendi copiam, quanta potest vocis contentione, postulat. Confessus domum redit triumphans: rem familiarem in suos distribuit: bene precatus domui, hoc ipso die moritur. Ita agrestes homuli, qui olim aditus omnes ad se sacerdotibus præcluderent, deinde benignitate Sociorum et usu deliniti ipsi ultro medicos animorum suorum nostros requirebant.

Catholicorum fortitudo; hæreticorum crudelitas. Sodalitas Mariana.

Patrocinio S. Fr. Xaverii conservantur.

Salutis curandæ exemplum.

18 Varsaviæ fama Sociorum defenditur.

Masovitis annus hic pestilenti clade infamis. Varsaviensum re adhuc incolumi, volitabat per manus civium, plenus calumniarum, dimissus a criminatore Societatis, Cracoviensi Academico, libellus. Minister scriptoris, qui partum suum differebat, comprehensus jussu consulum, conjectusque in vincula. Trimestri spatio detentus, post virgas, jussus in foro carmina sui auctoris nomine recantare, et in conspectu senatus civici Patres Societatis deprecari. Ille quidem, decretum executus, dimittitur: libellus autem per tortorem publice exuritur. Urente

civitatem pestilentia, pars Collegii in villam accepta proximam, pars domi relicta 1624
ad opem pereuntibus. In Lituaniam non penetravit malum; commodum tempestate
autumni frigida occupatum.

*Ibidem tempore pestilenti civitati ministrant Socii.*

Ad limen vitæ mortalis venit P. Melchior Dowgialo, nobilis Samogita. Primus
cum Socio P. Matthia Galmin missus in coloniam Crosos ab episcopo Samogitiæ
Melchiore Giedroic; inde Vierzboloviam ad fundamenta ponenda Sociorum domicilio: 19
postremo Vornios, in oppidum episcopi, et collegii canonici: hic jussus locum
Sociis invitandis præparare, recte omnibus in vita functus officiis, sibi primo aperuit sepulchrum, in sacello recens constructo. Primus quoque, quod sciam, Grodnæ
ad sepulchrum Sociis ostendit suo funere viam P. Joannes Kunig. Non grandis
ille quidem natu, sed qui consummatus in brevi explesset tempora multa, exemplaque virtutum senibus etiam reliquisset imitanda. Prædicabat illa Joannem
amanter dolenterque civitas, totaque fere concurrit ad funus. Joanne sublato, e 20
quatuor sacerdotibus et duobus laicis adjutoribus, tota constabat Grodnensis
domus; si aulicos duos theologos excipias: alterum Pauli Wolowicz, ærario Lituaniæ et provinciæ Grodnensi præfecti, alterum Vladislai, regii principis. Utriusque principis beneficia exstant memoranda. Vladislaus benigne ac sæpe visebat
Socios: sæpe in triclinio etiam conviva ipse regalem nostris apponebat mensam.
Reliquias sacras beatorum, Adalberti martyris, Nicolai Myrensis episcopi, Brictii
item episcopi, et Ursulæ virginis, ipse in sacellum nostrum intulit, apparatu plane
regio, et ad sacros honores accommodato, in frequentia convocatorum a se procerum. Translata beatorum ossa ex arce regia III nonas decembres.

*Vorniis P. Dowgialo obitus. Vierzbolovæ ibidem Sociis collocari cœptum domicilium.*

*Grodnæ præmortuus Sociis P. Kunig.*

*Domum sacris reliquiis ornat Vladislaus.*

In Masovia per magnas populi strages propagabatur pestilentia. Lomsæ disturbavit Collegium; sex, moribundis relictos, in ministerio oppressit: PP. Paulum, 21
Piantum, Joannem Przezdzieckium, Joannem Gogolevskium, Stanislaum Kuzewicz;
cum his, virtutis æmulus, domesticorum adjutor operum, Nicolaus Gruda V idus
octobres sepultorum a se tumulis immortuus. Sepultis, eodem prostratos malo,
annus 1625 apposuit: Joannem Glovinskium, Stanislaum Alexandrowicz,
Joannem Milonckium, Joannem Kosinskium, et magistrum grammaticæ Stephanum Garlinskium.

*Lomsæ Collegium sternitur pestilentia.*

Smolensci lento morbo contabuit P. Petrus Reszkovskius, nobili stirpe Polonus, 22
natus annos 42, cooptatus in Societatem jam sacerdos, isque theologus: vir ingenio mitissimo, præsidum reverens, disciplinæ religiosæ amans, carus omnibus,
vultu ille semper, etiam in gravibus molestiis, hilari, animo ad quosvis labores
prompto. Septem annos a religioso tirocinio, qua confessionibus excipiendis, qua

*Smolensci P. Reszkovskius.*

1625 habendis concionibus, qua procurandis rebus œconomicis egregie industriam suam commendabat. Honestavit funus cum sua perillustri familia et civico magistratu gubernator Smolenscanæ provinciæ. Prosequentibus prætulit signa sua juventus scholastica : frequentior hoc anno illa quam alias, jamque in classes quinque, tres grammaticæ, duas eloquentiæ, divisa. Erat inter funera, quod Cæsaraugustæ etiam, in Aragonia, Lituani nostri requirerent. Vivere ea in urbe desiit V kalendas maias, Lituanicæ olim præses provinciæ, P. Garsias Alabianus, annos ferme viginti et quinque in hac commoratus provincia. Multis hic industriis novellum hoc plantarium ornavit, vir opinione omnium sanctus ac sapiens, carus proinde omnibus, Stephano in primis, et Sigismundo III, regibus Poloniæ, qui Garsiæ consiliis in negotiis religionis uterentur. Eundem Georgius Radivillus cardinalis inter familiarissimos habuit, habereque comitem in suo Romano itinere voluit. Mortuo in Italia Georgio, in suam ille se recepit Aragoniam. Rexit Cesaraugustæ Collegium, semel atque iterum præpositus. Erat ab ipsa natura summe ingenuus, et eximio quodam animi candore ornatus : ex quo solitus de aliis conjecturam facere, ægre credebat, quæ quispiam peccasse diceretur, nisi essent ipsa in luce ; ad sermones itaque obtrectantium hebetes illi aures erant atque aversæ, eædem ad otiosorum hominum fabellas.

Scholæ frequentiores.

23 P. Alabianus, mortuus Cæsaraugustæ.

24 Coorta proximo, hoc quoque anno, tum Masoviticas tum Lituanicas civitates lacerabat pestilentia. In officiis misericordiæ septem e Collegio Socii occubuere Varsaviæ : PP. Joannes Prusinowskius, Andreas Volveranus, Martinus Szczerbinius, Adamus Bilduckius, et quintus, cujus nomen hic mihi non præsto est, sacerdos, duoque horum Socii adjutores : Joannes Zyrkowicz, et Joannes Mroz ; tres occiderunt Vilnæ, PP. Petrus Klukovskius, Gabriel Radzenkovskius, et Frater Joannes Spirau ; Pultoviæ, P. Lucas Radzikovskius ; Plociæ, P. Albertus Piotrovskius et adjutor laicus Jacob Pielaskiewicz. Plures alibi eadem sustulit tempestas.

Varsaviæ Socii charitatis victimæ, item Vilnæ, Pultoviæ, Plociæ.

25 Sub id tempus Vilnæ, ad ædem B. Nicodemi, lecta ex illis institutaque Sodalitas, qui civitatis compitis omnibus vicisque morbidos in valetudinaria colligerent, suis animos suisque corpora medicinis curarent, mortuos sepelirent. Hortatu Sociorum, plerique in ejus numerum Sodalitii se aggregarunt. Pro sua quisque parte auxilium miseris afferebat. In hoc Sodalitio fuisse ajunt parochum cui cognomen patrium Petri ; qui cum mortuorum Vilnæ trecenos amplius suis humasset manibus, ipse denique, pius vespillo, in ultimi tumulo animam exhalaverit. Nesvisium Vilna auditores theologiæ, quasi in tutiorem translati locum, auxerunt numerum Collegii ad personas 73. Nacta eos ibi etiam, dispulit vaga

Vilnæ Sodalitas curatorum tempore pestilenti, ad Sanctorum Nicodemi et Josephi.

passim calamitas. Nonis octobris, importato in oppidum periculo, Collegium 1625
per pagos Polesiacos distractum ; relictis civium morientium curatoribus, 26 Nesvisiense Collegium peste dispersum.
PP. Joanne Alando et sua discipulorum, qui a theologiæ studiis ritu Societatis probabantur, duodecim sacerdotum schola, jam inter illos P. Jacobo Ortissio, et tribus cum ipso Sociis pestilenti correptis morbo. Tres illi superarunt incolumes. Jacobus phtysi, morbo suo diutino, contabuit III idus septembres. Hispanus hic, a Bætica provincia oriundus, illinc in Lituaniam missus. Docuit Vilnæ philosophiam annos novem, morum theologiam septem, duodecim scholasticam. Sospites Socii conservatam salutem patrocinio tribuebant Divi Paschasii, cujus reliquiæ sacræ coluntur in templo Collegii; cui se maxime precibus commendassent. Grati propterea lætique, post abitum pestilentiæ, idibus novembribus, qui dies martyrio Paschasii memorabilis, pro soteriis hostias Deo Servatori suo per suum sospitalem patronum, convocatis reliquis civibus, obtulere. Kalendis decembribus rector Collegii Albertus Slaskius cum rectore novitiorum, e domicilio Vilnensi, et P. Matthia Sarbievskio, domum convalescentem revisit. Quingenti Nesvisii, in oppido non magno, homines civici, pestilentia oppressi.

P. Ortissus relictus phtysi consumitur. B. Paschasius patronus Societatis.

27 Abeunte peste, Socii revocantur Vilnam. Novitii ærumnis exerciti.

Maturius paulo revocati Socii Vilnenses, tum academici tum novitii, ad stationes suas et officia. In ea rerum perturbatione magnis multisque cum omnes tum maxime novitii molestiis conflictati : coacti in rusculum pertenue, septuaginta illi amplius : compacti in unum omnes nubilarium, idque angustum, hinc perfluum imbri, illinc ventis perflatile; in eo gurgustio adolescentuli, nihil ejusmodi experti ante, jejuni, algentes, aridi, gymnasium patientiæ nacti erant oppido amplum. Tum vero probe cognitum, quanta foret in pueris etiam virtus, quos Deus ad religiosæ institutum vitæ elegisset. A nonis juniis ad nonas usque februarias, læti nihilominus omnes, et ad res instituti sui alacres, illo in exilio perdurarunt. Ante hanc fugam III idus maias pie et honorifice elatum funus nobilis viri, S. regiæ majestatis secretarii, Adriani Wierzbickii, et ad sarcophagum suæ conjugis, biennio abhinc sepultæ, appositum, in templo sancti parentis nostri Ignatii, quod Adrianus majorem partem condidit, et absolvendo operi, tum ad fastigium adhuc non perducto, e prædio Blonie (quod Collegio donavit academico) certos in annum reditus testamento assignavit.

28 Adriani Wierzbicki funus Vilnæ.

Ad strages Lituanicas et Masoviticas appone Polocensium Russicas. Kalendis sextilibus in civitatem Polocensem incidit pestilentia. Quinque e Collegio victimas saluti civicæ litavit charitas. Primus cecidit P. Stanislaus Knapskius Masovita, viri in polonica provincia litteratissimi, P. Gregorii Cnapii gentilis. Annos viginti

29 Polociæ sublati peste. P. Knapski.

1626

in scholis, partim grammaticæ partim eloquentiæ magister, laboravit. Præter alia in elogio Stanislai laudantur : pietas erga Parentem Dei Virginem, diligentia in officiis, reverentia præsidum, et lenitas animi æquabilis in prosperis adversisque cum taciturnitate quadam harpocratica. Exceptanti confessiones afflarunt malum contacti pestilentia. Interivit nonis sextilibus, anno Societatis initæ tricesimo.

P. Benedicti.

Eadem fuit mortis causa P. Nicolao Benedicti, gente Lituano, viro claræ facundiæ ac scientiæ. Ætatem exegit totam in magisteriis : jam rhetoricæ, Sociorum etiam, studia eloquentiæ a tirocinio repetentium, jam philosophiæ, jam theologiæ scholasticæ, jam populi per conciones diu magister.

CC. Valentynowicz, Janciulevicz, Hoffen.

Ibidem conciderunt cum sacerdotibus pariter, ministrantium moribundis assectatores, fratres, Simon Valentynovicz, Joannes Janciulevicz, uterque Lituani; et Joannes Hoffen, Germanus, rei medicæ artifex scitus, afflictæ hac tempestate domus quasi tutelarius.

Derpatenses Socii exules intereunt.

In annuis Polocensis Collegii litteriis lego, 14 Socios Collegii Derpatensis, a Suecis ex Livonia ejectos, in pagum nescio quem Polocensem collectos, ibidem partem magnam qua pestilentia, qua ærumnis misere consumptos ; idque lego tantum, ne unius quidem nomen præterea.

30

Brunsbergense Collegium bello Suetico dispergitur.

In ista calamitate publica, persecuturus Sigismundum, regem Poloniæ regnique Suetici hæredem legitimum, usurpator coronæ Sueticæ, princeps Sudermaniæ, Gustavus Adolfus, parata dudum arma in Prussiam infert Polonicam, octavo idus quintiles Brunsbergam occupat. Adventu hostis improviso perculsi cives omnia sua injuriis obnoxia profugi destituunt (1). Primi hæreticorum impetus in templa et religiosorum domicilia. Diripitur supellex sacra : confringuntur et dissipantur altaria : conculcantur divorum imagines : hostiæ divinæ disperguntur ; spectante id duce ipso Adolfo, et catholicorum sanctitatibus pariter insultante. His consternati, in fugam Socii eripiunt se malis præsentibus, qua possunt via : pars Nesvisium cum suo magistro philosophiæ auditores 12 : pars cætera Pultoviam.

Quinque Socii relicti vexantur.

Relicti domus custodes, sacerdotes : N. Kirszten, oriundus Lubeca, et Leonardus Kinardus gente Scotus, cum adjutoribus domesticis tribus, conjecti in vincula, biennium amplius ærumnas carcerum, tum Elbingæ, tum Sueticis in navibus, tolerarunt. Domicilium, suo nomine occupatum, aliquandiu tenuit proditor Mevensis. Huic in rapinam successit incola Brunsbergensis, minister hæreticorum Luthericola. Templum Collegii, ne ritibus hæreticorum profanaretur, numen divinum prohibuit, miris deterrens ostentis prædatores : ut cum Lutheranicus præco, præ-

(1) Quid Sueci in Varmia egerint, vide Historiam Prussiæ Joannis Leonis in Corollario ex appendice Thomæ Treteri, a pag. 510 et 498.

strictis faucibus, horrore perfusus, interceptis metu, quæ ad concionem attulisset, toties hæreret in ipsis statim principiis dicendi et obmutesceret, quoties loqui conaretur. Supellex templi partim contrita, partim cum bibliotheca, et organo musico, quod erat præcipuo constructum artificio, in Sueciam asportata.

1626 Templum profanari vetat Deus.

Latrocinantibus in Varmia hostibus hæreticis, prodigiosa res accidit. Consceleratissimus eorum aliquis, inter commilitones improbos, Cœlites execrans omnes, atque ipsum etiam Salvatorem, quem colerent catholici, incidit in pendentis e cruce Christi simulacrum, erectum secus viam, qua proxime subeas mœnia Brunsbergæ. Provectus in maledicta, effigiem divinam e fistula ferrea furens trajicit. Ostento miro injuriæ suæ impios admonuit Deus. Tribus ictum glandibus, totidem aperuit vulnera, largoque manavit sanguine simulacrum (1). Cohorrescunt ad id omnes atque hic etiam scelus. Pervulgato miraculo, concurrunt ad signum, adhuc sanguinans, cum hæreticis catholici : explorat veritatem prodigii etiam dux hostium : certa visa sunt omnibus offensi signa numinis. Rumore miraculi accepto, regius princeps, Vladislaus Brunsberga haud longe, ex oppido Regitten, unde hostium observabat itinera, cohortem expedit continuo, quæ rem propius cognosceret, atque, si quidem ita esset, ad castra sua afferret simulacrum. Veneratus pie in sua offensum effigie Salvatorem, Varsaviam misit prodigiosum hoc signum ad regem Sigismundum. Ferebatur a signifero cohortis, labaro decenter illigatum. Exceptum ubique pietate catholicorum magna, Meelsaci præcipue in oppido Varmiensi, denique Varsaviæ, ubi in regio conclavi religiose ad suprema Joannis Casimiri regis tempora servatum est. Efferebatur interdum ad cultum publicum, festis maxime diebus Theophoriæ; quibus Varsavienses ad aras quatuor supplicabant vicatim. Anno deinde 1668 Joannes, regio se abdicans magistratu, signum sacrum Neporentam, suam in villam, transtulit; ædis ibi e cocto lapide construendæ negotio dato Kijoviensium canonicorum præposito Stanislao Vengierskio. Decem annos Varmienses belli Suetici tempestate jactati; hac denique commutata, Socii ad rerum suarum busta rediere. Primum illi, quemadmodum decuit, rerum divinarum angi cura : colligere dissipatas templi reliquias : aris suis restituere sparsas passim divorum imagines : usibus sacris corrogare supellectilem : tropæum religionis suæ prodigiosum, crucem illam reliquam cum imagine sacra olim profanatam ab impiis, hodie religiosius coli cœptam a piis, sacello circumdare; in omnes se curarum partes versante P. Joanne Berendt, afflictæ domus præside. Restitui rex jussit suum Brunsbergensibus pignus, Neporentæ depositum, orantibus id Sociis

Simulacrum Christi prodigiosum; hæreticorum impietas correpta ostento.

Varmiæ Socii ad sua redeunt.

(1) Vid. Historiam Prussiæ Joannis Leonis pag. 502.

1627 per episcopum Kijoviensem, Thomam Uieyskium, religiosissimum antistitem, mox eundem suum in Societate collegam. Is sacrum ancile retulit. Anni 1670 XVIII kalendas octobres, sacro memoria Exaltatæ Sacræ Crucis die, lætitiis triumphante omnibus civitate, imago divina e curiali templo ad præparatum sibi sacellum deportata per Georgium Conradum, civicum antistitem.

31 P. Jacobi rector Collegii Polociæ.

Est quod commemorem de P. Adamo Jacobio, Polocensibus maxime, apud quos Collegium rector magna prudentia et charitate quinque supra decem annos gubernavit. Ipso procurante, ædificata Sociis domus, conditum templum, recuperati ab iniquis possessoribus agri. Multa præterea ibidem, etiam privatus, ultimis quatuor annis præstitit utilia. Vilnæ populares suos multis annis concionator docuit salutaria; interim procurator domus professæ, et fabricæ præfectus. Tertio ætatis supra septuagesimum anno supremum quievit.

32 P. Argentus rector Collegii Mutinæ.

A Mutina, Collegii ibidem rectorem, olim Lituanicæ visitatorem provinciæ, virum præclare meritum, Joannem Argentum, nuntiatum, VI kalendas decembres decessisse. Cognoscendæ Poloniæ prima Joanni data occasio anno 1603, cum Stephanus Bockaius vexaret Transylvanos; tum Joannes Claudiopolitanum suum rector Collegium subduxit Cracoviam, a rege Sigismundo III acceptus perbenigne. Provinciæ Austriæ præfectus, 1611 a Claudio generali delegatus, visit Poloniæ et Lituaniæ, divisas modo, provincias; inspecturus cominus, quam ob rem in illis Socii vexarentur. Re probe explorata, quæ Sociis offerentur injuriæ, in supplici libello regi Sigismundo exposuit; itaque principem ad Societatem in suo regno diligentius tuendam permovit. Vilnensi Collegio accurate inspecto, anno 1614 instituit, ut Socii diebus certis vicos, plateas, suburbia obirent, plebeculæ magistri, et ad pietatis officia hortatores. Dum Sociis in Lituania Joannes pie amanterque consilia sua commendat, ad munus præpositi generalis, per mortem Claudii Aquaviva relictum, novem et viginti electorum suffragiis invitatur. Ea Joannes virtutis existimatione et sapientiæ florebat. Sed laudes viri aliis, suis maxime gentilibus celebrandas relinquimus, persecuturi quæ magis nostratibus sint affinia.

33 Vilnense Collegium convalescit. Demetrius M. Ducis filius.

Vilnæ Collegium et scholæ a pestilenti clade refloruere insigniter. Septuaginta et quinque in domicilio Socii, septingentis plures in scholis academici censebantur: inter eos Joannes Demetriades, Demetrii Iwanowicz, magni Moscorum ducis filius, ex Marina, Mnischorum Sandomiriensium palatinorum filia, progenitus: a Sigismundo III, rege Poloniæ palatino Vilnensi Leoni Sapieha, ab hoc nostris academicis anno 1626 XVI commendatus: adolescens indolis egregiæ.

In eadem civitate domus nostra novitiorum parentavit Stanislao Woyna, antistiti Vilnensium canonico; id quod ipse testamento ita caverat: « sepeliri « in cinere ibi desidero, ubi, magno id cum dolore meo, non fui dignus vivere: « scilicet in templo Sancti Ignatii, fundatoris Societatis Jesu, Jesu Dei mei. » Quibus verbis professus est id, quod erat: se instinctu divino aliquando excitatum motumque fuisse annis abhinc octo, ut Deo se in Societate dederet. Ductum funus Stanislai a suo patruo, Abrahamo Woyna, Samogitiæ tum, deinde Vilnensium episcopo; præcedente canonicorum clerique collegio frequentissimo. In platea, quæ ducit ad templum Sancti Ignatii, novitiis nostris obviam factis, funebris pompa substitit. Hic antistes, funeris arbiter, « ecce tibi, inquit, cara Deo Jesu « Societas, nepotem meum ex fratre charissimum: Ordinis vestri, quod probe « nostis, amantissimum; qui dum viveret, magis ille vester, quam noster aut « suus esset: inter vestros ille cogitatione et animo habitabat. Hujus funus « grati excipite; animum precationibus vestris Deo pii commendate. » Mox Socii feretrum subeunt, proque sodali suo deportant.

1626 34 Stanislai Woyna funus in templo Vilnensi S. Ignatii.

Funus insigni, quanta decuit, pietate celebratum. Habeat hic aliquod suæ monumentum laudis bene meritus senex, Joannes Zylis, ex Ordine nostro adjutorum, Orsæ in Collegio demortuus. Religiosissime versatus ille in omni vita sua; sive rem templi æditus, sive familiam domus curator administraret. In supremo morbo, appetere jam tempus mortis persentiscens, dum solicite animum suum examinat, atque ad reddendam Domino rationem villicationis suæ se comparat, aspectabilem se offert servulo suo, divina circumfusus luce, Salvator Jesus, satisque ipso conspectu solatus ægrum: euge, inquit, serve bone et fidelis; mihi tu laboravisti, mihi tu vives in æternum. Hac voce mirifice recreatus, lacrymans præ gaudio et singultiens, quid nuntii accepisset, rectori suo, Martino Kovnackio narrat; mox, Sociis amanter valere jussis, in illis verbis: Ecce ego, Domine mi, quia vocasti me! In manus tuas commendo spiritum meum; ad Dominum abiit quarto supra sexagesimum ætatis, a tirocinio anno tricesimo.

35 Joannis Zylis mors bona in Collegio Orsensi.

Bobruisci, in oppido Rzecicensis provinciolæ, jam diu desiderabat e Societate incolas, Parnaviensis palatinus, Petrus Tryzna cum sua pia conjuge Anna, ex illustrissima Masalskiorum familia; anno 1623 asignatis et area domicilio et prædiis. Quinquennium amplius Socii Bobruiscum Nesvisio ad facienda civibus officia excurrebant; nunc tandem a præposito provinciali, Joanne Jamielkovskio, deducti in coloniam aliquot, in arcis regione, concessu regis Sigismundi, se collocarunt. Beneficia parentum auxit, hæres pietate similis, Petrus Casimirus Tryzna

1627 et 1628 36 Bobruisci Sociis offertur domicilium.

1627 et 1628

cum bona conjuge Sophia Vollovicia, et ipse præfectus Bobruiscensium, ut vocant, capitaneus. Ad fundos horum pagosque partem e suo patrimonio addidit Petrus Sulatickius, vir cum pietate tum genere nobilis. Donationes auctoritate sua rex Vladislaus confirmavit. Auctis novi domicilii rebus, additi primis duo Socii sacerdotes, Stanislaus et Michael Krecsmannus, e Nesvisiensi Collegio.

37 Caunæ offertur domicilium.

Vilna, ex Congregatione provinciali, missus Romam procurator P. Jacobus Lachovskius ; qui præter alia præposito generali proponeret admittenti domicilii causas, Caunæ, in oppido Lituaniæ nobili, Sociis oblati.

1629

38 Nesvisii templum S. Michaelis dedicatum. Beneficia B. Archangeli. Collegium disturbat renata pestis.

Nesvisii, in Monte Angelico, perfectum templi ædificium, supellectili sacra arisque ornatum, a vicario Vilnensis episcopi 1629 dedicatum. Id loci patrocinio Beati Michaelis multi mortalium, suis liberati malis ; illi, nuper moribundi, comitiales, paralytici, oculis capti, spastici, surdi ; gratis animis divina beneficia hoc anno professi sunt. Plerosque eodem compulit metus pestilentiæ, Samogiticas, Lituanicas, Russicas, Masoviticas civitates evastantis. In communi clade neque Nesvisiensibus sartis diu tectisque esse licuit. Anno insequenti ex ipso advenarum hospitio et contagione concepta rursus pestis. (Vid. num. 26.) Subducto in Polesiam Collegio, PP. Laurentius Bartilius et Joannes Alandus cum aliquot

39 Vilnæ PP. Novacki et Labanovski.

adjutoribus civitati relicti ex eo periculo superarunt. In istiusmodi officiis Vilnæ interiere aliquot, duo præcipue memorandi patres : Andreas Novackius, nobilis Rutenus, præses Sociorum ad ædem Beati Casimiri professorum, et Joannes Labanovskius ex academico Collegio, Vixit P. Andreas in Societate annos 44. Statim a philosophia, Vilnæ tradita, domui professæ præpositus, hanc atque alias alia Collegia insigni cum laude rexit. Bis Romam visit : alias rerum provincialium procurator, comes episcopi Vilnensis alias. Vir doctus in primis atque eloquens (1), præclara eruditionis suæ, stilo scripta nitidissimo, reliquit monumenta ; inter ea conciones, luce publica dignas. In Patre Joanne, præter singulare castimoniæ donum, multa inerat laus : in primis pietas erga Deum, charitas in miseros mortales quos omnibus ille opibus, in salutis æternæ negotiis maxime, adjutabat ; non modo suum implorantes auxilium benigne exceptans, sed curiose etiam in carceribus et ptochotrophiis requirens. Miseri ergo, moribundi, afficiendi suppliciis, in suarum quisque rerum articulo P. Joannis maxime opera utebantur. Adamavit propterea virum Vilnensium episcopus Benedictus Woyna, atque ad aulam suam depoposcit. Usus illo, et animi sui arbitro et concionatore, quoad vixit. Lustrante

(1) Rhetoricam domesticam nostris tradidit annos 8 ; concionator annos 9 ; philosophiam tradidit annos 3. Rexit Pultoviæ, Varsaviæ. Vixit in Societate annos 44.

diœcesim suam antistite, adesse tum Joannes maxime : obire paganorum casas : 1629
excire ad scholam christianam agrestes et instituere : multa plebis agmina, festis maxime diebus, ipse ductare et antistiti offerre. Excessit Joannes, perpetuis contritus laboribus, ad septimum idus majas.

Vilnæ Sodalitas a SS. Josepho et Nicodemo dicta confirmatur. Cura ejus templi.

Idem in primis curas suas et industrias contulerat in sodalitatem, a divis Josepho et Nicodemo nuncupatam, Sociorum maxime studiis Vilnæ quinque abhinc annis institutam, hoc anno propagatam ac stabilitam. Constructæ excipiendis morbidis ædes ampliores ; deductæ eo canalibus aquæ fontales ; conditæ vasisque suis instructæ balineæ, ducta subter templum recolendis Christi Domini passi, sepultique mysteris, cryptoporticus ; corrogata alendo ad ædem sacerdoti, inque redditus annuos collata, pecunia. In ea gerusia alebantur egentes principio quinquageni, deinde duceni amplius. Quatuor mensium intervallo quadringentis plures, pestilentia oppressi, alio alii continuo in locum relictum succedente. Affluentibus in dies pluribus alterum grandius a civibus assignatum in alia urbis regione miseris receptaculum ; in eo treceni amplius curabantur : horum centum capita trimestri spatio mors abstulit.

Amplitudo nosocomii.

Strages ex pestilentia.

Plagam adeo mortiferam, Lituanis inflictam, haud dubie imminentem genti suæ, multis supplicationibus deprecati sunt Samogitæ ; interdum illi ad decem millia unum in locum congregati. Unum e suo Crosis Collegio Socii amiserunt, eumque domus præsidem, suæ magistrum vitæ religiossisimum, Petrum Millerum, olim Vilnæ tironum nostrorum annos XI a 1617 rectorem, antehac Rigensis Collegii, virum omnium opinione sanctum. Rerum ille divinarum sitiens, in eas meditandas quotidie horas quatuor, interdum plures, nixus genibus, perfusus lacrymis, mente a sensu rerum abstracta, insumebat. Sacrificiis, quotquot suo in templo fierent, omnibus aderat. Jejuniis, subucula cilicina, flagellis, ferreis catenulis corpus, jam diu pio illud obsequens animo, inclementer afflictabat. Mira in homine morum suavitas, spectabilisque ipso etiam in vultu sanctimonia observantium animos ad rerum amorem cœlestium hortari videbatur. Hinc erat, ut, cum salutare quidpiam suaderet, non solum concionabundus, sed familiariter etiam sermocinans, etsi suæ germani voculæ auribus Polonorum corruptæ acciderent : grata omnibus tamen, ac sæpe perutilis sua foret oratio. Decessit anno ætatis suæ sexagesimo.

40

Samogitæ pestem a se deprecantur.

Crosis obitus P. Milleri rectoris.

Edita strage in Lituania, in Poloniam manavit pestilentia ; hoc malo pagos et urbes populante, Gustavus Suecorum dux irruit a Prussia. Perculsa tum in primis Samogitia. A leucis amplius sex, præeuntibus Crosensis Collegii Sociis, per loca sacra, dena prope supplicantium millia circumducta. Gementium et opem divi-

1630

41 *Samogitæ hostem et pestem supplicationibus ab se amovent.*

42 *Tartari hostes depelluntur.*

nam implorantium vocibus sylvæ et confragosa loca miserabiliter personabant. Valuisse preces apud Deum suas credidit populus, quod et pestilentia inter hæc abiit, et hostis multis locis, apud Trzcianam maxime et Stumum, a nostratibus cæsus, inducias in quinquennium pactus est. Tartari quoque, qui tempestate eadem, ducibus Galga et Cantimiro, sexaginta amplius immanium hostium millia, in Russiam Polonicam irruperant, jamque proxima Socaliæ loca fœdum in modum evastarant, a Stanislao Lubomirskio palatino Russiæ, et Stanislao Chmieleckio, pars fusi, pars capti, pars in sua cubilia rejecti.

43 *Vilnæ salus civium S. Bennoni commendata.*

*A cœnobio PP. Carmelitarum ex hausto claves Sociis offeruntur.*

*P. Symonovicz et F. Daniecki mortui in obsequio.*

Insequente etiam anno Vilnenses Socii inter funera versabantur. His, Cœlitum omnium patrocinia implorantibus, præses Vilnensium palatinus Leo Sapieha cultum divi Bennonis episcopi (cujus ipse opem expertus esset) commendavit, et ut propenso erat in Societatem animo, hujus beati effigiem, tota hanc Vilnensi civitate celebrante, supplicantis ritu ad templum domus professæ deduxit, inque ara a se constructa proposuit. Eodem claves templi cœnobiique sui contulit, unus omnium e suorum collegio superstes, sacerdos Ordinis Carmelici, per beatam Teresiam instituti. Ipse quoque æger, ac propediem consecuturus demortuos sodales suos, curæ Sociorum nostrorum ac fidei se suæque familiæ rem omnem precibus commendavit. Divino itaque præsidio professa domus, ex quo tempore divo Bennoni commendata esset, inter præsentissima pericula fuit incolumis : antequam hunc divum tutelarem ascivisset, amissis in officio charitatis, laboranti civitati præstito, Sociis duobus : Stanislao Danieckio et Stephano Symonowiz : hoc in rebus domesticis adjutore, concionatore illo, viro divinæ gloriæ et humanæ salutis cupidissimo. Eadem tempestas viros pariter officiosos corripuit e domicilio novitiorum duos : P. Urbanum Hepnerum, Borussum, hominem cum pium tum eruditum (1). Primus hic magister præfuit sodalitati Germanorum civicæ, a P. Pompilio visitatore provinciæ hoc anno institutæ. Occubuit in cura suorum Sodalium annos natus 42, exactis 12, in Societate, quatuor vota professus. Secutus hunc, suus in eo ministerio Socius, Stanislaus Grzegorzevicz, adjutor laicus, quinque supra 70, annorum senex, 45 in Societate versatus, et ipse olim per scholas catecheticas notus civitati rudium magister. Grandius aliis multo provinciæ damnum est factum in duobus viris principibus : Martino Szyskovskio Cracoviensium, et Eustachio Wolowicz Vilnensium episcopis. Præcipua in his duobus amissa sunt Sociorum præsidia. Martinus rudiorem ætatem in scholis maxime Societatis annos amplius decem exercuit : Romæ magistro eloquentiæ Francisco Bencio, theolo-

*Episcoporum, Martini Szyszkovskii et Vollovicii merita.*

(1) Præfectus germanicæ Sodalitatis primus cum Socio occumbit.

giæ Roberto Bellarmino usus; quibus ille præceptoribus maxime, doctrinam 1630
suam, quam ex ipsis etiam libris a se conscriptis (1) abundantem fuisse intelligas, acceptam gratus referebat. Inter litteraria ejus monumenta exstat, præclara illa piæ voluntatis suæ professio, *Oratio pro religiosissimis Patribus Societatis Jesu contra ficti Equitis Poloni actionem primam*, sic a se inscripta, typis Cracoviensibus anno 1590 vulgata. Roma a confecto theologiæ curriculo in patriam revocatus, in collegium canonicorum Cracoviensium cooptatur; mox adjutor muneris pontificii Stanislao Gomolinskio, Luceoriensium episcopo, suffragio Sigismundi III regis additus, anno deinde 1594 eidem suffectus demortuo, domicilium Societatis Collegio condere Luceoriæ instituit; cujus absolutionem successori suo Paulo Voluckio commendatam reliquit, in Polocensium cathedram translatus. Ex ea diœcesim annos decem gubernavit diligenti commissi sibi populi cura, præclaris vitæ exemplis, concionibus sæpe habitis. Plociæ Collegium Societatis condidit. Pultoviæ juventuti scholasticæ inopi construxit hospitium. Inde ad Cracovienses promotus infulas, divo Stanislao martyri monumentum basilicum excitavit in suo templo Cracoviæ. Ter quot hebdomadis jejunabat; quot diebus ad supplicandum Deo aulam omnemque familiam signo æris campani, singulis mensium kalendis ad sortiendos in mensem beatos patronos, convocabat. Kielcis, in oppido suæ diœcesis, templum divo Carolo Borromæo, quo ejus quoque reliquias sacras intulit; et cœnobium Patribus Ordinis Beati Francisci Seraphici; Ilsæ templum item e cocto lapide ædificavit; ibidem reparavit arcem, urbem prætorio aliisque ædibus auxit. Complura alibi fana, vetustate prope collapsa, refecit. Prædia canonici sui collegii ab iniquis possessoribus, templa catholicorum quadraginta amplius ab hæreticis vindicavit. Bello Chotimensi præsidium Cracoviæ suis impensis sustinuit. Vir Dei reverens, religionis amans et patriæ, juris consultus, in judicando perspicax, in dicendo perpolitus, in convictu gravis idem et comis, in causis tenax justitiæ. Vixit annos 76; rexit Cracoviensem diœcesim annos 14; decessit mense aprili.

Nicolai Szyszkovskii, Varmiensis episcopi, elogium.

Hujus ex fratre nepos Nicolaus, Varmiensium episcopus, et ipse de Societate bene meritus, secutus est patruum an. 1643. Hic Resseliense Collegium annuis donavit redditibus: Collegio Societatis Romano novitiorum ad ædem B. Andreæ vasa obtulit argentea multi pretii. Eximius B. Francisci Xaverii cultor, eidem calicem aureum, ad aram offerendum, Goam usque misit. Borkoviæ templum e muro solido condidit (2).

(1) Vide horum catalogum apud P. Gasparem Niesieckium, libro *Korona Polska;* adde Tractatum pro Societate Jesu, ex Hecatombe Scriptorum Polon. Simonis Starovolskii.

(2) Vide cætera in Facie Rerum Sarmaticarum P. Naramovski Lib. II, c. 6.

1630

Eust. Vollowicz ep. Vilnensis.

Monialium Benedictinarum, Augustinianorum, Carmelitarum, et Sodalitatis Condolentium fundator Vilnæ. S. Bennonis reliquias in ædes S. Casimiri intulit. S. Stephani templum erexit. Collegium invalidorum condidit.

Martinum Eustachius, Vilnensium episcopus, quinto idus januarias ad immortalitatem antecessit (1). Natus Joanne, Lituaniæ mareschallo, frater germanus Hieronymi præfecti generalis Samogitiæ. E procancellario Lituaniæ creatus Vilnensium episcopus pulchre cum antistitis tum senatoris munera sustinuit, vir sapiens pariter et sanctus. Officiis etiam legati functus præclare, sive cum apud Romanum Pontificem Paulum V, sive cum apud principem Florentiæ nomine Polonorum, sive apud cives, Sigismundo III perduelles, a rege et republica ageret orator. Hic Vilnam primus introduxit sacras Deo virgines Benedictini instituti : Fratres Eremitas S. Augustini Regulares : Carmelitas Reformatos : Sodalitatem Condolentium cum Christo : sacras item Beatorum, Eustachii in ædem suam diœcesanam, Bennonis in templum professæ domus nostræ, reliquias. Templa partim recuperavit, ab hæreticis erepta, partim refecit vetusta ornavitque. Vilnæ templum Beati Protomartyris e fundamentis excitavit ; ibidem collegium clericorum invalidorum instituit. Bibliothecam Collegii nostri academici suis auxit libris. Exercitationibus sacris divi nostri parentis quot annis operam dabat diligenter ; quot feriis sextis flagro se catenulisque ferreis castigabat. Preces canonicas, positis humi genibus, pietate magna recitabat. Feria hebdomadæ sacræ quinta mendiculorum pedes, exemplo Christi, abluebat. Societatis existimator constans ac tutor.

Moszynskius cæsus Nesvisii.

P. Rafalowicz et Socius comburuntur.

Novogrodeci Joannes Moszynskius (2), vir pius idem ac nobilis, certam pecuniæ summam in aream domicilio ponendo et in templi constructionem præposito provinciali Michaeli Ortissio jam anno 1624 obtulerat. Missi aliquot in coloniam Socii cum P. Michaele Rafalowicz, domus præside. Res oblatas templumque e lignea materia, in foro urbis principe, e regione fani calvinici constructum, accipiunt. Moscovitis interim Lituanos infestantibus, pius senex Moszynskius Nesvisium confugit ; ratus locum eum fore sibi tutiorem. Vix eo se contulerat, capitur oppidum, interque oppidanos ipse cæditur. Inde Novogrodecum totamque provinciam hostis ferro igneque populatur. Immanior fuit cæteris dux Cosacorum Zlotorenko. Hoc suos instigante in sacerdotes ritus maxime romani, duo in primis nostri, P. Michael et adjutor laicus N. Surgiewicz Wołk, multis confossi vulneribus, in rogum conjecti, comburuntur.

46

Libro concionum Petri Skarga

In hac civitate, adhuc incolumi, e grege Arianorum nuper ejecto, delituit, fraudibus nescio quibus tectus, homo non ignobilis neque illiteratus. Librum ille concionum Petri Skarga, et apposita quædam ejusdem adversus Arianos scripta, per-

(1) Vid. ibid. lib. II, c. 9. p. 362. — (2) Novogrodeci fundamenta domicilii.

volutans, in eam veritatis incidit lucem, ad quam horrenda suæ monstra sectæ clarius, quam vellet, conspiceret. Eo lumine quasi fulgure præstrictus, simul librum iratus in rogum conjicit, simul, percussus quasi fulmine, in terram labitur, amissis repente sensibus fere omnibus. Remediis tentatis frustra, brevi interiit. Ea plaga hæredes sui domestici nihilo prudentiores, librum, suæ quasi domui fatalem, quem urere jam vererentur, in angellum et quisquilias abjiciunt. In abjectum ita incidit forte hospes catholicus : aufert domum suam, domino non modo non invito, sed ultro etiam offerente. Hic etiam, quod narrant, mirum. Dum apud hunc catholicum hæreticus conviva, argumento religionis catholicæ obiter lecto, in chartam conscindendam it unguibus, manus repente spasmo contrahitur; neque prius restitutus est usus, quam facti, errorisque sui in secta perdita diuturni, pœnitens, religionem catholicam sit professus; ad quam domesticos idem suos et complures gregales vel exemplo perpulit suo vel etiam hortatu.

1630
hæretici percelluntur.

## LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER OCTAVUS

(1630-1640.)

1631

1 Constantiæ reginæ obitus Varsaviæ.

Luctu gravi Sigismundum regem, jam diu aliunde ægrum animo illum et corpore, regiamque aulam regnique cives affecit mors conjugis regiæ, Constantiæ, eaque repentina, imprudentia medici accersita. Ut erat insigni, avita illa Austriaca pietate, Caroli Austriaci et Mariæ Boiorum principis filia, die Theophoriæ sacro, ardente maxime cœlo, Varsaviæ supplicantes cum rege et sua familia pedibus per vicos urbis sectata, virago in ipso ætatis flore uberior, delassata est atque inarsit. Ardorem febrilem coortum inde medicus repugnantibus salubritati fomentis exacuit. Nec animadvertit ullus periculum prius, quam ubi jam actum esset : regina exanimi VI idus quintiles diluculo a cubiculariis reperta.

Cor hujus conditum in templo Collegii.

Casum acceperunt omnes, in primis Sigismundus cum prole sua, Joanne Alberto, Carolo Ferdinando, Alexandro Carolo et Anna Catharina præsentibus, acerbissime. Desideravit ante multos piam reginam Societas Lituana, insignibus obstricta beneficiis. Cor ejus, benevolentia olim plenum, regis admonitu, in templo Sociorum Varsaviensi conditum. Laudant Constantiam nostrates historici, atque inter alios ipse quoque Paulus Piaseckius (1), alias Sigismundi et regiæ suæ familiæ iniquus

(1) Chronic., pag. 52.

æstimator. Quatuor marito optime institutos, quorum hic meminimus, parens felix reliquit filios : ex his Joannes Albertus, ab obitu Simonis Rudnickii antistitis, princeps idem episcopusque Varmiam gubernavit. Hoc antistite Socii Resselium se intulerunt, a regio Sigismundi secretario Stephano Szadurskio invitati : probantibus Stephani consilium rege et antistite Varmiensi cum suo canonico collegio : accipientibus donum, nomine præpositi Societati generalis Mutii Vitellesci, Patribus Pompilio Lambertengo, provinciæ visitatore, et præside provinciali Nicolao Lancicio. Traditæ invitatis cœnobii templique parietinæ, jussu Joannis Alberti : exequente principis mandatum vicario ejusdem, canonico Varmiensi, Hipponæ episcopo, Michaele Dzialinskio, per manus Mathiæ Zechii, Gudstadiensis canonici, Resseliensis archipresbyteri. Venerunt in possessionem rerum Socii cum suo rectore Andrea Klinger 1631 (1). In primis fuerunt PP. Andreas Bruchmannus et Simon Heinus. Templi et domus, diuturna ab habitatoribus solitudine et vetustate materiæ ipsa corruptorum, vix ipsi hærebant parietes. Primos is locus acceperat incolas (2) monachos, Augustiniani instituti eremitas, Hermanno de Bohemia Varmiorum episcopo, anno 1347 accitos, XII kalendas decembres introductos. Collegium illud monachorum membrum erat primum Bavaricæ, deinde Saxonicæ provinciæ a 1359 ad 1530 ; quo denique anno, latrocinante hæresi maxime lutherana, dissipatum. Supellex cum templi tum domus jam olim ab hæreticis distracta : reliqua a Joanne Varmiorum episcopo in parochos distributa. Horti et fundi civibus in emphyteusim dati : Andreæ Bathorio cardinali, Varmiorum antistiti, anno 1598 redhibiti : clericis, qui lingua concionarentur polonica, assignati : Societati denique anno 1631 traditi, procurante in primis, viro nobili, Stephano Szadurskio. Indigne id ferre provincialis Augustinianorum præses in Polonia Isaias : dicas ille nostris impingere, perque fora omnia arcessere ; quæ lis denique Varsaviæ 1636, concedentibus æquitati causæ et auctoritati patronorum actoribus, in primis præside Varsaviensis cœnobii Ægidio Millero et Stanislao Kornicio theologiæ magistro; decreto judicum III idus octobres composito. Confirmatum ita jus suum, nomine Societatis, præses Resselianæ domus P. Thomas Clagius obtinuit.

1631

2 Resselii desertum offertur Sociis domicilium.

Augustiniani relicta frustra repetunt.

Cum Resselianis Lindanæ, sive sacræ Tiliæ, res et ortu suo et loco sunt conjunctissimæ. Linda, fundus Prussiæ, in territorio Bartenlandiæ, ad gradum longitudinis 48, latitudinis fere 54, Resselium inter et Rastenburgum oppida, duosque lacus Virbellum ab septemtrionibus, Denaum ab austro, loco

3 Lindæ Sociorum domicilium.

(1) Pridie kalendas decembres. — (2) Vid. Historiam Prussicam J. Leonis, pag. 511.

1631 Situs loci. situs amœnissimo. Ad rivum perennem, quo lacus isti conjunguntur, loco circum nemoroso, herbido planoque, inter duos colles, alterum ab oriente, ab occidente alterum, virides illos nitidosque, ædes hodie divæ Virginis, Dei Parentis, basilica visitur. Nomen. Nomen loco a tilia, Germanis *Linde*, Polonis *Swienta Lipka*, a prodigiosa Beatæ Virginis Mariæ imagine, inter tiliæ ramos, annis ab hinc centum amplius ducenisve (cum Ordo Teutonicus in Prussia suis et religionis sinceræ et rerum gestarum floreret laudibus) ab homine calamitoso, cujus ageretur salus, ope divæ Virginis admiranda liberato, fortuito reperta. Effigies Beatæ opere statuario, dolata ex tilia, capite coronam, dextra sceptrum, læva puerulum Jesum gestantis. Antiquitas. De hoc simulacro apud nostrum P. Thomam Clagium Michael Ciaritius de Vartenburg, presbyter Varmius, primus historiæ Lindanæ scriptor : « a primo « fere, inquit, statu christianæ fidei in Prussia videndam se præbuit admiranda « effigies Beatæ Virginis Mariæ, divina arte et manu facta ; quæ puellum Jesum, « Deum nostrum, maternis ulnis gestaret. » Locum hunc celebrasse aliquando suis Dignitas miris ostentis declarata. cœlites carminibus, auctor est idem Ciaritius ; idque sic narrat : « Fecerat cædem « hominis in tumultuaria pugna eques Prutenus, et fugæ præsidium ad tuendam « salutem arripuerat timore impendentis supplicii ; varia eum loca adire, et latibula « quærere compellebat. Evenit forte, ut noctem quandam in silva, quæ ædem « hanc in coronæ modum fere circumcingit, traducere constitueret ; sed somnum « et conscientia facinoris et solitudo ipsa ab oculis arcebat. Pervigilans igitur, « cernit e sacelli area (jam ædiculam id loci aliquam fuisse tum, oportet) progre- « dientem turbam haud modicam, candidissimo velatam amictu, faculas manibus « præferentem, locumque sacrum, decentissimo ordine circumeundo, lustrantem, « et suavissimum quoddam melos personantem audit. Istud cum terna vice fa- « ctum fuisset, idem sacer cœtus eo se, unde exierat, rursum retulit, et confestim « disparens mirantis oculos destituit. Ille divino viso attonitus, in aliumque virum « mutatus, scelus digne expiavit. Creditum est, Angelos humana specie fuisse, « qui locum hunc venerati laudes Deo concinuerint, et, homicida ad meliorem « frugem revocato, læti discesserint.

Inde locus in dies divinis inclarescere signis, atque a populo christiano celebrari. Præter alia, miraculo erat ea ipsa tilia, perpetuo per omnes anni tempestates succosa, viridis, odorifera, sui una inter omnes similis ; omnibus circa arboribus vigentibus alias, alias senescentibus ; ad hæc horror ille sacer, quo non homines modo, qui locum viserent, se perfundi sentiebant : sed pecudes etiam, quæ aderrassent, moveri videbantur, cum perculsis venerabundisque similes, arborem illam

versus procumberent. Multa admiranda, divinitus hoc loco edita, vulgavit scriptor rerum Lindæ Marianæ, P. Thomas Clagius. His permoti proximi loco cives, Resseliani hinc, illinc Rastenburgici, cogitare de transferenda suum utrique in oppidum prodigiosa imagine, interque se, utri potius jure id agerent suo, disceptare. Viciniores loco Resseliani, potiores mancipii jure Rastenburgici : hi, condicto inter se die, clam suis rivalibus, frequenti compositoque supplicantium in modum agmine, præeuntibus cum parocho clericis, subsequentibus populo et (quod opinatur Clagius) cum suo præfecto, sive, ut vocant, commendatore, copiis Ordinis Teutonici, inclytum lucum subeunt : prodigiosum signum læti venerabundique auferunt, inque æde sacra, gratulante civitate sua, componunt. At homines suo id agunt non divino omnino consilio : nam et postridie ejus diei, quo in templum fuisset illatum, et alias atque alias, eodem relatum, modo plane mirabili ad suam tiliam rediit simulacrum ; interque frondes, suo illo in veteri solio compertum est resedisse. Affine hoc illi miraculo, de quo noster Horatius Tursellinus in sua domus Lauretanæ historia : « fama tenet, inquit, antiquissimam Christi crucifixi « imaginem simul cum domo (Nazaretana) advectam, multiplici, eodem tempore, « miraculo extitisse insignem : nam cum eam efferri, et in sacello, ad id exor- « nato (quo honore coleretur majore) reponi Recinetensibus et episcopo placuisset : « translatam subinde in sacram remigrasse domum, et in suam sedem recepisse « se. » Itaque (ut illos Recinetenses sic nostros Rastenburgicos) re nequicquam sæpe tentata, irrito demum incepto destitisse.

*1632*

*Rastenburgenses in suum templum transferunt imaginem.*

*Restituitur suum in locum divinitus imago.*

Quandoquidem hoc loco monumentum gratiæ suæ mortalibus propositum divæ Virgini visi placuisset, positum eidem ibidem sacellum; quod sacram quoque arborem parietibus suis complecteretur. Hæc in ædis medio, muro superior et tecto, ramis frondibusque superne densius secum atque sic complicitis, ut ne rorem quidem transmitterent, sacello pro tecto erat : patula illa, virens semper, odoremque afflans jucundum. Hic cum animo suo dictus noster scriptor Thomas cogitans : « quis, inquit, non in ea umbra, vel tacitus apud animum suum illud sibi « occinebat : *sub umbra illius quem desideraveram, sedi ; et fructus ejus dulcis « gutturi meo ?* Quæ enim hæc alia umbra, quam illa, de qua divinus ad Deipa- « ram nuntius : *Spiritus Sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi « obumbrabit tibi ?* quia enim illa (ut S. Ildefonsus Serm. 4. de Annunt. ait) meruit, « virtute Altissimi obumbrari, ut nos mereremur ejus precibus adjuvari. » Cum in dies majore fidelis populi pietate Lindanus Beatæ Virginis agellus celebraretur, atque a longinquis etiam Germaniæ regionibus, religionis et voti causa, concur-

1631 rerent frequentes : invidus divinæ laudis idemque humani generis hostis sacrum Lindæ monumentum ibat dissipatum.

Sacellum ibidem erigitur. Lutheranicæ sectæ primus in Prussia dux.

Jam inclytus quondam ille equitum Teutonicorum Ordo in Livonia pariter ac Prussia ab avita religione et virtute defecerat, evocatore ac duce, ultimo in Prussia Ordinis magistro, Alberto, marchione Brandeburgico ; qui primus haustum in Germania ex ipso Luthero venenum hæreseos tribulibus suis in Prussia propinavit. Hoc magistro Ordinis, sive, ut se jam appellari volebat, duce Prussorum, Hennebergerus, Lutheranici evangelii præco, de suo ejusmodi ostento in sua tabulæ Prutenicæ expositione : « anno, inquit, circiter 1508, sub Friderico « Misniæ principe, et generali ordinis Teutonici in Prussia magistro, triticum « purum a principe Brandeburgensi Joanne de Gablentz terræ mandatum fuit : « quod cum in herbam erupisset, animadversum est, majorem partem in alium « degenerasse. Cujus quidem alii capita aliquot magistro Ordinis in Misniam usque « missa sunt. Mali id ominis loco, sub Alberto Brandeburgico qui Friderico suc« cessit, a quibusdam habitum. Ego autem puto, Evangelium, quod hic sub « Alberto prædicari cœptum est, esse figuratum. » Enimvero æstimavit hic rem probe : ut alium scilicet usu fructuque est tritico simile, sic lutheranam hæresim sinceritate divini cultus respondere religioni catholicæ. Novarum inde sectarum rerumque studiosi Teutones Prutenici, suis instigantibus furiis, sacra catholicorum profanare : aras divorum incendere : simulacra aliaque pietatis antiquæ monumenta evertere ac dissipare.

Hæresis lutheranicæ ostentum.

Multa jam ejusmodi, Regiomonti primum, deinde aliis Prussiæ in oppidis, edita passim strage, sacrilegorum furor vertit ad Lindæ excidium, loci omnium sibi odiosissimi. Diruitur sacra divæ Virginis ara : exscinditur arbuscula, divinis inclyta beneficiis : ædicula cæmentitia ipsis prope fundamentis suis emovetur. « Tiliam (queritur dolenter cum piis (1) catholicis Ciaritius), Tiliam sacratissimæ « Virginis matris, incolatu venerando prænobilem, nefariorum furor stirpitus exci« dit. Lateres oratorii, ut et trabes ac ligna domorum illi adjunctarum, quæ eandem « demolitionis cladem subierant, Rastenburgum avecta, et in substructionem « stabulorum arcis conversa. Reliqua, avectione indigna, permissa ignibus, in « favillam redacta sunt (2). Ipsum denique Virginis Beatæ simulacrum, sparsum « in gurgitem lacus Virbelli, posteaquam jam ex gurgite natatu prodigioso, jam e « cœno, defossum ab impiis, emerserat, ruderibusque ædiculæ suæ mirabiliter « restitutum conspexerant ; ab eisdem ferro flammisque consumitur. Quamquam

(1) Tiliæ sacræ excidium. Hist. Lindanæ, pag. 6. — (2) Apud Clagium.

« autem (solatur hic se suosque noster Clagius) (1) ipsæ quoque tiliæ illius radices 1631
« excisæ tum fuissent : Marianæ tamen Lindæ radices, quibus illa divinitus nitebatur, et nunc quoque nititur, nunquam aut excindi aut evelli, aut etiam loco moveri potuerunt. Itaque non haurit illa quidem amplius, neque in truncum vel ramos derivat haustum de terræ venis humorem ; at haurit de cœlo succum, et large omnibus partitur mortalibus uberrimos gratiæ divinæ rivos. Non viret illa quidem jam pristina florum aut foliorum frondiumve amœnitate et gloria ; viret nihilo minus ac viget divinæ fructibus beneficentiæ et largitatis. Non tegit frondibus eductos in altum e laterculo parietes ; at protegit cœlestis gratiæ umbra populos undique adductos. Non præbet apibus dulcem ad mellificia rorem ; at præbet hominibus largum ad bene agendum beateque vivendum, divinorum auxiliorum imbrem. » Harum, inquam, et similium meditatione de Linda sua rerum pius senex sese suosque consolatur. Quas ejus impietatis suæ sacrilegi ultrici divinæ justitiæ pœnas dederint : quibus deinde Lindæ suæ locum Virgo Beata illustrarit commendaritque populo fideli beneficiis, ut quæ aliorum scriptis celebrata sunt (2), omitto ; ad res ipsas instituti nostri et temporis me revoco. Nonaginta amplius ab excidio sacræ tiliæ annos divæ Matris agellus incultus jacuit ; solitudinem loci suamque catholicis circum colonis miserantibus, visentibus crebro etiam tum illa rudera, et antiquæ pietatis munerumque divinorum monumenta inter ea ruspantibus. Commovit ea res studia tum episcopi Varmiensis Simonis Rudnickii, tum, quo antistes hic familiariter utebatur, Stephani Szadurskii, regii in aula Sigismundi III secretarii. Hic sui maxime animi impulsu, cogitatione curaque pietatis antiquæ in suum Lindæ restituendæ locum suscepta, persequi omnes vias, quibus speraret se, propositum suum posse consequi. Negotii plurimum facessebat procuratori pio hæreticus agri beati possessor, Otto Grobenus, vir nobilis, nummatus, sectæ idem lutheranæ pertinax amator. Rem ille catholicis hominibus caram, ac suis religionibus porro celebrandam, nullo se redhibiturum pretio obstinate affirmabat. Altius nimirum illi lutheranicæ virus sectæ, in qua natus versatusque adhuc esset, inhæserat, quam ut idolomaniam Lindensem (neque enim secus, atque ejusdem mandræ gregales, sentire ac loqui ipse tum poterat) sua qualicunque tandem opera postliminio revocaret, aut revocari pateretur. Sed, quæ studiis conatibusque Stephani nullis vinci poterat, regiæ tandem Sigismundi III auctoritati concessit Ottonis pertinacia. Accipere pre-

Szadurski curat Lindam restaurandam.

(1) Lindæ Marianæ, Lib. II, c. 6. — (2) V. Historiam Prussiæ a Joanne Leone decano canonico Gudstadiensi editam, lib. I. Lindam Thomæ, Clagii, lib. II.

1631 tium, quod offerebatur justissimum, sacroque profanus agro recedere, jussus.

Otto possessor loci resipiscit. Itaque res sua ad catholicos anno 1617, neque multo post, ipse quoque Otto, Lutherum execratus, ad Ecclesiæ auctoritatem rediit. Professus ille in constructo mox Lindæ sacello fidem catholicam et divinum in eo, quod se occœcatum adhuc luce religionis sinceræ illustrarit, beneficium, lætus cum fideli populo gratusque Mariam Matrem divinæ gratiæ prædicabat; duce ad hæc, hortatore, ac magistro usus P. Michaele Horna. Erat Otto, cum locuples præfecturisque ornatus, et aliquando a Prutenis ad regem et Polonorum comitia legatus, tum eruditus in primis, navus, industrius, et apud proceres gratiosus. Remisso lutheranis nuntio, aliam ille omnino vitam vivere, christiano scilicet philosopho dignam, civilibus etiam curis vacuam, ipsis pietatis addictam officiis. Turbido Prussiæ tempore, veritus, ne civilibus abriperetur fluctibus, in Germaniam se contulit ad Ferdinandum II imperatorem; cui, ut nuper Polonorum regi, eadem fide et prudentia fuit a consiliis. Suetico interim Prussiam miscente bello, bona catholicorum, in primis Grobenii, diripiuntur ab hæreticis. Tranquilliore post tempore revisit patriam. Hic bonum virum non majore affecit gaudio civium suorum affiniumque incolumitas, quam revalescens Lindani fundi res, et in eo pietas populi cultusque Divæ Matris. Vixit inde pie tranquilleque ad supremum diem; quem denique obiit vir exacta Ejus monumentum. ætate. Sepultus in templo Collegii Resseliensis 1649. Decem et tribus abhinc annis, animum suum Virgini Dei Parenti professus est, posita eidem in Lindano sacello ara; cui id elogii appositum : GENEROSUS. ET. NOBILIS. OTTO. VONDER. GROBEN. S. CÆSAR. ET. REGIÆ. MAJEST. CONSILIARIUS. ET. SECRETARIUS. AD. SERENISSIMI. REGIS. REGINÆ. AC. PRINCIPIS. POLONIÆ. AC. SUECIÆ. REQUISITIONEM. LOCUM. HUNC. AB. IPSIS FIDEI. CHRISTIANÆ. INITIIS. DEO. DEIPARÆQUE. SACRUM. AD ECCLESIÆ. CATHOLICÆ. CULTUM. REDUCI. CONSENSIT. ET. HÆRESI. OMNIBUSQUE. NOVATORUM. INVENTIS. ABJURATIS. SE. IPSUM. CUM. UNICO. FILIO. IN. EJUSDEM. ECCLESIÆ. GREMIUM. RECEPIT. ATQUE. HOC. MONUMENTUM. POSUIT. KAL. JUN. MDCXXXVI.

Szadurskii piæ curæ. Ottonis contumacia tandem expugnata, Szadurskius animo obfirmato rem agere propositam, et conatu urgere maximo : repurgare obrutam ruderibus aream : rimari fundamenta; multis diebus, labore multo, profectum nihil : adeo convulsa, contrita ab hæreticis, et arena lapidibusque obruta erant omnia, ut esset difficile vel ipsa, quibus nixi fuissent parietes, statumina deprehendere. Jam fossores spem ligonesque abjecerant; Stephanus interim, desiderio rei consequendæ incensus, quiescere haud poterat. Appetebat proxime dies IX kalend. decembres Virginis Beatæ, in templo Jerosolymitano oblatæ Deo, memoria sacer; hujus recorda-

tione excitatus, ultimo conatu periclitari fortunam hoc ipso die jubet operarios. 1631
Probatam esse hoc pacto et placuisse, oportet, Deo piam hominis constantiam : aliquot horarum intervallo, a triginta non amplius fossoribus tantum ruderis et sabuli egestum (1), quanto tumulo exaggerando treceni alias pluresque operarii haud suffecissent, vel si triduum illi quatriduumve intentis molirentur nervis. In aperto rudeto et fundamenta ædis et altare integrum Divæ, et nummi sparsi circum, reperta sunt. Qua re lætus auctor, omni inde studio et opibus in reponendam eodem loco Virgini Beatissimæ ædem incubuit. Triennio constructam episcopus Varmiorum Simon Rudnickius dedicavit. Reliquum erat, ut invitarentur antistites, quorum curæ commendaretur res sacra.

Sacellum commendatum sacerdotibus.

Jam eo consilio Stephanus homines Societatis collocarat Resselii bonaque sua eisdem donarat omnia ; idque anno 1626, VIII idus quintiles, confectis rite tabulis confirmarat. Sed quid causæ tum, nescio fuit, cur Societati donum id accipere non licuerit. Ea incisa spe, Szadurskius ad episcopum suum se confert, orat, ut e suo sacerdotum collegio tres minimum in Marianam Lindæ coloniam mittantur : paratam esse pluribus etiam colligendis domum : ædem, quam dedicasset ipse, desertam esse, ne pateretur. Impetravit id ille quidem ; sed eo gaudio suo fruitus est haud diu : mox hospites sui, vel tædio ejus inter tesqua solitudinis, vel pestilentiæ metu, evastantis circum pagos, dilabuntur. At locus suus curæ, oportet, ipsi fuerit Dominæ Beatissimæ ; isque ipsis e Societate Jesu inquilinis ab ea assignatus. E Collegio Brunsbergensi, nuper a Suecis dissipato, P. Simon Heinus cum Socio Resselium ad Szadurscianam coloniam confugit. Lætus ista occasione Szadurskius : « atqui vos, inquit, Patres, ipsa cœli terrarumque domina jam « dudum Lindæ in suo felici agello præstolatur. Præparata rite vobis ibi sunt « omnia. Donum Mariæ, quod integris nuper rebus vestris detrectastis , nunc « utique extorres, errabundi, fessique accipite. Quin eo jam alacres hac ipsa hora « ad hospitam, Dominam, Matremque vestram convolatis. »

Stephanus Szadurski Socios collocat Resselii.

Colonia a primis deseritur hospitibus.

Socii primi in colonia P. Hein et Busiacki.

Obsecutus pietati Simon, ita suas partitus est curas, ut nec Resselianis, pestilenti malo conflictantibus, deesset, et rem Lindanam, certis utique temporibus, quibus locum celebraret populus maxime, procuraret, isque jam solus ; amisso Socio, in re domestica adjutore, Georgio Busiackio, navo illo pioque viro, pestilentia in officiis charitatis Resselii extincto. Octo inde et vicenos id loci sancte utiliterque versatus annos Simon, pridie kalendas maias 1654, completo quarto supra octoginta, laboribus immortuus. De hoc in sua Clagius *Linda* : « paucis, inquit, ante

C. Busiacki in obsequio charitatis extinctus.

(1) V. Ciaritium.

1631 « quam nuper decederet e vita, diebus, quemadmodum et alias referre jucunde « solitus erat, quanto sibi in illa belli pestisque calamitate fuisset solatio illud ad « Deiparam Lindæ perfugium. Tametsi enim persæpe vix ea, quæ ad faciendam rem « divinam requiruntur, in illa rerum temporumque difficultate acquiri possent « (tantum abest, ut cætera affluerent) jucundum tamen erat frui illa facultate, qua « ad maternum quasi Deiparæ sinum clientulo recurrere, et apud Lindensem « ipsius regiam tum suas tum universæ Societatis vices liceret defungi. » Quo auspicatiora essent hujus gloriæ initia et loci sanctitas auctior conspectiorque ; simul se Lindam Socii, simul in templum hospitæ suæ beatissimæ sacra divorum martyrum pignora, Symphoriani et Liberatæ, anni 1634 nonas quintiles intulere. Rem integram sic, ut accepit, narrat idem, quin et verbis eisdem ; veritus, ne quid vel de auctoris vel de historiæ veritate detraxisse videretur.

Lindam BB. Symphoriani et Liberatæ ossa inferuntur. Narratio ex Linda P. Clagii Mariana.

« Quinto kal. julii an. 1631, dies triumphali sacrorum lipsanorum translationi « definitus est in districtu Resseliensi, proximus a visitante Elisabetham Virgine : « nam ipsis augustissimæ Virginis feriis concedendum aliquid fuerat inusitatæ et « flagrantissimæ hominum pietati, undique ad clementissimam Lindensis oratorii « præsidem concurrentium ; partim ut incenso supplicis animi cultu optata desi- « deriorum beneficia communi miserorum matri grati reportarent : partim ut « temporaria simul et æterna divinæ liberalitatis munera, interventu piissimæ « dominæ exposcerent, suisque necessitatibus compararent. Numerus concurrentis « protunc multitudinis fere quinque millium erat. Quadringenti divino refecti « epulo, singularia id loci sua in Deum ac Virginem Matrem studia ac venerationem « sunt attestati. Iter suum orsa est processio ab oppido Besteinensi, duobus « milliaribus Resselio dissito, in ipsa visitantis Deiparæ festivitate, post vesper- « tinam divini officii psalmodiam, frequenti incolarum concursu et comitatu, « multisque inusitatæ devotionis argumentis. Deferebant sacratissima martyrum « ossa bini presbyteri ; qui gravem solis urentis æstum, et multiplices longinqui « itineris molestias strenua sequaci ac morigera cum turba pedibus confecerunt ; « universæ vero viæ tædium indefessa divinarum laudum ac piorum concentuum « vicissitudine allevabant. Medio in itinere parœcia Glocksteinensis pulchro ritu « martyribus obviam processit, novisque in superos functa officiis, præcipuum « illis honorem habuit ; mox inde pari veneratione discessum, et quasi de integro, « concentu vario, prioreque ordine, præcipiti jam ad vesperum die, Resselium « itum. Consultum ante Resselii fuerat quid e triumphali divorum honore esset ; « ergo urbi campanis signum datum, cives militari ordine et apparatu, labaro

« civitatis præeunte, obviam exire : alii, ut collegiati opifices, ceroferaria circiter 1632
« quinquaginta, eleganti opere splendida, deportare: tota in occursum effundi
« civitas, clero cum choro præeunte. Ubi jam sacra lipsana cernuus extra mœnia
« populus suscepit, æneæ fistulæ fragore bellicum triumphum sonare ; et redux
« congratulantium agmen ad civitatem redire cœpit. Et quia, succedente nocte,
« major usus aurium quam oculorum fuit, commovit festivus campanarum pulsus,
« iteratus crebro scloporum sonus, et suave canentium melos, præsentium animos
« in attentiorem procedentium in triumpho martyrum venerationem. Jucundum
« erat, intueri civilem cohortem, ordine longo præ foribus templi parochialis
« dispositam ; cum jam limen ædis sacræ gloriosi cineres subirent, uno quasi igne
« crepusculum illustrare, et fragore non interrupto personare : ipsum vero tem-
« plum ad ingressum sacrorum corporum, luminaribus undique præfulgentibus,
« triumphali quodam modo ardere incendio. Conclusa est diei illius cum nocte
« solennitas. Postera luce, horis sublucanis, ad sonitum campanarum excitis
« hominibus, primumque re divina facta, novus cum sacro reliquiarum deposito
« progrediendi modus instituitur. Præibant signorum paria aliquot : pone
« juventus scholastica, eleganti vestium ornatu insignis et aureis torquibus,
« palmas præferens. Sequebantur sacerdotes frequentes, quos rei dignitas ad
« cultum divorum e viciniis convocarat, multiplici rerum apparatu instructi :
« horum unus, proxime sequentibus, triumphantibus imperatorum beatorum
« corporibus thure honorem faciebat. Ibat deinde cum primoribus civitatis
« Szadurskius s. regiæ majestatis secretarius, strenuus sacræ translationis pro-
« pagator : hic triumphale iter Besteino pedibus infirmis ingressus, Lindam usque
« perrexit. Cum ad Lindense sacrarium ventum est, ædes eleganti variaque
« rerum sacrarum supellectili ornata resplenduit : multa in auro et argento Divæ
« Matris divorumque simulacra effulsere. Sacelli parietes pulchro imaginum
« et peristromatum ornatu tecti nitebant. Post decantatum SS. Ambrosii et
« Augustini hymnum, concionator gloriosum martyrum triumphum oratione ad
« triumphum bene apposita celebravit. Ubi perlitatum esset, electa e scholis
« juventus, suis et illa divos præconiis collaudavit etc (1). »

Cum ipsis beatis martyribus illatum pariter prodigiosum illud crucis simula- 4
crum, quod nuper cruore manasse (v. lib. VII, num. 30) narravimus. Quantis ante- Signum crucis prodigiosum eodem infertur.
hac et consequentibus annis Linda claruerit, quam miris Dei beneficiis, dicere non

(1) Plura de Linda [scire cupientes] v. Informationem historico-juridicam an. 1725, et Enodationem hujus an. 1726, libellos, an. 1725 et 1726, editos.

1631 est hujus loci. Bene multa legas tum in Linda Clagii Mariana, tum in annuis Ressellliani Collegii. Quo nemo unus Lituanorum aspiraverit adhuc, a regione videlicet tantis disjuncta intervallis, ad extremam Asiæ gentem Sinas, Lituanus noster, genere ille ortus nobilissimo, P. Andreas Rudomina, christianæ religionis illis etiam prædicandæ populis desiderio incensus, penetravit. Annos quatuor supra viginti natus, decurso jam philosophiæ spatio, virginem ex illustri pariter familia sibi desponderat. Et jam ad dictum nuptiis diem, illustri comitatus sodalitio, ad præstolantem sibi paternam sponsæ domum pergit, cum subito lux homini divina oboritur : non istam esse sibi ad salutem æternam, quam imprudens iniret, vitæ viam : respiceret sponsus illud connubium, quo mentes castæ cum Deo conjunguntur, idque sibi divino consilio esse in Societate Jesu assignatum : hanc, si saperet, ingrederetur ; ipsam sibi propositam, salutis viam. Præstrinxit animum repentinus fulgor, hominemque in vestigio avertit. Actutum mutato Andreas consilio nuntium sponsæ rebusque profanis remittit, rectaque Vilnam ad Collegium novitiorum se confert ; acceptus anno 1618 se suaque prædia Societati alacer condonat. Andream secutus est suus minister aulicus, ipse pariter a Deo commonitus. Hic quia conditionis suæ memor Andream reverentius, quam inter pares, religiosos scilicet in Christo fratres, usu veniat, haberet, ab ipso reprehensus est : « quin jam, inquit, pristinæ vanitatis nostræ in hac humilitatis schola con-« disciputi obliviscimur ? nuper tibi imperitabam ego ; age sis, tu mihi hodie esto « imperator : utere hic tuo præfecti munere ; mihique fidenter, quid vis, obsecu-« turo impigre manda. Non committam, ut segnior in hoc meo, quam tu olim « fueris, aut nunc sis in tuo, videar officio. » A tirocinio, partim Vilnæ in Collegio Academico, partim Romæ, theologiæ dedit operam. Jam sacris etiam eruditum litteris, famulum suum sui consilii Deus secundum nocturnam quietem monstro admonuit ejusmodi : videbatur sibi videre orbem terræ humeris Sociorum impositum, gravem illum undique succolantibus, ea maxime regione, quæ plagam solis spectaret Orientis. Sub ea molis parte bajulos, omnibus quemque conniti viribus, sudare, ac viribus deficere. Sudores interim laborantium a cœlitibus geniis abstergi, et vires languentium confirmari. Spectare e cœlo Deum, atque e thesauro suo coronas auro gemmisque fulgentes tot promere, quot guttas sudoris labor cuique expressisset. Hæc admirantem appellat cœligena, monetque, « si placerent sibi laboris præmia, adesset ipse adjutor laborantibus. » Ille e vestigio offerre se operariis, onusque proclinatæ partis subire. Laudari statim a cœlicolis adjutor strenuus, Deoque commendari. Hæc per somnium. Inde

P. Andreæ Rudomina vocatio ad Societatem.

Per somnium invitatur ad labores Sinenses.

Andreas agi magno juvandorum Sinensium desiderio, eamque sibi provinciam pre- 1631
cibus deposcere. Neque abnuit præpositus Societatis generalis, Mutius Vitellescus.

Decurso itaque theologici studii curriculo, navem conscendit alacer. In itinere molestiis morbisque conflictatus, ita se constanter gessit, ut nautæ Andream pro Angelo comite haberent amarentque. Prius quam Goam appulsus esset, convaluit. Hic, valetudine non satis confirmata, ad nosocomium, linguæ sinicæ et virtutis suæ palæstram, se contulit. Institutus, mox omnes ille plateas, vicos, navalia obire, doctrinæ magister christianæ. Eo labore et ardore animi accensa febris acrior. Consilio medici mutandum erat Andreæ cœlum. Macaum propterea trajectus Goa; hinc in regionem salubrioris cœli Sinicam, provinciam Fokien, translatus (1). Omni eo loco, quoad poterat, rerum suarum, præco Christi, ardenter satagebat. Morbo ad extremum pertinaci et suo religionis christianæ studio conficitur. Abiit e civitate Sinensi Techenfu, principe urbium in regno Fokien, sive Fochieu, ad coronam, nuper sibi per visum a Deo promissam, nonis septembribus; quinquennium in eo difficili loco, ægra perpetuo valetudine, insigni cum laude et fructu salutari versatus. Parentarunt Andreæ catholici Fochieveni cives luctu et pietate præcipua; appositumque tumulo monumentum honorificum. Hæc e Japonicis P. Alberti Mencinski Poloni litteris huc nostris verbis transtulimus. **Monumentum Andreæ.**

5 **P. Constantinus Szyrvid Vilnæ.**

Academicum Vilnæ Collegium, ejusdem eximium decus, P. Constantinus Szyrvid valere jussit anni hujus X kalendas septembres. Is erat vir, qui suis exemplis virtutum studia commendaret, castimoniæ in primis, a lustrico baptismi fonte ad supremum vitæ diem servatæ integerrime: tum doctrinæ, navitatis, industriæ in omni officio, eoque multiplici. Sæpe ille eodem die modo tibi divinas litteras explicabat interpres: modo, concursans domos, ægrotis aderat medicus animorum: nunc, matutino tempore, in templo academico Lituanicus, mox in suo canonicorum Polonicus, concionator prædicabat, utrobique semperque utiliter. Monitus ab amicis, ut sibi parceret, neque tam facile multa unus susciperet negotia, quorsum igitur, respondebat, se vivere, nisi ut gloriæ divinæ causa laboraret. Ejus animi sui monumenta in libris etiam, a se conscriptis, editisque in lucem, genti suæ Lituanæ reliquit præclara (2). Morte imminente, magna cum animi voluptate, compos ille omnino rationis, narravit sociis, apparuisse sibi suum beatum parentem Ignatium, seque ab illo ad Societatem triumphantem esse invitatum.

Vilnensibus annus hic pestilens: quamobrem rector novitiorum Simon Blo-

(1) Librum a P. Andrea editum: Fortuna Panstw. [sive *de mutatione regnorum*] vide in catalogo scriptorum nostrorum. — (2) Vide eumdem.

1632

6 *Pestilenti tempore novitii Vilna subducti. — Aucta res domestica.*

nensis, sive Blonskius, suos in prædium, a Pelicanis dictum, in Braclaviensi provincia situm, hoc ipso anno a Simone Maffon, et ipso tum novitio, donatum huic domui, declinavit; tenuitque hoc loco menses novem, dum civitati salubritas rediisset. Res istorum domestica tenuis, hoc et insequentibus annis aucta insigniter. Vindicatum ex iniqua possessione prædium Condzinum : collectum a præside provinciali Nicolao Lancicio, collatumque in bibliothecam comparandam, in superstruendum ornandumque commune exercendis tironibus gymnasium, in tecta templi et domus, in supellectilem aliaque utensilia peculium.

7 *P. Niklewicii elogium.*

Sub finem anni excessit e Pultoviensi Collegio P. Simon Niklevicz, Leopolitanus patria, bene meritus de provincia Lituanica ; quam præfectus a 1615 annos amplius quatuor diligenter gubernavit. Pultoviæ, tum philosophiæ magister, civitati et Sociis, pestilentia afflictis, insigni charitate deserviit. Ex eo ministerio infectus ipse, malum divino beneficio superavit. Rector ibidem a 1608 triennium Sociis præfuit; inde XVI kalendas martias 1610 vota quatuor professus, academico Vilnæ Collegio annos circiter quinque præsedit. Eodem, posteaquam Socios Varsaviæ rexisset, ad gubernaculum revocatus; magna industria æs alienum Collegii dissolvit, ædes refecit, multaque alia egit præclare. Rector Vilnensis Collegii secundum, suffecto in locum suum alio, additus visitatori provinciæ Ignatio Vivaldo Socius, lustravit Collegia. Pultoviæ denique in officio præfecti magistrique morum et instituti religiosi quievit anno ætatis suæ 62, Societatis initæ 36, tertio idus decembres.

8 *Sigismundi III et Gustavi Suecorum principis obitus. — Res suæ belli gestæ et domi.*

Duorum principum, rebus gestis ætatis suæ clarissimorum, eorumque patruelium; utriusque jus Suetici regni usurpantium, Gustavi Adolphi Carolo duce Sudermanno, et Sigismundi regis Poloniæ hoc nomine tertii, Joanne III Suecorum rege, progenitorum, interitu annus 1632 memorabilis. Et Adolphus quidem in acie apud Lussenam, oppidum Saxoniæ ignobile, confossus periit, postea quam tum in Polonos inauspicato bis ab istis, duce exercituum Stanislao Koniecpolskio, prælio victus, vulneratus et captus : tum in Germanos fortuna bellorum exitus variante pugnasset. At Sigismundus in suo lectulo, Varsaviæ sua in civitate, gestis feliciter confectisque, Germanico adversus Maximilianum, Suetico in Livonia et alibi, Moscovitico locis multis, Turcico apud Chotimum, Tartarico alibi, civili apud Gussovum, bellis : contusa perduellium partium hæreticarum audacia : conditis Societatis Jesu domiciliis Rigæ, Derpati, Vendæ, Orsæ, Varsaviæ : multis benevolentiæ suæ monumentis eidem Ordini in Lituania, Polonia et Suecia relictis : optime ad supremum diem et tribunal divinum comparatus : sacramentis rite com-

munitus : per nuntium apostolicum a noxis absolutus : assistentibus e Societate theologis, inter sacerdotum manus, religiosissime Deo se per omnia pietatis officia commendans, inter mortales agere desiit anno ætatis suæ sexto supra sexagesimum, regni XLIV, kalendis maiis, hora ab umbilico noctis circiter secunda. Multi scriptores de Sigismundo præclara multa prodidere, in his candidissimus historicus, Stanislaus Kobierzyckius, Gedanensium castellanus, posteaquam vitam exitumque boni principis laudavit : « *Is fuit exitus*, inquit [1], *Regis optimi maximique ; cui « pietas ob divini cultus, Cœlitum eximiam venerationem, veteris ac orthodoxæ « religionis patrocinium, basilicas magnis impensis erectas, collegia cœnobiaque a « fundamentis excitata, perenne erexit mausoleum. Justitia lance æqua admini- « strata in judiciis, in honoribus distribuendis magistratibusque deferendis ad « amussim observata, ad posterorum memoriam statuit* [2] *colossum : clementia « benignitasque seditiosis commonstrata civibus, captis victisque declarata hostibus, « promptior beneficiis exornare, quam in vindictam assurgere Regis animus pe- « rennaturum collocavit trophæum. Bella prospere administrata, obtentas victo- « rias, reportatos triumphos, limites Poloniæ extensos prolatosque, integris scri- « ptorum relinquo voluminibus. Ad extremum, regni ævique maturus : quippe « quadraginta quatuor annis regno impensis, quadragesimus ipse quartus in regum « serie, omnium æquavit aut junxit gloriam. Statura fuit justa, facie formosa, « colore candido, genis eleganter purpurascentibus, naso aquilino, neque tamen « nimium protuberante, oculis subnigris, capillo antequam canesceret subfusco : « e vultu decor majestasque eminebat ; quæ non indigenas modo, sed exteros etiam « ad reverentiam sui permoveret. Denique forma sui temporis regum princeps, « ætate pater, rebus gestis clarissimus, anno vitæ sexagesimo sexto decessit.* »

1632

Laus vitæ.

Descriptio habitus.

A confessionibus theologo e Societate constanter utebatur. Diebus divæ Parentis Virginis festis pietatis officiis vacabat impensius. Accidit autem Varsaviæ, ut suus animi auricularius arbiter in collegio Sociorum morbo decumberet, IV nonas februarias, sacra luce Virgini Beatæ. Eo die visit jacentem rex ; ibi ad spondam infirmi provolutus in genua, Deo judici suo de noxis suis, ritu suo, humiliter scilicet dolenterque, se accusavit. Ita ad virtutem nimirum a puero institutus erat : nactus tum parentem piam de domo regia Polonorum Jagellonica Catharinam, tum præceptores probos, in quibus primus fuit noster Stanislaus Varszevickius. Probavit hic suo exemplo, quod ait Plato : *Ad qualia quis in pueritia incubuerit, talia et quæ sequuntur, fore*. Justa principi suo carissimo per

Pietas Sigismundi et humilitas.

(1) Histor. Vladisl. IV. L. XI, pag. 948. — (2) Varsaviæ in foro posita Sigismundi statua.

1632 omnia in Lituania et Polonia Societatis domicilia pie ac pro dignitate soluta.

9 Pinscum introducit Socios princeps Radivillus. Descriptio regionis.

Pinsci in Polesia Sociis, jam diu ibi desideratis, conditum hoc anno domicilium. Est ea Lituaniæ regio intra latitudinis gradus 52 et 53, longitudinis 48 et 49. Ab oriente spectat Russiam, Volhiniam a meridie, ab occidente Subsylvaniam, Lituaniam a septemtrionibus. Sylvestris, lacunosa, paludosa insigniter; ferax nihilominus frugum et mellis, fluviisque abundans pisculentis triginta et amplius; inter quos Pina, Pripetius et Styrus nobiliores sunt; hi secum conjuncti, auctique fluminibus aliis, uno alveo in Borysthenem, cum hoc in Pontum Euxinum evolvuntur. Gens, si paucas, easque nobiliores familias excipias, inculta olim, Græcanicis Photii erroribus seducta, veteribus insuper gentilium suorum imbuta superstitionibus, catholicam religionem, ejusque ritus, præ talmudicis etiam Judæorum apinis, et tricis Ethnicorum, contemnebat, adeoque aversabatur olim, ut a catholicis ad suos ritus perfugas, perinde ac si nullis illi forent christianis initiati mysteriis, rursus eos lustricis baptismi lavarent aquis; itaque tinctus, ex istorum Anabaptistarum præscripto, Romana ejurabat sacra : execrabatur sabbatica catholicorum jejunia, et panem altaris azymum : caput Ecclesiæ, Petri vicarium, diris carminibus devotabat. Schola instituendæ juventuti apud eos nulla. Presbyteri sui, quos popas vocant, aratoribus rudiores, contemptiores subulcis. In universa Polesia templa catholicorum duo erant non amplius; in eisque ipsis solitudo. Visebant desertam undique regionem interdum Socii e Brestensi alias, alias e Luceoriensi, collegiis. Statio fixa erat adhuc nulla. Præparabat hanc quidem tribunus Pinscensis Nicolaus Jelskius; assignatis tum æde sua in urbis foro, tum fano, constructo a se nuper honoribus divi Georgii martyris in suburbio, octo nummum nostratium millibus; sed pium viri consilium præcidit mors immatura. Meditatam rem, et jam a Nicolao utcunque inchoatam, relictam sibi ratus magnus Lituaniæ cancellarius, Pinscensium idem præfectus, Albertus Stanislaus Radivillus sui fecit negotii. Hujus invitatu duo Patres, Albertus Plockius et Ladislaus Stempkovskius, in domicilium, a Nicolao prælocatum, VI idus octobres introducti: his additi duo operum salutarium adjutores. Quia templum beati Georgii longius a tectis domicilii aberat, constructum in area domus sacellum. Duo ad paganos excurrebant : duo in civitate agebant catholicæ religionis oppidanis magistri.

Religiones gentis.

10 Nicolai Kmicic elogium.

Eximia spe adolescens, nobili genere in provincia Vitebscensi natus, anno salutis 1617, ætatis suæ sexto supra decimum in Societatem acceptus, Nicolaus Kmicic e curriculo studii theologici morte subductus Vilnæ. Pulchræ lætæque indolis ju-

venis cum ad omnem virtutis et doctrinæ, tum in primis ad poeticæ artis laudem natus erat. Eleganter hic Musas suas amantibus litterarum commendavit tum suo poeticæ magisterio, Vilnæ in Academia quadriennium continenter præceptor, tum alias scriptis a se poematibus quæ in catalogo provinciali scriptorum (1) non omittemus. Magnum sui reliquit desiderium omnibus, morte præcerptus ex tabe lenta VI kalendas martias. 1633

Vladislaus, Sigismundi III Polonorum regis filius, Suetici regni hæres, parenti in solium Polonicum successit : commendatus tum a regiis principibus, fratribus, suis, Casimiro, Joanne Alberto, Carolo, Alexandro, tum a legatis principum, in primis pontificio Urbani VIII, et Cæsareo Ferdinandi II : electus anni 1632 idibus novembribus ; corona rite ornatus Cracoviæ 1633 IV kalendas martias. Principio statim turbidum fuit Vladislai regnum, Moscovitis bellum commoventibus. 11 Rex Polonorum creatur Vladislaus.

Obsidebant illi Smolenscum, agrosque Polonicæ Russiæ vicinos urebant; ducibus, Michaele Borysowicz Szehino, et Szimone Wasilevicz Prosorovskio. Jam Polocensem et civitatem et provinciam ferro ignique evastarant ; in arcem Polociæ non penetraverant adhuc : tutante rem suam, corporis reliquias sui ibi depositas, beato Josaphat martyre, Polocensium ante decem annos antistite : id quod hostes etiam confessi sunt. Plerique ex ipsis capti confirmabant nostris : cum hostes oppugnarent arcem, visum fuisse antistitem, qualis spectaretur in suis Josaphat imaginibus ; luce circumfusum et fulgurantem terribili, mœniaque inambulantem et valla, struentem illustres nescio quas formidolosasque copias, bellicasque contra machinas collibrantem. Quæ species perculit metu hostes ac dissipavit. Idem se vidisse, narrarunt Polocenses suo archiepiscopo Antonio Sielava ; qui tum Polociæ ad ossa beati martyris Deo salutem civium cum sacerdotibus suis commendabat. Ita ingens Polonorum exercitus hostibus visus, legionesque illæ quasi fulminatrices ; homuli scilicet ibi castrenses quinquageni non amplius, præsidiarii ejus arcis ; 12 Bellum Moscoviticum. B. Josaphat ab arce Polocensi hostes propulsat.

Smolenscenses interim summa hostium vi petebantur. Jam propugnacula duo partemque mœnium insignem Szehinus proruerat, expugnavissetque funditus urbem, nisi in defensores fortes ac strenuos incurrisset. Octo menses virtus se defendentium impetus hostium et obsidionis difficultates sustinuit. Admonitus civilis periculi rex, in Russiam Christophoro Radivillo (pro Leone Sapieha, duce Lituanici exercitus nuper mortuo) militiæ tum præfecto, cum suis copiis præmisso : qui conatus hostiles distineret tantisper, dum paulisper ipse Vilnæ respiraret ex itinere : quam primum recreatis viribus, mox ad Smolenscenses magnis 13 A Smolensco obsesso hostes avertuntur.

(1) Vid. Catalogum scriptorum e Lituanica S. J. provincia.

1633 contendit itineribus. Strenue inter hæc pro sua parte agebat in Smolenscia Radivillus. Plus animi multo viriumque addidit conspectus ab adverso Borysthenis littore ad montem Pokrovium rex. Tum dux exercitusque alacrior, impetu simul in hostem facto, sternit repugnantes, dissipat obvios, viamque regi per stragem barbarorum patefacit. Postridie dimicationis ejus, conspectu etiam suo solatus est cives Vladislaus. Gratiæ Deo actæ in templo, Sociis ejus Collegii præeuntibus, insigni tum oppidanorum, tum castrensium pietate. Regis subinde virtus, et felicitas civium, publica oratione per unum e Sociorum Collegio celebrata.

Gratulantur victoriam Socii per suum oratorem.

14 Sub tempus regii in Lituaniam adventus habita Vilnæ provincialis Congregatio. Electus, missusque Romam, procurator P. Joannes Jamielkowskius, Varsaviensis domus præpositus.

Vilnæ congregatio. P. Jamielkowski mittitur procurator.

15 Nesvisiense Collegium mense junio visit præses provinciæ Nicolaus Lancicius. Rem ibi domus comperit auctam insigniter : præter alia duobus prædiis, a Sigismundo Radivillo S. R. I. principe, Lituaniæ incisore, donatis : medicamentorum apotheca, valetudinario, et horto, intra domicilii septa instructis. Pinsci quoque patefactum pietati civium sacellum januariis hujus anni kalendis : revocati ad ecclesiam catholicam complures a schismate græcanico : quadraginta nobiles juvenes in scholam e pagis collecti; pronuntiare illi e theatro a magistro docti exercitique, duobus prolatis in scenam dramatis : altero ad cenotaphium Salvatoris Domini die Parasceves : alias de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, sub schemate panis, castra Madianitarum subvertentis, altero, divina beneficia prædicarunt. Res ea, ut quæ id loci nunquam adhuc visa, magnam admirationem in populo excitavit. Cognitis inde planius, doctrina Sociorum, studio pietatis, et industria, orant principem cives, ut cœpta Pinsci maturaret, scholasque filiis suis erudiendis aperiret. Vilnæ tum, in regia Vladislai aula, Albertus Radivillus Pinscensem accepit oratorem. Placuit istud negotium etiam Vladislao. Apertum gymnasium XII kalendas octobres. Male id habuit osores Romanorum Photianos Pinscenses : moliri statim et ipsi suam artium, latina tradendarum lingua, tabernam ; cogere puerorum gregem : præcepta grammaticæ ex Emmanuele nostro Alvaro explicare. Jam illi Carthaginem sibi quandam adversus Romanos visi sunt Pinsci condidisse; quemadmodum apud suos gloriosi prædicabant. Id vero pati non potuit conditor Collegii, studiosus publici boni religiosusque princeps, Albertus. Apertam concessu nullo, eamque civitati pestilentem, quam id primum inaudiit, occludi jubet scholam : itaque Carthago illa ridicula corruit. Mirum erat prudentibus, atque adeo ridiculum omnibus, appetivisse publica artium difficilium magisteria

Nesvisii et Pinsci rerum domesticarum incrementa. Scholarum initia Pinsci. Dramata.

Natalis scholarum dies.

homines istos; qui vita ipsi omnino agresti essent, rerumque omnium rudissimi : quales scilicet in ipsis erant magistri plebis et judices; qui nunquam, nisi primis ipsis Paschatis diebus confessiones pœnitentium, easque sic exceptarent : quia paulo frequentior tum quam alias ad templum convenisset populus, qui confiteri vellent, septeni denive pariter a presbytero ad tribunal vocabantur; atque ita gregatim ex denis septenisve simul, voce clara, quærebatur : an hoc illudve crimen admisissent. Quæstionibus istis in verecundiam adducti, negabant illi communiter; itaque pro rite absolutis dimittebantur. Quæ tam stulta populi institutio magistris nostris ipsa etiam sua consuetudine correctionem fecit difficilem. Industria utique, et dulcedine medicinæ salutaris degustata, inducti sunt, ut ad eam, a nostris accipiendam, alius alium invitarent, deinde tam frequentes concurrerent, ut, quot diebus festis, a primo diluculo ad unam a meridie et alteram horam pœnitentium numerus absolvi vix posset.

1633 Scholæ Schismaticorum dissipatæ. Errores in Sacramentis etiam correcti.

Lomsense Collegium amisit parentem suum, vitæ officiis et sanctis muneribus bene defunctum, Andream Novodvorskium, Posnaniensium antistitem; virum fide, religione, modestia, fortitudine, integritate commendabili, proptereaque Sigismundo etiam regi carum. Tribus fuit ornatus infulis : Camenecensi primum, deinde Premisliensi, denique Posnaniensi : singulas multis suis ornavit meritis, quorum monumenta vel in templis vel in libris historicorum facile reperias. Desiit Vinomontii, in pago Posnaniensi, vulgo *Winna-gora*. Corpus sepultum Posnaniæ, subter sacellum, a se exornatum; ad quod ipse collegium Mansionariorum impensis suis instituit.

16 Novodvorski fundatoris Lomsensis supremum tempus.

Duos insignes virtutibus, doctrina et eloquentia viros ex provincia mors abstulit : Valentinum Colnenis, multos annos auditorum rhetoricæ, etiam nostrorum, a tirocinio studia repetentium litteraria, magistrum, Orsæ V idus februarias, morbo ex laboribus perpetuis oppressum : et Jacobum Olszevskium, concionatorem inprimis celebrem, Vilnæ nonis junii extinctum. Hic genere nobili Masovita, admissus in Societatem anno 1603, post artes tum eloquentiæ tum philosophiæ in academia Vilnensi traditas, ibidem annos duodecim theologiam scholasticam explicavit; hoc magisterio et una concionatoris defungens officio. Par fuit pluribus simul suscipiendis negotiis animus, ad bene merendum alacer : par exequendis doctrina, exercitatione et usu comparata.

PP. Colnenis et Olszevski.

Provinciam, triennium a se administratam, Laurentio Bartilio succedenti tradidit Nicolaus Lancicius, præpositus inde domui tertiæ probationis instituendæ magister. Invitatus inter hæc ad funus Stanislai Sapieha Lituanici mareschalli

1635 18 Lancicio succedit in munus provinciale Bartilius. Lancicius concionatur in funere Lachoviciis. 19 Bartilius provincialis moritur Smolensci. Hujus elogium. Lauretum visit et Romam.

sacer orator, Lachoviciis concionem habuit, quam omnes magnis præconiis collaudarent. Patrem Bartilium non diu sollicitum habuit traditæ sibi cura provinciæ. Visis vix aliquot domiciliis, Smolensci requiem invenit sempiternam, ab inito magistratu mense quinto, VII kalendas septembres, ætatis sexto supra sexagesimum anno, Societatis quinquagesimo, hora vespertina sexta, apoplexia oppressus; V kalendas septembres magno populi concursu elatus. Natus Laurentius honestis parentibus Tarnaviæ, in oppido Inferioris Poloniæ. Divi Laurentii nomen sortitus in fonte lustrico; ut qui sextili mense, nocte præcipitante in diem huic martyri sacrum, esset genitus. Adolescens studio litterarum operam dedit in scholis Societatis Jaroslaviæ. Sextum decimum ætatis ingressus annum, Brunsbergæ anno 1585, IV kalendas novembres novitiis Societatis adjunctus. Jam sacerdos, Lauretum et Romam, animi sui in sacris locis Deo profitendi causa, visit; majorem partem pedibus emensus iter. In molestiis, maxime adversus tempestates cœli hymno, quo Beatissimæ Virginis implorabat opem, a se composito, usus feliciter, pericula et impendentes capiti procellas pius cantator dissipabat. Septem Laureti commoratus dies, sexto idus novembres pervenit Romam. Benigne a præposito generali in domicilium novitiorum acceptus, tempus prope semestre in ipsis pietatis officiis exegit. Commorari Laurentium præpositus etiam hoc pacto in illo voluit domicilio, quo accuratius perspiceret disciplinam novitiorum; ad cujus exemplum in Lituanica etiam provincia olim a se tirones formarentur. Cognita hospitis comitas, prudentia, doctrina, cum eminente ex moribus suis sanctimonia, facile sibi bonorum conciliavit benevolentiam atque amicitiam. Inter alios P. Petro Antonio Spinello, viro opinione omnium sancto et sapiente, vitæ magistro familiariter usus.

Reliquias B. Stanislai primus Lituanis offert. Scholasticos probe instituit.

Rediit in Lituaniam 1604, mense junio, pulchro auctus munere, insignibus Beati Stanislai Kostka reliquiis. Hoc pignus ille, diu desideratum civibus, in patriam primus intulit. Vilnæ magister philosophiæ ita litterarum moderabatur studia, ut eadem schola gymnasium quoque foret pietatis. Beatum Lucam Evangelistam quotidie, singulis mensibus certos ex fastis Sanctorum, colendos discipulis commendabat. A prandio et cœna, quando a seriis cessant omnes, ipse Socios blando invitatu in unum cogebat; agebatque, ut de rebus divinis pie, utiliter, et jucunde sermones inter se conferrent. Feriis autumnalibus, quibus collegio scholastico otium esset in agro Vilnæ suburbano, cum facile aliunde capi posset animi oblectatio, ille tum areolas in hortis pastinare, serere arbusculas, singulas a se Deo, nominatim singulas Cœlitibus consecratas; id vero agebat hoc pacto, ut ne ipsa quidem ejus otii particula sine boni meriti fructu præteriret.

Plures annos in tradendis disciplinis theologicis, nunc positiva, modo polemica, alias morali, subinde in habendis concionibus industria singulari et fructu transegit. Ab anno 1611 Vilnæ novitios rector et magister ad 1617, deinde domum tertiæ probationis Nesvisii, ita gubernavit, ut, quod scribit in vita Laurentii Albertus Koialowicz : « inter ingentia beneficia divina, magna cum animi volup- « tate, numerent memorentque, quibus magistro illo uti contigisset. » 1635 Lukiscis serit arbusculas.

Pari cum laude rexit Collegium Pultoviæ, semel atque iterum eidem præfectus. In præfecturis etiam nemo Laurentio humilior ; nemo ad humilia officia alacrior. Primus ille, festis maxime diebus, ad exceptandas pœnitentium confessiones se conferre : primus ægrotis adesse. Ipse sibi, ipse, etiam rector tum, aliis ministrare solitus : ipse, quiescentibus domi omnibus, vigilare. A conticinio nocturno hora secunda visebat regionem domus omnem, cavens, ne quid per imprudentiam custodum obnoxium esset periculo : tum in transitu ante sociorum cubicula provolutus genibus, salutem quiescentium precibus Deo commendabat. Delicta ita castigabat, ut facti indignitatem sui punitus clarius ex lenitate pœnæ intelligeret. Egentibus subveniebat charitate magna. Advigilabat diligenter, ne quid alienum a disciplina religiosa suis obreperet. Sacerdote aliquando e suo Collegio, viro nobili, militari præfecto, invitanti ad cœnam, denegare non potuit. Cœnat apud militem Socius : rector interim domi sollicitus timet, ne quid ista indulgentia sua contractum sit culpæ : ne qua contaminetur suus apud raptorem conviva ex cibis contagione prædæ. Ejus noxæ deprecandæ causa convocat ad stipem mendicos, et cibis ex triclinio ad portam domus pascit ipse. Tanta huic in iis etiam, in quibus vel umbra noxæ videretur, erat religio. Ex quo conjicere licet, quam curiosus fuerit ad integritatem animi sui conservandam : qui in rebus aliorum etiam esset tam cautus. Regit Collegia. Cura suorum et sui.

Dei præsentis semper ille et ubique memor. Etsi vero in ea luce animi versaretur perpetuo, sæpe tamen sibi veniebat in mentem : ne quid non digni majestate præsenti per imprudentiam excidisset : quare quot horis, quid egerit dixeritve in memoriam revocabat. Quot annis, mensibus, et hebdomadis tempora sibi constituta erant, quibus putabat secum exacti temporis rationes. Si quid delicti foret, certis id pœnis castigabat. Virtutes, in quibus se per hebdomadam exerceret, in singulos dies habuit propositas. Quod ex præscripto egisset, in commentariolum accurate referebat. Beatos Angelos et ipse suos reverebatur colebatque custodes pietate præcipua, et cuique tutelarem suum, colendum pariter, commendabat. Nihil, in majoribus præsertim negotiis inceptabat prius, quam per orationem Memoria et reverentia Dei præsentis. Diligentia progressus spiritualis.

1635

Constantia.

divinum petiisset consilium; hoc jam recte interpretatus a Deo esse, nulla ratione humana, quæ suis foret momentis levior, averti poterat a proposito; contrarium igitur postulantibus negabat etiam præcise : ita, ajens, sibi visum esse in Domino. Quapropter quibusdam, divina maxime humano metientibus modulo, videbatur

Charitas.

Laurentius sententiæ suæ tenacior. Cum ista animi constantia conjuncta fuit prolixa in suos charitas : nulli unquam, honestum petenti aut utile, negavit; sæpe

Humilitas.

non rogatus etiam offerebat. Humilitatis studio, abjiciebat se ad infirma etiam mediastinorum ministeria; solitus sextis maxime feriis, præpositus etiam provinciæ, in culina ministrare : accusare se in triclinio de vitio aliquo : discumbentium pedes osculari. Subactum jam diu, et obsequens constanter, corpus animo, duris exercebat perpetuo; neque imbecillæ, jam senescens, parcebat valetudini; dictitans, hominem inferiorem, pigri jumenti instar et calcitronis, tractari

Mortificatio. Corpus Vilnam Smolensco translatum.

oportere. Hinc illi habitus oris non optimus : gracile corpus, languentes oculi, pallida et macie perempta facies, submissa vox; cæterum exporrecta frons, hilaris vultus, animum tranquillum et præsentis memoria Dei se oblectantem indicabant. Corpus venerandi Patris, Smolensco Vilnam translatum, depositum in sacello Beati Stanislai Kostka academico; idque ego divino opinor factum consilio : ut, qui carissimi hujus popularis sui reliquias ex Italia in patriam attulit, ipse sub ejusdem beati ara et sacris reliquiis quiesceret.

20

Tranquillitas Reipublicæ. Moscovitici M. ducis ossa restituunt suis Poloni. Christina, Suecorum Regina, ereptam Prussiam Polonis restituit. Brunsbergam exules redeunt Socii.

Turbida adhuc tempora, optata diu civibus, hoc tandem anno excepit tranquillitas; fœdera vel paciscentibus nova, vel renovantibus vetera principibus cum rege Polonorum Vladislao IV : hinc Osmanno Turcarum tyranno, post Chotimensem cladem nuperam rebus timente suis : illinc Moschorum duce magno, Michaele Fiedorovicio, conditiones accipiente certas, vicissimque offerente : inter quas erat, ut Basilii Szuiskii, magni ducis sui, in captivitate apud victores Polonos mortui, ossa in patrium revehenda solum legato suo Moscovitico redderentur : aliunde Christina, a cæde Gustavi Adolphi parentis sui, in prælio apud Lucenam interempti, regium in Suecia obtinente solium, pacis fœdera ineunte. Per ea pacta Prussia, nuper Polonis bello Suetico adempta, cum supellectilibus templorum, arcibus, tabulariis civitatum et vetere inter se commerciorum usu, restituta. Ea via Varmienses quoque Socii, ab anno 1626 exules adhuc, ad propria redierunt : ac Brunsbergenses quidem IV nonas octobres ad ruta cæsaque sua revocati. Excedere domicilio Collegii coactus est, qui se intruserat, excluso Mevensi, proditore civitatis, minister lutheranicus. Cura Varmiaci maxime episcopi, Nicolai

(1) Cætera vide in libro P. Alberti Wiiuk Kojalowicz in libro de vita et moribus R. P. Laurentii.

Szyszkovskii, collectæ, Sociisque restitutæ templi domusque reliquiæ. Reditus 1636
Sociorum concursu civium magno plausuque exultantium celebratus. Gratulabantur quoque inter se Varmienses catholici, quod fidem Deo in Ecclesia catholica servassent, constantia adversus hæreticorum fraudes et Opesteini, Suetici cancellarii minas, communiti. Nemo ea tempestate unus Brunsbergensium deprehensus, qui, spatio annorum amplius novem, in illa dura captivitate, a cœtu fidelium suo ad castra hæreticorum transfugisset. Receperunt Collegii sui res PP. Andreas Klingerus et Simon Berendt.

Civium fides et constantia.

21

Varsaviense Collegium, nobilem e regio gynecæo virginem, Ordinis nostri in primis observantem, beneque de Societate meritam, Ursulam Mejerin, e perillustri familia Bavarica, alumnam reginæ Constantiæ carissimam, hoc anno extinctam, meminit. Ejus Collegii Socios illa, quamdiu habitavit Varsaviæ, insigni pietate sustentabat; nunc in amictum, modo in victum, quot feriis sextis maxime, offerendo. Cujus benevolentiæ conscius rex Vladislaus, ex rebus Ursulæ, per mortem relictis, novem millia nummum nostratium et rosam auream, ab Urbano VIII missam, Vilnensi novitiorum domui transmisit, Ursulani executor pius testamenti. Quæ dona educatricis suæ ac magistræ Carolus, princeps regius, cum Anna sorore sua aliis in dies aliisque suis beneficiis cumulabat, in Socios Varsavienses prolixior.

Ursulæ Mejerin beneficia et obitus.

Caroli et Annæ, principum regiorum beneficentia.

22

Antiquam Jagellonum sedem, principem Lituaniæ, carissimam majoribus suis urbem, Vilnam rex Vladislaus, vere exeunte, invisit. Jam in urbe, Sigismundi III parentis sui suisque impensis regiis exædificatum erat ad templum cathedrale divo Casimiro sacellum; eo translata sunt e conditorio veteri sacra virginei ossa principis, tota prope Lituania indigetis triumphum sui celebrante. Idibus mensis sextilis, ante vespertina pietatis officia, elatæ felices reliquiæ, et in augusto pegmate, erecto in medio basilicæ, auro gemmisque et artificiosis ignibus collucente, a principibus ex ordine senatorio viris collocatæ. Vesper totaque nox consequens illustris fuit triumphalibus ignibus urbe tota; in officia pietatis assignata ordine succedentibus clericis, religiosis familiis, academicis et civicis sodalitiis. XIX kal. septembres, ab ortu ad meridiem, continenter ad aras omnes Deo a sacerdotibus litatum; postremo Vilnensium episcopus, Abrahamus Woyna, sacrificium decantavit; inter hoc concionem habuit e collegio antistitum. A meridie, in præsentia Vladislai regis, et sororis suæ Annæ Catharinæ, ac procerum frequentia et populi, dicta de laudibus Beati Casimiri a P. Mathia Sarbievio regio concionatore latina oratio. Eundem triumphum, oratorio a se comptum stylo, anno insequenti, prin-

Vilnæ Vladislaus sacra B. Casimiri ossa transfert honorifice.

De hac translatione vide orationem Mathia Sarbievii in appendice hujus libri.

1636 Triumphum sacrum describit P. Rywocki.

cipibus regiis, Joanni Casimiro et Carolo Ferdinando, germanis Vladislai fratribus, Vilnæ hospitibus, adumbravit, rhetoricæ tum in academia professor, P. Joannes Ryvockius (1). Secundum Patris Mathiæ panegyricum, per fora urbis præcipua a templo pontificio instituta supplicatio. Turba procedentium plateis omnibus vicisque confertissima. Præibat ordine longo, ad pompam ornata instructaque juventus academica; dulce illud Beati Casimiri carmen : *Omni die dic Mariæ mea laudes anima* occentans, alternantibus idem hinc illinc symphoniacorum choris. Secundum academicos procedebat frequens sacerdotum cœtus tum latini ritus tum græci, deinde canonicorum collegium; claudebant agmen cum apostolico Urbani VIII nuntio, Mario Philonardo, Avenionensium archiepiscopo, antistites utriusque ritus infulati. Pone hos ibant lecti ex aula regia cum suis choragis auletæ, citharædi, fidicines, tubicines, atque alii hujus generis artifices, choris circum responsantes omnibus. Inter hæc labarum, imagine Beati Casimiri insigne, Lituanis nuper a Romano Pontifice missum (2), ab antistite e canonicorum collegio Vilnensium sublatum; a lateribus Alberto Stanislao Radivillo S. R. I. principe, et Stephano Pac, hoc procancellario, cancellario illo Lituaniæ, e dependentibus lemniscis aureis ad motum æris fluitantes, sacri vexilli alas moderantibus. His succedebant duo, eminentes antistitio, viri; quorum humeris sacri reliquiæ corporis, in loculo gemmis fulgente et auro, deinde a ministris ex ordine senatorio regia in aureis pulvillis insignia, ferebantur. Sequebatur familia regia et cum augusta sorore sua Anna Catharina rex ipse. Qua triumphantium processus erat, anticæ omnium ædium partes splendebant signis, aulæis, emblematis exornatæ. Plus erat splendoris in arcubus triumphalibus; inter quos tres erant ab academicis nostris erecti magnifice : ex his adolescentes scholastici, sic ornati, ut in singulis facile singularum regni provinciarum simulacra adumbrata intelligeres; carminibus melicis, suo illi quasi cum Apolline musæ, prætereunti pompæ occinebant. Tota quanta quanta fuit tum ac refertissima celebritate civitas murmure et lætitia fremebat. Excitatis ita ad pium triumphum animis, delatum illud sacrum gestamen atque in sanctuario præparato manibus pontificum depositum. Ædes hæc, divo principi dicata, sane regia : intrinsecus exquisito marmore, picturis, anaglyphis, artificio, vasis argenteis, lampade aurea sex millibus aureorum, ara majore centum amplius nummum imperialium millibus, æstimatis : extrinsecus tholo et parietibus e secto lapide, aliisque ornamentis spectabilis. Hic Divi ossa, composita in ara, hodieque insigni populi coluntur pietate.

(1) De apotheosi, renovata hujus Beati vid. l. V, n, 16. — (2) Vid. ibid.

Casimirianum oratorem, poetam illum inclytum, Mathiam Casimirum Sarbievium, jam ante probe cognitum, et a proceribus sibi commendatum, Vladislaus adamarat : eum rex, in aulam accepit suam; qui concionatoris regii munus et theologi præstaret pro P. Sebastiano Laiszczevskio, nuper demortuo. Menses aliquot in aula versatus, existimationem pietatis suæ et doctrinæ confirmavit adeoque auxit, ut jam princeps, qua virum maxime ornaret laude, cogitaret. Divum suum abavum celebraturus rex, postridie quam Vilnam venit, ad collegium academicum, multis comitatus proceribus, descendit. Mature rectorem academicum monuerat, quid vellet : suum, præter alia, poetam, theologum et concionatorem Sarbievium ire ornatum laurea ad III nonas julias. Hoc itaque die academicum templum regia præsentia, frequentia maxima civium, ac summo splendore celebratum. Aderat cum Vladislao et regia sorore Anna præter multos legatus Romani Pontificis. Ubi consedissent principes, interque eos rex in solio, post cantus musicos, in plura odea et vocum certamina distributos, per academicum laurea ornatum ad regem et proceres habita oratio : depositum in pulvillo ad pedes principis, proprium ejus academiæ insigne, sceptrum. Jacere id ita rex decus litterarium non passus. Excipit continuo depositum, vultuque et oratione gratum professus animum, oratori restituit, pariterque jura academiæ et immunitates auctoritate publica confirmat. Assurgit ad hæc Doctorum senatus. Tum, qui pro cancellario academico aderat, præpositus provinciæ Jacobus Lachovskius de officiis Doctoris, deque sapientium principum laudibus præfatus, primum ipse, deinde alii duo, theologiæ magistri, Mathiæ, doctrinæ suæ periclitandæ causa, ex interioribus theologiæ, seclusis illis sacris, dissolvenda objectant. Secundum hæc, ex præscripto Concilii Tridentini profitenda magistris, ornandus profitetur; excipiente sacramentum scholasticum nuntio apostolico. Ornatur academicis insignibus, et inter hæc regio annulo, per Joannem Gembickium, regni tabulario præfectum, oblato a principe. Munusculum hoc academici inter ornamenta sua diligenter hodieque conservant. Itaque ornatus doctor, ut erat satis doctrinæ præsidiis ad dicendum paratus, diserte munifico principi agit gratias, tum suo tum sui Collegii, tum universæ Societatis nomine. Orationem doctoris excepit procerum gratulatio : hanc musica, choris circum complaudens omnibus. Inter istos lætitiæ fremitus rex domum visit Collegii : bibliothecam, exprimendarum officinam litterarum, gymnasium, amanter Socios vel laudans, vel, quid desideraret ad commodum, admonens, collustravit. Visenti oratio soluta nomine religiosi Collegii, a typographio nomine scholarum poema de suis Vladislao laudibus, dedicata.

1636
23
Sarbievskius doctor in Academia Vilnæ regio ornatur annulo.

1636 Quo princeps Sarbievium et universam in eo Lituanicæ provinciam Societatis dignatus sit honore, ex Everhardo Vassenbergio Embricensi cognosces (1). « Inter omnia, inquit, nihil præclarius, nihil ad exemplum principum hujus « ævi efficacius, nihil ad honorem eruditorum virorum luculentius fuit, quam « æque sese musarum ac Martis et Bellonæ consortio oblectare : imo post arma « et pacem nihil adeo ac litteras et viros litteratos amare. Habebat in familia « sua, præter alios viros doctissimos, Mathiam Casimirum Sarbievium, virum in « divinis humanisque litteris apprime versatum, poesi vero ita eminentem ut a « Summo Pontifice Urbano VIII laurea donatus fuerit, ex toto terrarum orbe « non suppar tantum Horatio, sed par atque superior etiam passim judicaretur. « Adeo profecto, superstes licet adhuc, invidiam omnium supergressus, ut in « gymnasiis quoque opera ejus publice prælegerentur. Hunc e Societate Jesu « (ex qua et illustrissimæ familiæ virum, quæ varios senatores, et quasi Reipu- « blicæ fulcra, regno genuit, Stanislaum Pstrokonski, doctrina et sacrarum « litterarum peritia singularem, confessarium habet) Vladislaus rex in con- « cionatorem suum legit. Hanc enim Societatem, sicut plerique christiani « principes, ob doctrinam, vitam inculpatam, et fidei promovendæ zelum, arcte « complectitur; licet multi ex vulgo viri, livore magis et dissimilitudine vitæ, « quam ratione ducti, nonnunquam minus candide traducant. Sed recte Seneca « (Epist. 29) : quis potest placere populo ? cui placet virtus ? Malis artibus « popularis favor quæritur : similem te facias, oportet. Non probabunt, nisi « cognoverint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quam « qualis aliis. Conciliari, nisi turpi ratione, amor turpium non potest. Cæterum « ut ad rem revertar, Vladislaus rex hunc doctissimum virum jam antea, ut « dixi, in concionatorem suum legerat ; cum et integerrimæ vitæ, et ejusmodi « comperisset, qui salutaria potius quam placita propinaret ; et cui conscientiam « animæque suæ salutem tuto concrederet ; secutus in hoc consilium sapientis « latini : eligamus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, et communes « locos volvunt, et in privato circulantur ; sed eos, qui vita docent : qui, cum « dixerint, quid faciendum sit, probant faciendo : qui docent, quid vitandum sit, « nec unquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige adju- « torem, quem magis admireris, quum videris, quam cum audieris. Cum ergo « prudentissimus rex hunc sibi in patrem quodammodo adoptasset, et profundam « ejus doctrinam quotidie magis et magis animadverteret, virum tot gentium lin-

Sarbievius laurea ab Urbano P. M. ornatus Laus Sarbievii.

P. Pstrokonski in aula regia.

Laus Societatis.

Sarbievius concionator regius, et theologus.

Regula hujus muneris.

(1) Gestorum gloriosissimi ac invictissimi Vladislai IV, Pol. et Suec. regis, part. 2, lib. 3.

« guis celebratum, et a Summo Pontifice laurea donatum, Summa sacro-sanctæ « theologiæ laurea pariter exornandum duxit ; ne minus quam Pontifex et orbis « terrarum, concionatorem suum facere videretur. Quid ergo ? ipse rex ad fastigium illud virum dignissimum exhortatus est, non ausum regi suo in regio « hoc favore resistere. »

1636 Sarbievius theologiæ doctor.

Posteaquam de præmio doctoris et celebritate ista academica narravit Vassenbergius, de laudibus Vladislai, doctos viros ita honestantis, sic pergit : « eximia « hæc dignatio Vladislai regis fuit ; quæ, uni Sarbievio quidem exhibita, in totum « genus litteratorum manavit : quippe quando unum quempiam honore afficio « (loquitur historicus ex persona Vladislai verbis imperatoris Constantini) (1) de universis bene promereor : nullum namque beneficium, cum ratione et judicio datum « illius tantum sit, qui id accipit ; sed omnibus in universum, tanquam præmium « similium laborum, proponitur. Verum enim vero non potuisset prudentissimus « rex meliori symbolo amorem suum erga litteratos declarare ; adeo, ut hac parte « omnium imperatorum regumque in simili causa munificentiam vicerit. Licet enim « Alexander M. Aristoteli centena aliquot talenta donarit : licet Scipio Africanus « tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ et admirator et fautor « fuerit, ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque « secum haberet, et quotidianis muneribus locupletaret : licet Pompeius M. hac « quoque parte se ipso non minor, a Mithridatico bello reversus, Rhodis fasces in « auditorium submissos intulerit, philosophos disserentes audiverit, singulis talentum dederit, et Theophanum Mitylenæum (quem secum semper habebat) in « publica militum concione civitate donarit : licet Augustus Horatium prædiis, « villis, servis ditaverit ; imo et Vespasianus, Antonius Pius, Alexander Severus, « Caracalla et Diocletianus, quamvis partim avari fuerint, partim impii, in hac « tamen parte liberales fuerint : licet denique ex recentioribus Carolus V et Sigismundus, imperatores, doctorum eximii fautores extiterint, quos nobilibus quoque præferrent ; tamen nullus eorum hanc invictissimi Vladislai regis erga litteras dignationem æquavit. Adjudicent enim alii præferentiam loci ; quam tamen « alii, in litteras et litteratos obliqui, superbe rapiant : alii civitate Romana donent, qua « tot centena millia sceleratorum fruebantur : alii etiam, dextera in pecuniæ thesaurum mersa, talenta annumerent ; quorum centena indignis etiam projiciebant : « at hic paulo ante Moschorum triumphator, Turcarum victor, Tartarorum concisor, Suecorum et hostium suorum terror, e pulvere bellico ad academicum

Laus Vladislai IV. In laude sapientis decus commune doctorum.

Dignitas præmii.

(1) Constantinus imperator Orientis, de Them.

1636 « transiens, adita doctrinæ, sapientium templa serena, Vladislaus ingreditur; « serenissimam sororem Annam Catharinam Constantiam, et tot senatores proceresque, secum trahens; ut, quod exhibiturus erga litteras beneficium erat, et « exemplum æterna memoria dignum, latius spargeretur, et omnis eruditionis reverentiam Reipublicæ universæ commendaret. Quid amplius? inter Doctores « sedet; qui paulo ante, fortunæ casibus et hostibus suis immersus, adversariorum « suorum latera fodiebat. Disputationes, argumenta, syllogismos, et docta sophismata audit; qui, a bello recens, armorum strepitu, tormentorum fragoribus, « apertis præliis et stratagematibus a juventute assueverat. Et tandem, non « talenta aut alia his similia, quibus avaritiam irritaret, obtulit; sed annulum, « quem nonnulli coronam cordis, quod venarum ad cor ipsum excurrentium capita « in digito coronet, nominavere; articulo manus detraxit, ut sapientiam diademate cingeret: digitos regios spoliavit, ut eruditissimi viri condecoraret: « ornatum lævæ minuit, ut Doctorum numerus augeretur. Merito ergo Augusto « Vladislaus augustior, et magnis Alexandro et Pompeio major: qui tot gradibus « altius in litteris cohonestandis ascendit, quot annis posterior venit. In vanum « itaque nunc interitum mihi litteris illi minati videntur, quas jam vibrari, sicut « corpora instante morbo, jam temporum malitia aut ferocia meliores illas omnes « mitioresque musas a nobis abire dixerunt. Vivunt, vigent, et vigebunt litteræ, « quam diu potentissimi et invictissimi reges, in pretio illas habentes, tam illustribus signis decorabunt: quamdiu principes manu, qua sceptra tenent, membranas non dedignabuntur, et majestate, qua regna et imperia moderantur, « eruditionem et eruditos fovebunt etc. »

*Annulo suo rex Doctorem ornat.*

24 Memorabilis et illa celebritas academica, VII kalendas decembres, Beatæ Catharinæ virgini, præsidi scholarum, sacro habita. Tria tum erant in primis visenda: procerum frequentia, ædium ornamenta, et splendor cum civicus tum scholasticus. Triumphantibus cum civitate academicis ad musicos ex aula etiam regia choros, et vario carminum genere, belle ad præsentem triumphum accommodato, divam suam celebrantibus, aderant, comitati regios principes Carolum et Annam, præsides provinciarum, palatini, castellani, ministri status, aliique, suis insignes muneribus, proceres frequentissimi. Non templum modo academiæ et aream, sed plateas etiam circum omnes multitudo exciti ad triumphum populi inundavit. Lucem publicam augebat, præter alia, splendor gymnasii, a fastigio ad bases, intra extraque peristyla ac peridromidem, regiis peristromatis signisque exornati. In media academiæ area stabat divæ martyris ara, super gladios et

*Triumphus academicus die S. Catharinæ V. et M*

rotam, singulari artificio constructa. Multa ex aulis principum ultro ad ejus splen- 1636
dorem diei oblata. Vesperascente cœlo, ignitis pyramidibus, quoquoversus dispo-
sitis, missilibus e summa turri pyrobolariorum artificio ignibus collucebant in mul-
tam noctem omnia, et complaudente atque acclamante populo, canente a choris
pluribus musica, personabant. Jucundum tum quoque fuit benevolis proceribus,
spectare frequentiam ornatissimæ juventutis scholasticæ, in primis Doctorum,
pro varietate artium liberalium et graduum magisterii, versicolore habitu et suis
distinctorum insignibus, longo procedentium ordine : tum aures nunc dare choris
canentium alternis, modo præconiis oratorum et poetarum, Divam collaudantium.
Approbatione præcipua omnium excepta duplex ex cathedra in templo de laudibus
Beatæ Virginis oratio : altera sermone vernaculo dicta ad populum a magistro
philosophiæ, patre Ciecierzavskio, altera latino ad academicos a professore elo-
quentiæ academico, P. Alberto Koialovicz, habita. Operati sacris Antistites :
summo, Alexander Chodkievicz, Livoniæ hic paulo post episcopus. Templo Aca-
demico adjuncta nuper accessio, sacellum sodalitii Mariani, Beato Stanislao 25
Kostka dicatum, ornatumque splendide, huc illata ex academico Divæ Catharinæ
triumpho vexilla quinque, serica, auro picturata, variis distincta symbolis, et, suo
quasi in prætorio triumphalia signa, ibidem defixa.

Vilnæ sacellum B. Stanislai academicum.

Erat, quod Smolenscani quoque Collegii graturalentur inter se Socii, in adventu
ingressuque in urbem cum potestate pontificia, novi ejusque primi in ista diœcesi 26
episcopi, Petri Parczevskii. Jam anno 1613 Sigismundus III Smolensci sedem epis-
copo fundaverat, assignatis certis sacerdotiis. Sed executio instituti, propter
temporum in hac provincia rerumque vicissitudines civilium adhuc prolata. Vla-
dislao demum commendatum sibi a parente suo negotium persequente, probante
consilium antistitis magno cives conventu lætitiaque celebrarunt. Gaudebant catho-
lici hoc pacto religionem suam, aris nuper suis restitutam, confirmari ; quamobrem
studia sua, triumphalibus etiam excitatis arcubus, ornatuque exquisito professi
sunt. Ante alios grato accepta animo Collegii nostri officia. Seni erant in suo illo
censu Socii, hos atque universam Jesu Societatem antistes multis laudibus civitati
suæ commendavit; id præter alia sæpius confirmans : « quidquid boni esset in
« se, totum Societati, carissimæ magistræ suæ, se referre acceptum. Hujus labo-
« res quam utiles essent ubivis gentium, cognovisse se clarius olim, cum Romæ age-
« ret, curiosus rerum ecclesiasticarum inquisitor. » Parem erga collegium benevolen-
tiam habuit, archiepiscopus Persidis, ex Ordine Dominicano, Augustinus, gente
Armenus, ad Vladislaum Poloniæ regem legatus ; in reditu ille suo usus nostro-

Smolenscum ingreditur Parczevski, primus hujus diœcesis episcopus.

Commendat Societatem.

1637 rum hospitio peramanter, cum suo comite Szembergo, regio Vladislai secretario, in religionis negotio ad regem Persarum a Polonis oratore.

P. Jalovskii elogium.

E Collegio Smolenscano ad regnum mortuorum abiit P. Joannes Jalovskius, an. 1611; quo in urbem, armis Polonorum receptam, e castris Sigismundi III cum Sociis, primis ejus coloniæ satoribus, commigrarat; annos continenter tricenos amplius Smolenscani incola domicilii, strenuus idem in vinea Domini operarius. Multa ille hoc loco egit et sustinuit studio religionis catholicæ. Ut hæc civitas et tota provincia oppugnationibus a Moscovia et latrociniis erant infesta, ipsius quoque charitas et tolerantia gravibus exercebatur ærumnis. Cinctam aliquando obsidione civitatem tanta inopia et fames incesserat, ut incolæ pecudum et obscænorum animantium cadaveribus vitam miseri tolerarent. Tunc Joannes cives, quibus cibus suppeteret, obibat, mendicabat, ad misericordiam hortabatur. Quidquid collegisset, ad pereuntes fame conferebat; animos interim miserorum curans impensius ex officio; siccus ipse, aridus, et per labores tabescens: inter quos aliquando animo etiam linquebatur; quemadmodum accidit, cum in templo populum concionabundus ad patientiam et spem in rebus adversis hortaretur, tum repente correptus paralysi ex suggesto defluxit, ac pro moribundo inter manus ablatus; perculso auditorio, casumque cari magistri sui miserante. Curatus, ad curandam civium salutem rediit alacer.

Hujus patientia et charitas.

Obsessis ab hoste civibus adest.

In obsessa ab hostibus urbe sic aderat militibus civicis, ut excubaret cum excubantibus, opem divinam imploraret cum defensantibus, cum cessantibus Deo salutem civitatis precibus commendaret. Erectus ad circumspectanda suorum pericula, quos conspexisset saucios, subducebat, quibusque foret copia, eos tum animi tum corporis medicinis recreabat. Quæ ipsa Joannis charitas acrius militum animos, quam classica sua, ad defendendam civium rem excitabat. Imminentibus civitati hostibus, imbecilliores, qua data porta, profugerant: repulsis hostibus, cum procella detonuisset omnis, ad sua quisque remearunt. In illo diffugio e rebus in urbe hosti derelictis æs campanum templi grandius, rem nuper dilapsorum quorundam cœnobitarum, depulsor hostium rex Sigismundus Collegio donaverat; repetentibus abalienatum monachis negavit præsidiarius magister. Cum pertinacius reposcerent, « atqui vos, inquit, boni Patres, ipsa fuga vestra, isto maxime « tempore, quo nobis periclitantibus adesse vos imprimis addecebat, res etiam « vestras hosti prodidistis. Nos milites, ea civili adstricti lege (1): qui in acie « primus fugam fecerit, spectantibus militibus, propter exemplum, capite punitor;

(1) V. id. apud Modestinum J. C.

« in maximis salutis periculis, hinc oppugnante hoste, illinc inopia enecante et « fame, cum Jesuitis, patribus nostris nostri amantibus, perduravimus: vos lex « christianæ charitatis continere non potuit pariter in officio. Amiseratis « quidem jure judicioque regis omnia: redipiscimini tamen, licet ejusdem « clementia omnia, unum id utique levissimum pro multa sit, ut hoc crepitaculum « decreto regio concedatis. » 1637

Æs campanum cœnobitis restituitur.

Liberius hæc a milite dicta probare Socii non poterant, neque donum admittere in quo species quædam foret injuriæ. Cum bona itaque regis venia res flagitantibus per P. Joannem reddita. Quo tum se civitas divino præsidio tutata sit, rectori suo totique Collegio magna cum animi voluptate narravit P. Joannes, id quod a civibus, fide hominibus minime sublesta, quodque a sacerdote græcanico, in castris tum Moscoviticis versato, accepisset. Arietantibus mœnia hostibus, conclamantibus oppidanis, omnibus Dei divumque implorantibus opem, cœlestium quædam species duorum oblata juvenum, puniceo hujus, candido illius, habitu spectabilium. A templo Societatis illi progressi in forum pariter, populum, trepide discurrentem, colligere: admonere, qua maxime urbis regione obnoxii forent periculo: eo uti concurrerent, hostemque summoverent, hortari: indices fraudis et contra adjutores se civibus offerre. Accepta cautio; neque temere. Deprehensi hoc ipso loco acti jam ab hoste cuniculi, itaque obruuntur. Alia parte barbarus hostis subierat propugnaculum; in arcem haud dubie evasurus. Treceni sub ipsis jam muris erant, qui vineas, pluteos, scalas admoverent. Cum ita victoriam civitatemque spe jam obtinerent, ecce tibi ingenti cum fragore pars magna muri in subeuntes ruit: trecentos amplius uno impetu pariter conterit. Narrarunt civitatis principes mira tum visa quædam: ex ea mœnium strage subterraneos erupisse ignes, inque adversam aciem fluminis instar effusos esse: superne interim, circumfusum nebula, fulgentem in amictu nigello juvenem, apparuisse, hostibus formidabilem; illos itaque metu dissipatos: urbem obsidione exemptam esse. Hæc sunt, quæ legimus in annalibus Collegii Smolenscensis, annotata cura maxime P. Joannis: a Germano quodam pictore (qui a Moscovitis ad nostrates, a schismaticis ad Ecclesiam catholicam, eadem tempestate transierat) visa pariter, inque sacello Collegii sub imagine Beati Aloysii penicillo adumbrata.

Beati, Stanislaus et Aloysius, uti creditum, defendunt Smolenscanos.

Ostenta.

Smolensco Vitebscum e præcipuis Russiæ Polonicæ oppidis urbs proxima. In hac civitate Socii duo, olim a Possevino, ad Moscoviæ ducem magnum legato, ægro civitatis curioni relicti, usi aliquandiu fuerant diversorio. Qui Smolenscensibus suis præses palatinus, Alexander Gosievskius, providerat, condito ibi 27

Vitebscensis domicilii fundamenta.

1637 Sociis domicilio, gratificaturus etiam confinibus, Vitebscum introduxit Sociorum Collegium; fundis et latifundio peramplo, lato vicenas, longo tricenas leucas; loco mercibus etiam opportuno : agrisque fertilibus in provincia Smolenscia, V kalendas septembres assignatis, legitime stabilivit. Fecit id inductus pietate, qua erat erga Deum præcipua, et voti religione; quod præcipue conceperat in oppugnatione Albæ, sive Biala, oppidi in Russia permuniti. Hujus beneficentiæ recordatione ipsa grati hodieque fruuntur Socii; quando bonis etiam, sua largitate oblatis, jam per hostes pridem ereptis, uti haud licet : Smolenscia universa a regno polonico revulsa anno 1654; postea quam in recuperata armis Sigis-

Domicilii jus stabilitur.

mundi III provincia decem et septem annos exegimus. Vitebscensis domicilii jus per comitia regni generalia Varsaviæ 1690 Sociis confirmatum. Domui anno 1691, templo 1716, ædificandis fundamenta jacta sunt.

28 Varsaviæ in regiis Vladislai nuptiis gratulatio.

Varsaviam Vienna Austriæ ornatissimo deducta comitatu regi sponsa, Cæcilia Renata, Ferdinandi II imperatoris filia. Comites præcipui fuerunt, Claudia Medicea, archiducis Austriaci Leopoldi vidua, et Joannes Casimirus, frater Vladislai germanus. Astitit ineuntibus ritu catholico conjugium, fœderis arbiter, archiepiscopus Gnesnensium Joannes Venzyk; allatoque Cracovia diademate nu-

29 Ferdinandi II Imperatoris obitus.

ptam ornavit. Inter gratulationes publicas, a Vilnensi nominatim academia, panegyrici accepti a principibus peramanter. Ante hæc nuptiarum solennia, Vladislai socer, romanus imperator diem obiit suum Viennæ XV kalendas martias, inter manus sacerdotum octo e nostra Societate, immortalibus principis devincta beneficiis. Extinctus communi omnium luctu, magna vero spe salutis sempiternæ, anno ætatis octavo supra quinquagesimum, imperii duodecimo. Quam forti animo, quanta erga Deum, vitæ necisque Dominum, pietate mortem exceperit, aulici imperatoris nostri theologi, Carolus Musardtus, Lucas Phaninius, et Gulielmus Lamormaginius luctum suum et solatia cum Sociis provinciæ Lituanicæ communicarunt per

30 Radivillæ funus Olycæ. P. Plocki rectoris Pinscen.

litteras. Domi ad hæc danda erat opera funeribus. Olykam, in oppidum Radivillanum, ad facienda justa conjugi Alberti Radivilli principis, Prinscensis conditoris sui, reginæ de Eisenrych, matronæ e clarissima gente Bavarica, e domiciliis Socii convenerant; dum piæ principi grati parentant, Collegii Pinscensis rector primus, Albertus Plockius; qui jam infirmus eo se cum Sociis contulerat; in manibus rectoris Nesvisiensis, Christophori Zalevskii, moribundum curantis, a vita mortali desciscit idibus maiis. In munus Christophori Gregorius Hoffmanus successit XVII kal. septembres. Inde anno insequenti translatus ad regendum Collegium Plocense. Lomsenses nostri duos, bene de Collegio suo meritos: Adamum Bagien-

skium, virum nobilem, pridie kalend. febr. et Stanislaum Radzieiovskium, Lenciciæ palatinum, provinciolæ Lomsensi præfectum, VII kalendas januarias, in suo templo funerarunt. Vilnæ exequias itum amanti Societatis antistiti, Kijoviæ et universæ Russiæ metropolitano, Josepho Velamino Rudzkio, carissimo olim P. Valentini Fabricii, sacræ theologiæ in academia Vilnensi doctoris, discipulo, XVI kalendas apriles mortuo, mature ad obitum felicem sua pietate, et Sociorum, a se collegio academico accitorum, ope comparato. Antistitem hunc laudavit etiam Romanus Pontifex Urbanus VIII; quem in datis suis ad eum litteris Atlantem Græcæ cum latina Ecclesia conjunctæ : columnam in eadem religionis catholicæ : Russiæ Athanasium appellat. Multa sapienter egit, multa pertulit fortiter, Rutenos maxime conciliandi Latinis studio, adjutor operum beato Josaphat, Polocensium archiepiscopo. Ad restituendum in suum dignitatis gradum divi Basilii M. Ordinem industria sua non parum contulit.

1638 31 Funera Adami Bagienski et Sti Radzieiovii Lomsæ. Josephi Rudzkii metropolitæ.

His adde memoranda aliorum etiam alibi funera : Smolensci Helenæ, de principe Sanguszkorum familia, conjugis fortunatæ Alexandri Corvini Gosievski, Smolenscensium palatini, commemorabili pietate feminæ, religiosorum Ordinum, in primis nostri, amantissimæ : alibi uxoris piæ Petri Tryzna, domicilii nostri in oppido Bobruisk conditoris : Crosis, viri opibus et genere prænobilis, Joannis Ulrici Szveryn, domini in Alsvang. Hujus funus in templo Collegii Georgius Tyszkievicz, episcopus Samogitiæ, cum suo canonicorum collegio, et affinium procerum amicorumque frequentia, celebrarunt. Natus parente hæretico, præfecto Curlandiæ. Jam et militiam multis, duce maxime Carolo Chodkievicz, expertus, et hæreticorum periclitatus fraudes, ad Ecclesiam Christi primus e gente sua se aggregavit, cura Sociorum maxime. Nesvisii suum rector dereliquit Collegium, olim provincialis præses, Michael Ortisius, anno vitæ secundo supra octogesimum defunctus. Divina in templi odeo meditantem, et præ animi ardore ex oratione sudantem, frigida repente afflatum aura, dissolvit paralysis III idus decembres.

Corvini Gosievski Smolensci et Petri Tryzna uxorum. Ulrici Szveryn, Crosis.

32 P. Ortisii Nesvisii.

Suscepta regis Vladislai erga Societatem benevolentia augebatur in dies, eoque deinde processit, ut Socios ad se domicilio princeps identidem arcesseret; quasi non hujus Ordinis, aut non ita gratos, homines in sua præsto haberet aula; interdum etiam ipse viseret, et, præmissis ex arce regiis ferculis et abaco, cum ipsis apud eos cœnitaret. Id præstitit tum alias, tum sacra luce divo Francisco Xaverio; quo die apud Socios conviva cum regina conjuge, principe Carolo, et Anna sorore usus est nostris hilare amanterque; qualiter Vilnæ quoque acade-

33 Vladislaus rex visit Socios Varsaviæ et Vilnæ.

1640

micos dignatus est nostros nuper, Lukiscis, in suburbano Collegii, ibidem ab oratoribus nostris et poetis salutatus (1).

34 Poloni Socii invitant Lituanos ad provincias suas quadrifariam dividendas.

Mense quintili habitus est Vilnæ provincialis Sociorum conventus. Acceptus in hoc e Polonia internuntius de consilio Sociorum duas in partes dividendæ Lituanicæ provinciæ; quod suam ipsi pariter divisum irent : idque a præposito etiam generali postularent. Negarunt Lituani commode id apud se fieri posse, luculenteque confirmarunt. Itaque illi maturius conjungendi sui cum lituanicis rebus consilii a Romano præside jussi expectare tempus. Interim perlustrabat lituanicam, eadem causa missus a Mutio Generali visitator, Fabricius Bamphus, cum Joanne Jamiolkovskio, successore in munus provinciale Jacobi Lachovskii, nuper Varsaviæ demortui.

Visit provinciam P. Bamphus cum P. Jamiolkovskio.

35 Sæculum primum Societatis celebratum. Vilnæ.

Annus hic, Societati a confirmatione Ordinis sui sæcularis, per Collegia hujus provinciæ, præcipua pietate et lætitia celebratus. Ac Vilnæ quidem, episcopo civitatis Abrahamo Woyna non consentiente tantum, sed etiam hortante, atque adjuvante Sociorum conatus, triumphi fuit initium a III kalendas sextiles, vesperis beato parenti nostro sacris. Duravit celebritas dies octo. Curæ in ea et studia sic dispertita. Interdiu a prima luce ad occasum populus cum proceribus, perquam ille frequens, et tanquam ad Jubilæum convena, sacrificiis, concionibus, supplicationibus intererat, a vespera pariter ad concubium, arrectus ad ignium artificiosorum spectacula, ad festivos bellicarum tonitrus ex montibus et arcibus machinarum, ad musicos e turribus concentus vigilabat. Ut tria tum Sociis erant in urbe domicilia, e singulis, consiliis et opera collatis, in ornanda celebritate certatum. Templa, scholæ, odea, turres, ædes, arcus, portæ paratu splendebant conquisito. In singulis domiciliis, singulis per id tempus diebus, pascebantur coacti mendicorum greges ; ad mensas patribus, grandioribus natu, ministrantibus. Bene de Societate meritorum res bene gestas, in primis Romanorum Pontificum, tum regum Poloniæ, Societatis et Academiæ Vilnensis tutorum, tum Valeriani Szuszkovskii conditoris academici : deinde eorum, qui præclare academici cancellarii administrassent munera : deinde procerum beneficia : denique primorum decem beati parentis Sociorum merita, singulis orationibus, publice habitis, collaudata. Inter hæc diebus certis pro demortuis, in tribus templis, apparatu funebri, excitatis magnifice cenotaphiis, litatum. Quid ad triumphum scholastica quoque juventus contulerit, jucundum commeminisse. Ornarunt et ipsi magnam templi sui academici partem suis opibus : elogiis scilicet, symbolis, imaginibus, his præter alia : a

Describitur celebritas et apparatus.

(1) Vid. Panegyricum inscriptum : Floræ Luckiscanæ.

dextro aræ majoris cornu ad medium templi rhetores, a sinistro poetæ; suas quisque ingenii et industria opes, eleganter depictas, explicarunt. A latere erecta magnifice Beato parenti ara cum hoc epigrammate : — D. O. M. OB. SERVATAM. ANNOS. CENTUM. SOCIETATEM. JESU. RHETORES. In altero extructa pariter his fuit insignis characteribus : OPTIMO. PATRI. SUORUM. PARENTI. AC. FUNDATORI. DIVO. IGNATIO. DE. LOIOLA. GRATA. JUVENTUS. POETICA. IN. ALMA. UNIVERSITATE. ET. ACADEMIA. VILNENSI. SOCIETATIS. JESU. CUM. EADEM. SOCIETAS. ELAPSI. SÆCULI. MEMORIAM. SOLENNITER. CELEBRARET. POSUIT. AC. DEDICAVIT. ANNO. M.D.C.X.L. DIE X.X.X.I. JULII. 1640

Ad parietem dextrum una porticus continua, ex architectonicæ legibus constructa, visebatur. Hujus contignatio superior concamerationibus flexuosa multijugis, modice fastigiata, nitebat parii candore lapidis, intermicantibus, auro pictis, lemmate singulis apto distinctis, procerum bene meritorum patriis insignibus. Inter arcus fulgebant grandes statuæ, colore inductæ æneo, certis notis conspicuæ, domiciliorum Societatis in lituanica provincia simulacra : variantibus illa coloris ferruginei tabulis; in quibus familiarum nobilium, quarum extarent in Socios merita, conscripta tum prosa tum carmine legebantur elogia. Contignationem istam sustentabat inferior, marmoreis aspersa coloribus, sublimis duabus et triginta operis jonici columnis. Inter has, beneficorum laudes civium, poesi conditæ melica, extantiaque umbilico tenus eorundem signa. Infra hæc inscriptio : *memores et grati*; supra lauri, coronæ, serta cum epigrammate : *nominis immortalitatem :* subter, in basibus maxime ædificii, symbola varia ad commemorationem beneficiorum apposita. Ab latere sinistro, e regione, par moles, in aliquot distributa partes, multijugis secta anfractibus, picturis ornata et anaglyphis : sic structa et interstincta, ut ipsa partium dissimilitudo speciem gratiamque haberet præcipuam. Hoc ædificium pilatim structum et arcuatim. In basibus columnarum elogia : in lateribus signa principum, eorumque laudatrix poesis varia. Inter statuas immortalitatem gloriæ significabant idola Æternitatis et Famæ. Trina hujus quoque ædificii fuit contabulatio : media elogiis plena et symbolis ad principum stemmata accommodatis. Aræ majoris species cæteris fuit augustior; hujus concameratio profundior, ex arte optica, quatuor doricis columnis fulta, simulacris divorum inter palmas et lauros dispositis, ad lucem ipsorum ignium temperatam conspicua. Hic inter signa duæ eminebant imagines : altera Divi Ignatii, Salvatori Domino supplicis : altera in medio ejus theatri, mundum præ cœlo fastidientis ejusdem Patris; pulchram utraque habuit scenam. Subter posita in medio

1640 signa tabula grandior argentea, nomine Collegii deposita cum his notis : JESU. IMPERATORI. O. M. QUI. CONTRA. INFERNUM. IN. LUTERO. MAXIME. ET. CALVINO. BELLANTEM. EVOCAVIT. IGNATIUM. CUM. SOCIIS. QUI. DELECTOS. SUO. NOMINE. INSIGNIVIT. UT. PRÆTORIANOS. DEMONSTRARET. — QUI. PARVAM. MANUM. IN. UTRUMQUE. MUNDUM. EDUXIT. UT. APOSTOLICAM. MILITIAM. PAUCITATE. ATQUE. VIRTUTE. SOCIORUM. REPRÆSENTARET. QUI. SÆCULO. PARES. FECIT. UT. SÆCULUM. PRÆTERVECTOS. ULTRA. SÆCULA. PROTENDERET. SOCII. COLLEGIIS. ET. ACADEMIÆ. VILNENSIS. TANTO. QUIDEM. BENEFICIO. IMPARES. MEMORES. TAMEN. PRIMIS. SÆCULARIBUS. FERIIS. D. D. D.

Cum Sociorum pietate certavit benevolentia principium ; in primis Christophori Chodkievicz, Vilnensium præsidis castellani. Præter alia dona obtulit ad aras sacrum magni pretii paratum. Clerus diœcesis, alumni pontificii, sodales Mariani, votivas tabulas, collatis comparatas impensis, ne verbo quidem a Sociis invitati, contulerunt. Plura ejus triumphi ornamenta commendata posterorum memoriæ editis typo libellis, in primis, qui inscribitur : *Gratiæ Sæculares*. Parem ejus temporis celebritas splendorem habuit Varsaviæ. Templum interius totum ab apsidibus ad pavimentum aulæis ornatum regiis, ara major· centum facibus, multis lampadibus, ex arte dispositis, interque eas statua Beati parentis Ignatii auro gemmisque, ardebant. Ipsius ornatus statuæ quingentorum millium nummum nostratium pretium superabat ; hanc tria lampadum millia, ignibus coloris multiplicis collustrabant. Vasa aurea, argentea, quæque locum inter ornamenta templi habere poterant, a proceribus, in primis a principe regio, Carolo, collata. Populi frequentia summa. Proceres ipsos non capiebat ædes. Octiduum hic etiam duravit celebritas ; antistitibus operantibus ad aras aliis, aliis concionantibus etiam : quotidie Vladislao, regina, aulicisque suis regiis præsentibus. Secundum sacrificia rex proceres in Collegio quotidie convivator ipse exceptabat ; interim ad portam mendiculi quinquageni e penu domestica, Sociis ministrantibus, pascebantur.

Varsaviæ.

Nesvisii.

Nesvisii principes Radivilli ad ornandam pariter Societatem in suo Collegio conspirarunt, III kalendas sextiles a templo monialium Benedictinarum ad ædem Collegii labarum, stemmate Societatis et Beati parentis effigie insigne, triumphali vectum curru, scholasticis adolescentibus, scenicum in modum ornatis, atque, ut ita dicam, mangonizatis ; aliis e thensis carmen triumphale canentibus, aliis ante ac pone comitantibus, et cum musicorum choro responsantibus ad odas præcinentium. Postero die inter sacrificia, ad scenam pariter compta juventus processit ordine, atque inter cantus, cor ex puro putoque argento, aliquot valente minas,

divo scholarum parenti suo pro minervali in ara deposuit. Alia ejusmodi in domiciliis aliis, ne afferatur satietas, prætereo. 1640

36 Polociæ imago B. V. in sacello Sodalium.

Instituta nuper Polociæ 1585 Mariana e scholastica juventute sodalitas pretioso donata munere, divæ parentis Virginis imagine, divinis in mortales celebri beneficiis; quam nobilis religione etiam fœmina in ædicula sacra, deserta et fatiscente, reparandas circumspiciens parietinas, objectam reperit. Luce quadam mira oculos pariter et animum res conspecta perstrinxit. Sensit prudens se monitam de collocanda reverentius imagine, hanc illa in suum accepit conclave. Aliis inde statim aliisque ipsa cum domesticis terreri prodigiis; ex quibus demum intellectum, nobiliore signum hoc dignum esse loco. Itaque translata Polociam.

37 Gosievskii Fundatoris tempus supremum.

A rebus lætis revertimur ad tristia, iterumque funeramus: ante alios, palatinum Smolensciæ, Alexandrum Corvinum Gosievskium, civem patriæ et omnibus bonis carum. Res a se domi præclare militiæque gestæ litteris etiam historicorum ad immortalitatem consecratæ sunt; in quibus sua in Societatem quoque nostram digna sempiterna memoria legas beneficia; inter hæc sunt duo præcipua: Collegium Smolensci, magnis suis conditum opibus, et nata hinc Vitebsci colonia. Dignus item posterorum memoria, inclytus factis scriptisque antistes, Plociensium episcopus, Stanislaus Lubienskius.

38 Lubienski episcopi. Plociæ.

Migravit hic meritorum plenior quam dierum, anno pontificatus sui Plocensis XIII, ætatis LXVII. Litteris domi institutus, jamque civilis peritus juris, perficiendæ doctrinæ studio academica externorum visit gymnasia. Excultior inde, oculos civium et animos in se convertit. Certatim illi Stanislaum ad sacerdotia et publica officia invitare. Admisit hic, prope compulsus, alia post alia munera: infulas, Tinecensem, Luceoriensem, Plocensem; idem antehac regni procancellarius. Episcopus multa præclare instituit, multos ad veterem Ecclesiæ disciplinam erudivit tum suis exemplis, tum bonorum pontificum, Plocensium in primis; quorum acta, imitator elegans idem et scriptor, commendavit. Plociæ templum cathedrale e suis erexit ruderibus et exornavit; chorumque ibidem, qui diurnis horis nocturnisque Deo psallerent, e decem et novem sacerdotibus instituit. Societatem dilexit in modum plane paternum: laudator ejus et pius defensor. Inopiam Pultoviensis Collegii nummum millibus decem sublevavit. In his, quibus e Societate familiarius utebatur, fuit Mathias Sarbievius, id quod litteræ etiam suæ ultro citroque datæ significant, quale præter alia illud Lubienii ad Mathiam : « tanquam non « unus ex meis esses, ita siles, Sarbievi; nescis, nos ultrices decoris nostri habere « manus et bilem in naso ? sed ego hac non utar; ne poetam irritem, nam hoc

1640 — Vide plura in historia Lubienii ad finem.

« genus hominum facile furore corripitur; et audet, quod olim gygantes: vel « ipsum jovem summo deturbare cœlo. Meum te dixi; nam hic natus es, ubi me « Deus posuit pascere gregem suum » (in diœcesi scilicet Plocensi, loco ad Narviam et Bugum; quos hic poeta fluvios pro natalibus, patriis scilicet, amnibus carmine celebrat).

39 — P. Sarbievii elogium.

« Hæc ipsa Societas (pergit antistes) cui nomen dedisti, mea est. Nam voto institu- « toque suo, obsequio eorum, qui plus in cœtu fidelium posse existimantur, se obstri- « ctam esse profitetur. » Ita benevolentia conjunctos ne mors quidem separavit. Carum suum visurus antistitem Mathias anni ejusdem IV nonas apriles musas suas mortales valere jussit Varsaviæ. Ortus perillustri genere, isque germanus frater Masoviensis palatini Stanislai. *(Nobilitas.)* Jam puer, perosus profana, anno ætatulæ septimo decimo Societati se obtulit 1612; quo se paulo ante, venerabilis Dei servus, Andreas Bobola, nobili pariter natus familia, 1611 contulerat; *(Tirocinium.)* itaque Mathias carissimi hujus Socii religioso convictu annum totum fruitus est. Quanto esset ingenio, jam adolescens probavit insigniter. Ad omnes artes liberales a natura conformatus, studio perfecit facili, ut juvenis admodum multis, natu etiam grandioribus, litterarum studiosis pariter, doctrinæ laudibus antecelleret. *(Doctrina.)* Poesis sua non domi tantum habuit præcones, sed etiam in Italia, atque adeo in ipsa urbe; quo, ad conficiendum reliquum theologici studii curriculum missus fuit anno 1622 cum Sociis: Joanne Gruzevskio, Andrea illo, apud Sinenses mortuo, Rudomina (1), Osvaldo Kriger, et Nicolao Zavisza, scholasticis. Ibi sic ingenium Italis et doctrinam juvenis suam approbavit, *(Romæ cum laude versatur.)* ut ipse etiam, divus ille musarum antistes, Urbanus VIII, adamarit poetam nostrum, lauroque ornaverit. Certarunt in amando ornandoque Mathia principes litteratorum æstimatores; ante alios: Franciscus cardinalis Barberinus, Paulus Ursinus, Jordanus Bracciani dux, rex Polonorum Vlasdislaus, Joannes Tyszkievicz, et Albertus Radivillus; castellanus hic, palatinus ille, Trocensis; ut cum aliis, Baltasarem Moretum, Michaelem Von der Ketten, Sylvestrum Petrasancta, amicos Sarbievii laudatoresque, viros illos doctissimos, omittam.

*(Scripta auctoris.)* Præter lyrica, jam tantis celebrata laudibus, laudanda pariter, poetica vario carminum genere, oratoria, concionatoria, philosophica, theologica, quædam in lucem emisit, quædam emittenda, morte occupatus, destituit. Horum capita operum, collecta post Lipsiensium curas plura, percensuit nuper academicus noster, Vilnæ artis poeticæ magister (2). Cum Vilnæ theologiam traderet, nocte quadam lucubrantem

(1) De hoc vide n. 44.

(2) Lib. R. P. Math. Casim. Sarbievii poemata ex vetustis mss. etc., collecta, anno 1757.

ostento Deus monuit, Mathias, omissis illis studiis scholasticis, scholam sibi potius bonæ mortis proponeret : suus nuper in academia theologiæ magister P. Jacobus Olszevskius, anno 1634 mortuus, apparuisse sibi fertur, et in cubiculo Mathiæ horam fere totam concionatus esse, ex proposita illa Ecclesiastici sententia : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*. Tota fuit oratio de rerum humanarum inanitate. Præconium hoc pro monitore auditori fuit. Inde Mathias, omnibus studiis valere jussis, in curam salutis ipsam incubuit. Hæc meditantem interpellat rex Vladislaus, et reluctantem ad se pertrahit. Ægro animo versatus aliquandiu in aula, precibus dimissionem obtinuit. Absoluto ita, et festinanti abire Varsavia, ecce tibi remoram. Principum quis nescio, cupidus Mathiæ concionatoris audiendi, orat regem, proficiscentem ut ne dimittat ante, quam hunc ipse concionantem audierit. Atque hic quidem, quod desiderabat, impetravit; at id concionatoris fato. Proximo statim die festo, Mathias jussus verba facere, rem ille cum laude expedivit; sed pariter fere vitæ et orationi finem fecit. Imparato ad dicendum, itaque omnes idcirco contendenti nervos, per vehementem commotionem spirituum vitalium, visæ sunt palam intercutis sanguinis guttæ in frontem erupisse. In ipso ex cathedra descensu elanguit. Post triduum extinctus anni hujus sexto nonas apriles, ab ortu vitæ 44, initæ Societatis vigesimo nono.

**1640**

**Monetur de imminente fine vitæ.**

**Ultima linea orationis et vitæ.**

# LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER NONUS

(1640-1650.)

1641

1 DELEGATUS a Mutio Generali visitator, Fabricius Bamfus cum Socio P. Benedicto de Soxo, et provincialis præpositus Joannes Jamiolkovskius cum P. Michaele Kovnackio, partiti inter se provinciæ curas, diversique, domicilia collustrabant. Cognoscentibus, quæ foret provinciæ bifariam dividendæ opportunitas, proventus Collegii Nesvisiensis alendis pluribus Sociis pares visi sunt. Ergo schola philosophica auditorum viginti cum suo magistro P. Andrea Erento addita Collegio. Qui domum hanc ante viginti annos rexit, Joannes Alandus anno ætatis supra octogesimum secundo, pridie idus martias ibidem decessit. Natione Roxolanus, Leopolitanus civitate, annum agens nonum et vicesimum, jamque sacerdos, in Societatem an. 1590 cooptatus. Jaroslaviæ et alibi docuit rhetoricam, tironum etiam Societatis, studia eloquentiæ repetentium, annos aliquot magister (1). Magistri novitiorum Socius longo tempore, tum Polociæ tum Rigæ ad mores Societatis pulchre formabat juventutem. Nesvisii Collegio rector præfuit quinquennium. Propter morum elegantiam, doctrinam, et sanctimoniam carus omnibus. Promovendum alio ad munera alia princeps Nicolaus, conditor domi-

P. Bamphus cognoscit provinciam dividendam. Nesvisii collegium schola philosophica auctum. P. Alandi obitus.

(1) Libros ab hoc editos vid. in Catalogo scriptorum.

cilii, avelli a se non est passus; Joannem ad supremum vitæ diem amanter 1641
complexus: et consiliarium in salutaribus suis negotiis, et in educandis filiis magistrum.

2 Duneburgensis residentiæ initium. Dunebrugum, oppidum Livoniæ vetus, jam dudum præterivimus : de prima ibi Sociorum colonia nullo adhuc signo moniti. Fuisse Duneburgi jam tum, oportet, aliquod nostris domicilium, cum Visitator Provincialis Pompilius Lambertengus Patrem Petrum Kulesza anno circiter 1630 Superiorem Duneburgensi residentiæ imponeret: id quod ego in vita Petri lego. Primus hic hoc loco Sociis præfuit. Mortuus Vilnæ, in domo probationis anni 1641, nonas apriles. Diu illum cura Livonum exercuit, in primis Vendensium. Primus in istorum civitate Sociis curavit domicilium, itaque perfecisset illud industria sua, opibus civium quorum benevolentiam suis conciliarat meritis, ut justo par esset accipiendo Collegio, si belli vim Suetici Livonia superasset. Tametsi vir simplex erat, neque recondita eruditione ornatus, sic tamen sibi procedebant omnia, ut sive doceret populum, sive de religione disputaret cum hæreticis, sive negotia transigenda essent cum principibus, sive duræ mortalium ad bonum flectendæ essent mentes, doctissimus virorum, ipseque imperium in animos tenere videretur. Tribuebat idem Petro episcopus Livonum Otto Schenking.

Præses domus primus Petrus Kulesza. Vendensis domicilii primus procurator et præses.

3 Genuæ P. Vivaldus. Genuæ, in civitate patria, patriciis ortus majoribus, P. Augustinus Vivaldus inter mortales vivere desiit XIV kalend. septembres, Lituanicæ olim (ab anno 1619-1624) visitator provinciæ, Romanæ alias, alias Siculæ præses, laudibus sanctimoniæ, doctrinæ, et natæ ad gubernacula prudentiæ ornatus. Præter dictas provincias rexit tum Parmæ tum Placentiæ Collegia. Natus 1565, Societatem iniit anno 1581 e Romano scholasticorum seminario.

4 Vilnæ congregatio provincialis. E provinciali Sociorum cœtu, Vilnæ in domicilio professorum ad V nonas quintiles habito, missus Romam ad Congregationem Procuratorum Melchior Schmelingus; commendaturus in primis Mutio procurationem referendorum, sanctorum quidem Patris Ignatii et Francisci Xaverii in fastos Breviarii Romani, Beati vero Stanislai Kostka in numerum Sanctorum. Sed in his desideriis expectanda erat opportunitas, et Urbani Pontificis facilitas, id temporis multis impediti negotiis. Societatis interim in hac maxime provincia patrono, Vitebsci anno 1623 a schismaticis interfecto, Polocensi archiepiscopo Josaphat Kuncevicz, sive (quod Jacobus Susza, Chelmensium et Belsensium episcopus, narrat) (1) cognitis martyrii causis et miraculis, hujus anni decimo kalendas decembres decernendus erat, dilata promulgatione in XVII kalendas junias anni proxime insequentis, sive (quod

(1) In libro : Cursus vitæ et certamen martyrii B. Josaphati, epistola ad lectorem.

1642 accurate etiam annotatum alibi) XIX kalendas januarias anni insequentis honor Beato Martyri decretus est.

5 Beati Josaphat triumphus Vilnæ.

Decretum excepit insignis Vilnæ celebritas, præsente rege Vladislao. Editi primum in campis suburbanis militares equitum ludi, tonantibus bellicis machinis, armorum strepitu, pugnæ theatro ludicræ, civitatem ad spectaculum concivere. Concursu populi facto, ternæ lectissimæ turmæ, gradatim a præfectis in convallem, pontificio divi Stanislai templo et regio palatio subjectam, deductæ, ad pompam antistibus et religiosis ordinibus viamque procedentibus in confluxu populi faciendam. Cæteræ legiones, quam longus a templo pontificio ad fanum Basilianorum tractus, ordine a lateribus collocatæ, trifariam divisæ. Primum agmen ornatum erat insignibus, cujusmodi forent turmæ Josaphat regis Judææ : ejusmodi signis fulgebant armillæ triumphantium et vexilla et tela. In altero simulacrum gentis Indicæ, quidam quasi regius Indorum, pii illius principis Josaphat, exercitus : ita illi bracteati, cetrati, hastati, galeati. In tertio ibat agmine cœtus academicus, doctorumque suis conspicuus ornamentis senatus. Pone vectum triumphali curru beati martyris simulacrum inter choros impuberum, musarum specie, laudes Divi, alternantibus carmina tubarum clangoribus, concinentium. Pompæ proximam templo Sanctæ Trinitatis, portam triumphalem subeunti, processit obviam religiosus Basilianorum cœtus, choro venientium græcanicis cantibus excipiens. Ante locatam in ara Beati imaginem rem divinam fecit apparatissima pompa, concinentibus pluribus musicorum choris, collegii rector academici : inter quam oratione vernacula laudes martyris ex eodem collegio P. Haczel, in vesperis P. Albertus Cieciszevskius, a meridie latina clericus academicus, laurea et ipse insignis theologica, celebrarunt.

6 Varsaviæ regia B. Virginis Sodalitas.

Pietas Vladislai regis cum in hoc sacro triumpho, tum in sodalitate eorum, qui B. Virginis Mariæ Conceptionem ab omni noxia liberam, et felicem suum de mundo transitum recolerent, Varsaviæ in templo Societatis instituenda, exemplo civibus fuit. In eum numerum principio statim cum rege viri principes frequentes adeo sua dederunt nomina, ut sodalitium dividendum esset in classes : polonicam, germanicam, et italicam ; quarum scilicet gentium major erat census in aulis principum. Initium conventus factum kalendis januarii : commendata pietas, propositis certis sodalitii legibus, pro concione per P. Gregorium Schonhoff, theologiæ doctorem, aulicum reginæ Cæciliæ theologum : præsentibus, rege, regina, et corona procerum frequentissima. Primus nomen suum in albo scripsit Vladislaus ; professus se hujus Reginæ cœli servum fore fidelem, sacræque virginitatis suæ, in

ortu suo et omnibus vitæ partibus integerrimæ, ubi res postulaverit, per salutis etiam discrimina, dignitatem tuiturum; deinde familia regia : regina Cæcilia, Joannes Casimirus, et Carolus Ferdinandus, germani fratres Vladislai; Anna Catharina et Constantia, horum sorores : deinde cum regni primate antistites sacrorum : tum senatores suo ordine : cæteri denique proceres eodem sacramento pietatem suam obligarunt, datis pariter in album nominibus, magno quisque gaudio suo et lucro salutari. 1642

Caunæ ponitur domicilium.

Caunensis civitas, Lituanicarum secundum Vilnam nobilissima, Socios oblato 7
apud se domicilio quatuor abhinc et decem annis invitabat. Cur adhuc tardarent venire invitati, causæ erant præcipuæ : quod hominum invidiæ, cui rerum nostrarum incrementa immensa videbantur, concedendum esset : in censu vero pertenui, in ædificia templi, domus, lycæi, et rem familiarem assignato, impedita suorum foret Sociis munerum procuratio; neque locus domicilio proponeretur idoneus : ad hæc exhaustæ essent temporum injuria opes civitatis adeo, ut de liberalitate Caunensium in coloniam missi operosam egestati suæ nihil subsidii haberent polliceri : præterea oppidum hoc, leucis duodecim tantum a finibus Borussiæ disjunctum, incursionibus hostium esse obnoxium. Hæc et alia a Sociis, munus sibi propositum recusantibus, in argumentum objecta, levius apud visitatorem Fabricium habuere momentum precibus civium Socios invitantium : videbat nempe in civitate frequenti, moribus hæreticorum convenarum corrupta, locum ad subeundos labores ut difficiles sic frugiferos peramplum.

Descriptio urbis.

Urbs hæc Lituaniæ vetus, et aliquando permunita, Nemenum inter et Viliam flumina, cœlo salubri, loco sita amœnissimo, et mercibus maxime opportuno. Si forum, si ædes earumque descriptionem spectes, urbium omnium Lituanicarum pulcherrima. Antiqua illa nobilium, quod aiunt, quondam fuit emeritorumque stipendia militum sedes, immunitatibus donata præcipuis. Incolæ per commercia cum Prutenis, et advenarum confluxum, religionum erant variarum; hodieque ibi reperias plerosque hæreticos e secta maxime lutheranica. Perutile propterea futurum Fabricio visum, si labor Sociorum in civitate ista versaretur. Invitantibus proinde morem gerit : mittit suos in coloniam. Quinque primi venere sacerdotes XV kalendas maias : Adamus Sobolevskius e Collegio Crosensi, aliunde Georgius Grunembergus, et tres germani fratres Koialovicii : Albertus, Casimirus, et Petrus. Hi tres maxime Fabricium in consilio suscepto confirmarunt; appositis ad Caunensium dona rebus suis : æde lapidea in ipso urbis foro, et supellectili multiplice. Gratos bonis civibus, sua ipsorum voluntate, hospites, quo tractarentur

Socii in coloniam missi.

1642

benignius, præfectus urbis ejus et provinciæ, princeps S. Rom. Imperii Stanislaus Radivillus, cancellarius Lituaniæ, Collegii Pinscensis conditor, datis ad magistratum litteris diligenter commendavit.

Labores Sociorum primi et incommoda.

Incommodum ibi novis hospitibus fuit maximum, quod ne temporario quidem sacello locus esset construendo. Annum prope solidum in aliorum templis, sæpius in curiali vel Beati Nicolai, tum sacrificiis tum concionibus operam dari oportebat; populo nostrorum maxime officia flagitante. Quot diebus festis, matutinis horis habebatur concio, pomeridianis instituebantur scholæ catechismi. Inita sæpe theologica cum ministris hæreticorum certamina; adductaque toties in verecundiam frustra obnitentium pervicacia. Convisi circum pagani: percognitæ sublatæque multis locis superstitiones: frequens sacramentorum usus magno fructu commendatus. Inde multi desiderare templum, quo ad nostros, magistros, ut vocabant, suos ventitarent; ipsorum rogatu procurare id rector academici Vilnæ Collegii, cui domicilium Caunense adjunctum erat, Joannes Gruzevskius. Locatum Caunensis coloniæ prædium vexillifero hujus provinciolæ Joannis Kenstort; ex ea condu-

Sacellum apertum.

ctione ædes lateritia Joannis Lackii, Samogitarum castellani, empta ac dedicata. Ad hujus sacelli ornamentum partem majorem contulit pia civium liberalitas. Apertum populo triduo ante cineralia. Prima statim luce, inde diebus aliis, festis maxime, conveniebant frequentiores, quam ut capi possent loci angustiis. Ad conciones maxime lituanicas concurrebant.

Gaudebant eo populi fructu ante alios Samogitarum episcopus Georgius Tyszkievicz et cancellarius Lituaniæ Radivillus; idque donis ampliter contestati sunt. Fructus ejus pars maxima pertinet ad nobilissimam Skorulskiorum familiam, ut quæ suis alios antevertit beneficiis. Primus collocandis Caunæ Sociis sortem obtulit ampliorem, mareschallus Caunensis sacri sepulchri eques, comes olim Nicolai

Skorulskii mareschalli beneficium.

principis Radivilli in Palæstino itinere, Andreas Skorulski, Skorule gentile suum latifundium; id tamen hoc pacto, ut posteris, filiis ipsis aut nepotibus suis, redimere liceret patrimonium. Redemit Andreæ filius Raphael, successor in patrium

8 munus, mareschallus. Vilnenses nostri identidem gratulantur. Auxit civitatem

Chodkievium palatinum Vilnensem salutant Academici.

lætitia ingressus novi palatini sui, Christophori Chodkievicz, cari gentilibus ob sua suæque familiæ merita principis. Subeuntem ad mœnia, ad tertium ab urbe lapidem, effusa obviam excepit civitas; præcedentibus provinciarum legatis, sequente frequentia nobilium splendida et populi multitudine. Interfuisse oportuit nostros etiam academicos; memores beneficiorum, quæ Chodkievicii in Collegium et scholas Crosenses, quæque multis locis in Rempublicam contulissent. Salutarunt

palatinum ad arcum triumphalem, exquisitis, suis præcipue scholasticis, ornatum artificiis. Joannes Casimirus, regis Vladislai germanus ex Sigismundo, non uterinus ex Constantia frater (nati scilicet ex Anna Austriaca, germana Constantiæ sorore) regnante Vladislao in Polonia, in Galliam se contulit. Factum id tempore alieno; quasi Joannes aut non meminisset Austriaco se editum satu, aut nesciret, ardere tum bellum Germanos inter et Gallos : itaque a Gallis, de fraude suspicantibus, pro hoste in custodiam datus Cisteroniam. Biennium in illa solitudine delituit. Vindicatus deinde per Vladislai et Urbani pontificis legatos, perrexit Romam. Ibi, ex fastidio status sui æger, animum ad Societatem nostram appulit. Post biennium religiosi tirocinii acceptus in Collegium cardinalium ab Innocentio X. Neque in isto gradu Joannes sibi videbatur facilem habere et expeditum vitæ cursum. Quo se jam verteret, quid porro exspectaret, consuluisse fertur inclytum sanctitate et prædicandis rebus futuris virum ex Ordine Franciscano Josephum de Copertino; idque accepisse, quod nollet : neque tu Jesuita, inquit divinus vir, neque tu cardinalis. Obscurum hoc Joanni fuit oraculum. Urgenti porro longis precibus, ecquid vates sanctus polliceretur sibi regnum Poloniæ, respondit : Ah ! regnabis tu quidem, regnabis : sed regnum tuum neque tibi optabile, neque civibus tuis conducibile. Itaque evenit, quod suis locis narrabimus. Quod Joannem in cœtum suum admiserint Socii, male id habuit tum Vladislaum tum proceres Poloniæ; qui Jagellonicam familiam propagari maxime cuperent, et apud se regnare immortalem. Iratior hinc Vladislaus aulicos e Societate theologos, quibus amanter utebatur adhuc, amandavit. Unus ex illis utique sibi ut relinqueretur, vix precibus impetravit regina Cæcilia. Inde rex alias religiosorum respectare familias, et invitare ad se. Hac ipsa tempestate accivit peregre Patres Ordinis Calassantini, quos vulgo piarum scholarum appellamus, et in constructo Varsaviæ domicilio collocavit. Quanquam ista regis offensa non fuit immortalis, neque annum amplius tenuit principem : nam deinde et visebat sæpe Varsaviense Sociorum templum, et intermissa benevolentiæ officia novis beneficiis compensabat. Porro Joannem e Societate evocavit mors Sigismundi, septennis pueri, Vladislao nati ex Cæcilia. Hoc mortuo, expeditior sibi videbatur post Vladislaum in regnum fore successio; invitantibus maxime civibus suis, idque per legatos apud Romanum Pontificem agentibus.

1643 9

Joannes Casimirus, princeps regius, Romæ Societatis novitius. Carcer Gallicus principis.

Prædicit regnum Joanni Venerabilis Pater Josephus a Copertino.

Vladislaus Societati iratus.

Varsaviam accersit Patres piarum scholarum.

Conciliatur Vladislaus.

Joannis evocati e Societate occasio, et causæ.

Resselienses conturbavit mors Varmiensis sui episcopi, Nicolai Szyskovskii. Comparabat se bonus pontifex ad condenda Resseliano Collegio et domicilium et templum et gymnasium, dirutis veteribus parietinis. Consilium mors antevertit.

1643 Prius quam a Mutio Generali, propositum accipiente beneficium, venissent litteræ, excessit Nicolaus VII idus februarias (1). Res Polocensis Collegii, non admodum insignes, easque diversas ac dissimiles, commemoratione utique non omnino indignas, quæ superioribus etiam fuerint annis actæ, in unum huc contrahimus. Gymnasium scholasticis peramplum anno 1641 apertum. Expressæ e collibus aquæ, et per canales ad officinas domus derivatæ, idque regio Vladislai concessu. Agri Spassenses, de quibus lites adhuc erant cum multis, decretis judicum et limitibus certis discreti ab arvis civicis. Scholæ in insula Ostrovo trans Dunam fluvium, in oppido, a Beatis Joachim et Anna dicto (unde trajectus in urbem, hibernis maxime tempestatibus, difficilis) e pueris oppidanis, per didascalos instituendis, coactæ. In templo domestico prima sacrificia missæ factitari cœpta ante hostiam sacram exposita, canente musicorum choro : celebrante populo templum quam antehac frequentius. Schola Sociorum rhetorica, quæ adhuc instituebatur Polociæ, Vilnam ad academicos translata, et cum profano auditorum Collegio conjuncta. Horum numero dempto, jam in Polocensi domicilio tres supra triginta non plures deinceps Socii censebantur : mox pauciores, anno 1643 dispersi incendio, quo tota urbs IV kalendas sextiles disperiit. Interitum attulit bacchantium per nuptias schismaticorum petulantia. At pœnas hujus ipsi omnium dederunt primi, plerique in orgiis suis, cum frustra exitum fugæ temulenti quærerent, circumfusis ignibus occupati. Istis nubentium Photianorum tædis arx, quæ toties alias arietes et ignes oppugnantium hostium sustinuit, momento interivit tam levi. Reliquiæ Collegii et scholæ, appetentibus a studio litterarum feriis, in suburbanum domus, Ekimaniam translata. Egit inter hæc strenue rector Collegii Stanislaus Kosinskius, domestica res ut quam citissime convalesceret. XIII kalendas decembres ad insignem martyrio Beati Josaphat diem religione publica nunc primum concessu romani pontificis celebrandum Rutenicus ejus diœcesis archiepiscopus Socios invitavit ; quorum familiam sciret et ipse Beato fuisse caram. Ritibus latino vicissim et græco ad aram, magnifice beato martyri excitatam, in templo archiepiscopi litatum. Inter liturgiam antistitis de laudibus Divi concionatus rector utiliter. Sic sua ad animos omnium accidit oratio, ut exardescerent sensu pietatis erga Beatum omnes, neque gemitibus tantum et lacrymis sed sublatis etiam vocibus pium olim civitatis suæ pastorem, nunc etiam potentem apud Deum patronum requirerent. Postridie in templo sanctæ Crucis, quod ipsum in suburbano ex urbis incendio reliquum erat, par celebritas et pietas fuit in populo. Antevertit ista Collegii officia suo divus

10 Resseliensis domicilii reparandi occasio ablata per mortem Episcopi.

11 Polocensis Collegii res.

Rhetorica Societatis Vilnam translata 1642.

Dies Beato Josaphat sacer celebratur.

(1) Hujus elogium vid. apud P. Naramowski in Facie rerum Sarmat. L. II. c. 2, p. 461.

recenti beneficio; quo Sociis, carus omnibus pater, a limine mortis restitutus est 1643
Andreas Bruchmanus. Huic moribundo, exitumque suum superis commendanti, 12
apparuisse fertur beatus Josaphat, salutemque dixisse : monuisse hominem, uteretur quidem ope sua gratus, sed lethi memor interim, ut qui non diuturno inter mortales usurus esset hospitio. Reviviscit continuo et convalescit æger; prorogatæ beneficio vitæ sic fruitur cautus, ut propediem moriturus. Transactis ita mensibus aliquot, ad præstitutum tempus demigrat IX kalendas maias 1643, vitæ quarto supra sexagesimum : rector olim collegii triennium, quadriennium magister scholæ, quam probationem vocamus tertiam : plures annos vel eloquentiæ vel

B. Josaphat P. Bruchmannum sanat; monet eundem moriturum.

theologiæ professor. Maturius se monitum de supremo tempore sensit, Lomsensis 13
rhetoricæ et poeticæ magister, Vincentius Gavenda. Jam adolescentulo huic dicitur objecta fuisse species gloriæ, quam sibi promitteret Deus, æviternæ. Ad propositum sibi cœleste spectaculum gestiens puer, atque jam tunc evolare cupiens, cum id oraret Deum, audisse sibi visus est claram hanc et penetrabilem e cœlo vocem : post tres. Incenso ad opes illas immensas animo interpretari erat pronum, triduum ipsum mortalis sibi superesse vitæ : mox ævo se fruiturum; sempiterno; ad exitum ergo se comparat desiderio incenso, cura maxima. Tardanti ad triduum morti præstolari deinde Andreas cum eodem ardore animi hebdomadas tres, deinde trimestre, denique triennium. Ita providentia sollicitudinem, sollicitudo metum offensæ, metus studium et industriam ad bene merendum acuebat. Perutilis juveni neque vana fuit prædictio. Cum diu eventum ex die in diem expectasset, quo denique certius negotium suum et accuratius ageret, in Societatem Jesu se intulit. Tum demum post annorum decades tres ad fruendam illam gloriam cujus puer vidisset umbram, abiit pridie idus quintiles, anno initæ Societatis decimo. Natus in familia nobili, nobile ex ea sortitus est nomen; quo nostratium quidam leviculi, nescio cur in leporibus suis abutendum putent : cum hoc vocabulo Gavenda, non (quemadmodum ipsi interpretatione futili et abusu corrumpunt) balatronem, sive, ut Plautiniana voce utar, nugipolyloquidem, hominem scilicet ineptum, sed asteriam gemmam pellucidam, aut asterem, herbam Plinio medicam, auctores linguæ polonicæ significari voluerint.

Vincentio Gavenda prædicta mature mors.

In Orsanensi Albæ Russiæ provincia mense hujus anni quintili grandine lapidavit. Tanta quaquaversus in agros ad milliaria duodena tam fœda cœlo tempestas dejecta, ut tecta passim disjecerit, pastores in agris et armenta percusserit. Magna in campis, sylvis, oppidis strages edita. Tempestate commutata, ubi disserenavit, grandoque vapore solis intabuit, visa est res mira, et plena formidinis : in singulis 14

In Orsanensi provinciola tempestas fœda.

1644 ex nive concretis duratisque rigore pilis, malo nonnullis citreo majoribus (1), acuti erant silices : in multis ossea quædam capitum simulacra, quasi si cœlo essent sculpta, sic efficta ; ex quibus ostentis majorum populo attonito periculorum portendebatur metus, quam formidolosa fuisset ipsa lapidatio. Metuere hinc sibi quisque : ad templa et remedia salutis confugere. Præter alia hoc quoque fuit miraculo : prædiolum Orsensis Collegii Czernica, locum imagine Beatæ Virginis Matris et beneficiis celebrem, ipsum ejus mali circum vastantis omnia fuisse immunem, supplicante ibi tunc populo. Lapides qui in istis malogranatis pro nucleis erant, mortis pariter compuncti dicuntur fuisse notis : ex horum acervis diu asservatas aliquot esse pilas ajunt in tabulario Orsensis nostri domicilii. Grandinem lapideam consecuta mox pestilentia; sed in oppido, ipsis Judæis mortifera et schismaticis, paucos absumpsit catholicos.

Ibidem pestilentia.

15 Reginæ Cæciliæ obitus.

Cæcilia Renata, Vladislai IV conjux, Ferdinandi II imperatoris filia, magno aulæ et omnium luctu denata est Vilnæ IX kalendas apriles. Desideravit maxime nostra in his provinciis Societas reginam, magnis suis obstricta beneficiis. Hæc, irato etiam marito suo rege, Socios olim pie complexa ad supremum tempus amavit constanter; nec prius suos aulicos theologos dimisit, quam suus artus mortales animus reliquisset. Inter alia pietatis suæ alibi monumenta visitur Varsaviæ ara divæ suæ Cæciliæ virginis et statua in templo Collegii.

16 Carolo Ferdinando, conditori domus, Socii gratias agunt.

Domum professis nostris Vilnæ, a rege Sigismundo III, parente suo, ædificari cœptam, impensis suis absolvendam curabat regius princeps Carolus Ferdinandus. Gratias egit conditori tum Societatis nomine præpositus generalis Mutius per litteras, tum suo domus professa; hoc anno præcipue, cum Ferdinandus pontificiam Plocensium ascenderet cathedram, oblata a se oratione panegyrica; in qua, « hanc tu, inquit, Societatis domum, regia munificentia Sigismundi III et « Constantiæ, regum, parentum tuorum erectam exornatamque, tot insuper cumu- « lasti beneficiis : ut beneficentiam ad culmen perduceres, eique manum imposi- « turus, fundator ejus serenissimus haberi patereris etc. » Alia laudum argumenta a se contulit Plocense Collegium in eundem suum antistitem.

17 Smolenscenses Socii palatinum civitatis salutant.

Suus etiam palatino Smolensciæ Georgio Hlebovicz in primo cum palatinis fascibus in urbem ingressu a Collegio Smolenscano habitus est honos. Salutatus oratione panegyrica, grati animi testificandi causa Collegium visit et gymnasium : sua Sociis officia prolixe pollicitus. Excepit principem rector domus

(1) [Ita] Historia Collegii Orsensis et Annuæ, accurate scripta; idque mihi certius est, quam quod scripserit profanus, in monte Albano et alibi lapidibus pluisse.

Joannes Jachnovicz, nuper suffectus Joanni Bielinskio, ad munus procancellarii 1644
academici Vilnam translato.

18 Beatorum Stanislai et Josaphat beneficia.

Ex multis duo hic duorum cœlitum, Stanislai Kostka, et Josaphat, martyris archiepiscopi, commemoramus beneficia. In provinciola Orsanensi curio Starosielanorum sacerdos, Adalbertus Rudavskius, ex diuturno et acuto pedum dolore prope emoriens, tentatis frustra medicorum opibus, dum precibus misericordiam implorat cœlitum, vocem monentis, quem tamen non videret ipsum, claram inaudiit : « Beato Jesuitæ, Stanislao Kostka æger se commendaret. » Accipit consilium ; simul, remittente dolore, obdormiscit. Quiescenti offert se beatus juvenis, certumque mali absolutorium designat. Paratu illud fuit facile, atque idem tam efficax, ut quo temporis articulo adhibitum est, eodem fere morbus plane sit depulsus. Lætus postridie templum Collegii visit ac deinde, monimentumque beneficii argenteum ad aram Beati appendit. Polociæ mirifica pariter viro nobili, provinciali advocato, ope, divi Josaphat medicina adhibita. Ex ulcere capitis intestino et febri moribundus beato martyri commendatur ; tum, simul ex ossibus divi sacris fatiscenti ad auriculam applicatur particula, simul rumpitur suppuratio, unaque discedit febris. Ita restitutus sibi divo sospitali suo posuit aram in templo Collegii.

19 Juris canonici et civilis Vilnæ scholæ institutæ.

In Vilnensi academia duæ adhuc desiderabantur scholæ : juris canonici et civilis. Utramque donis suis constituit Leo Sapieha, mareschallus curialis tum, deinde procancellarius Lituaniæ, accitis duobus magistris ex Ingolstadiensi academia. Collegio Nesvisiensi a visitatore P. Fabricio præfecti sunt : Nicolaus Lancicius et Stephanus Rudzinskius : hic rei œconomicæ, ille Collegii, personarum sexaginta amplius moderator ; rectore domus, Thoma Clagio, Torunium, ad celebrem doctorum synodum, et controversias catholicos inter et hæreticos, evocato a rege Vladislao (1). Qui olim in Collegio Nesvisiensi scholam habuit patrum tertiæ probationis magister, idem aliquando duorum Socius præsidum provincialium, alias Vilnæ præpositus domus professæ, Michael Kovnackius, Samogita, decennium pontificius episcopi Samogitiæ Georgii Tyszkievicz theologus, annum vitæ sexagesimum, Societatis initæ tricesimum octavum morte, homine religioso digna, finivit Vornis, in oppido canonicorum Samogitiæ. Funus Michaelis cantato sacro ipse arbiter antistes Georgius, officio pro defunctis divino canonici, et aliquis ex ipsorum Collegio concione de laudibus viri in sua diœcesi bene meriti, celebrarunt. Dignus pariter de quo commemoretur, P. Georgius Richtsteigus, natione Prutenus, hominis religiosi, et in procuranda aliorum salute navi exemplum.

20 P. Clagius vocatur ad colloquium Torunense.

21 P. Michaelis Kovnackii obitus Vornis.

22 P. Richtsteigi elogium.

(1) De controversiis in eo conventu vide libellum inscriptum : Colloquium Torunense.

1645

Quoad vixit, præsertim jam sacerdos, laborare visus perpetuo : nunc ad catechismi scholam cogere puerorum greges : modo ægrotos visere, adesse moribundis, hortari afficiendos suppliciis : modo curare egentes, et quidquid foret otii ab officiis domesticis, in curam aliorum salutarem insumere. Divum Societatis parentem pietate coluit præcipua, ejusque nomine multa patravit mira : alibi morbos depulit, alibi lemures, alibi veneficia. Rogatus aliquando, dæmoniaco ; quem præsens miserandum in modum vexabat hostis, ut adesset, eodem plane temporis momento, quo super eo negotio suum consuleret rectorem, sensit orcus : atrocius inter hæc insessum vexare, rugiens : « jam sacerdotem, furvum illum ex atrata Ignatii « familia vulturium, ire exturbatum se suo domicilio : jam de suo hospitio hunc « inter et presterem suum maligna esse consilia : uri jam se jam, quæ secum « ferret sacerdos, et aquis illis et simulacris et libris. Circumstantium interim « sciebat nemo, vocari aliquem e Collegio. » Deinde ad conspectum Georgii, conterritis spectaculo cruciatus et rugitu immani vexatum relinquit. Amans quoque cultor fuit Georgius Beati Stanislai Kostka : diligenter hujus dignitatem et cultum populo, juventuti maxime scholasticæ, commendabat ; eidem Brunsbergæ in templo domestico aram opere magnifico erigendam curavit. Obivit munera præcipue : concionatoris annis XV, missionarii castrensis uno. Vixit 51, in Societate an. 37.

Mira patrat, patrocinio maxime Beati Ignatii.

Dæmoniacum curat ritu ecclesiastico.

Cultum B. Stanislai promovet.

23

Mutii Vitellesci obitus.

Societatem suam, quam generalis magister annos fere triginta rexit, Mutius Vitellescus, præpositus a beato Ignatio sextus, supremum valere jussit, Romæ V idus februarias, anno ætatis secundo supra octogesimum. Laudes cari Patris Andreas Victorellus apud Leonem Allatium in *Apibus Urbanis*, Pontificis hoc nomine octavi, hoc elogio collegit præcipuas : « In hoc placidissimi ingenii viro « mores candidos, vitam laudabiliter actam, humanitatem, pietatem, doctrinam, « eloquentiam, variam multarum rerum cognitionem, et in rebus agendis solertiam agnoscas. Si in templis divina mysteria perorantem, hominesque a vitiis « revocantem et ad rerum cœlestium amorem inflammantem, audieris ; alterum « quasi Cyprianum, aut Bernardum, aut Chrysostomum te audire, præstantissimæ « Societatis jure præpositum, existimabis. » Ad eligendum Societati præsidem missi Romam ex Lituania Nicolaus Lancicius et Benedictus de Soxo, cum Joanne Gruzevskio præside suæ provinciæ. Pinsci mense quintili habita congregatio.

Electores missi Romam.

24

Nesvisii mira lux in Monte S. Michaelis.

Nesvisii Mons angelicus, Beato Michaeli sacer, anno 1644, pro novem choris angelorum constructis novem sacellis circumdatus, mira nuper, cœlesti haud dubie, luce arsisse visus : id quod cives aliquot, fide ante alios digni, jurati confirmarunt.

Per congregationem generalem octavam VII idus januarias anni 1646 invi-

tatus suffragiis electorum ad præfecturam Vincentius Caraffa. Ab electione ægre se ex itinere Varsaviam retulit P. Gruzevskius, affecta valetudine; indidem evocatus est ad requiem sempiternam anno vitæ sexto supra sexagesimum, pridie idus sextiles. Philosophicis institutus domi, Romæ theologicis, easdem disciplinas in academica, ac theologiam quidem scholasticam annis pluribus, tradidit. Inde in aula regia Sigismundo III fuit a concionibus. Rexit Vilnæ Collegium academicum, ibidem domum professam, et alias Varsaviæ, denique provinciam. Animus erat Joanni laborum cupidus, corpus tolerans. Nunquam otiosus, nunquam sibi indulgens. Jucundissima erat illi quies, divina meditari: hoc se fomento per intervalla, nunc laborans vicissim, nunc orans, recreabat. Victus tenuis, interula canabis hirsuta, subter hanc ex utroque humero catenulæ ferreæ, lectus durior, quies brevior, eaque sæpius precibus interrupta et lacrymis Deo supplicibus, flagellis intercisa. Sæpe ille carceres visere, solari mœrentes, egentes stipe corrogata sublevare, plebeculam ad catechismum colligere : sæpe domi ad humillima, culinaria etiam, ministeria se abjicere. Quo facilius doctrinam catecheticam memoria tenerent pueri, carmen composuit, articulos et præcipua fidei dogmata complectens; idque ut in plateis et foris otioso caneretur populo, curabat. Vilnæ, pestilentia civitatem populante, Collegio rector suo non hortator tantum ad curam mortalium, sed dux etiam et adjutor fuit; ipse pariter ad corpora in plateis morientium procumbens, confitentium exceptans querimonias, et modis quibus posset, miseros adjuvans, illis ipse domum etiam ampliorem colligendis in suburbano curavit. Præsentis Dei memor semper, diligenter cavebat, nequid admitteret improbabile. Observavit id præter alios, diligens existimator bonorum et imitator, Nicolaus Lancicius, scriptoque, quod legimus, testatum reliquit: plures ille cum Joanne conversatus annos (1). Moriturus, Socios adesse voluit; exitum quidem suum precationibus piis omnium, magistro autem Sodalitatis Marianæ, nuper a rege et proceribus institutæ, curam Virginei cultus diligenter commendavit. Deferbuisse jam visus primus ille in sodalibus salutaris ardor; exeunte demum hoc anno, mense novembri, luce Beato Stanislao nostro sacra, pietas recaluit.

1645
25 Vincentius Caraffa præpositus Societatis Generalis
26 P. Joannis Gruzevskii elogium.

Revisit templum cum rege frequens aula : in his nuntius Romani Pontificis : legati principum, imperatoris Romani, regis Galliarum, reipublicæ Veneticæ. Ad conventum hunc eodem die conciones habitæ sunt linguis variis : polonice, italice, germanice, gallice. Præses Sodalitii suffragiis procerum electus nuntius apostolicus. Antehac, mense junio, nupta Vladislao nuper, Ludovica Maria, e familia Gonza-

27 Sodalitatis regiæ celebritas Varsaviæ.

(1) Libros a Joanne editos vid. in Catalogo scriptorum.

1646 garum, principum Mantuæ et Montisferati, ducum Nivernensium et Retelanorum, divi gentilis sui Aloysii amans, festo ejus die, in templo Collegii suo pietatis exemplo Polonis cultum Beati commendavit.

Regina Gonzaga cultum B. Aloysii suo commendat exemplo: salutata nuper a Sociis. Vide Panegyricum. Polonia pacifica inter augustas nuptias.

28 Vilnæ e Collegio academico elati PP. Bielinski et Ugnievski.

E collegio Vilnensium academico duo præstantes viri demigrarunt : Patres, Simon Ugnievskius et Joannes Bielinskius ; hic pro rectore id temporis præses domus, ille ejusdem Collegii olim ab anno 1628 rector. Pater Simon nobili genere in Masovia ortus, anno ætatis vicesimo in Societatem acceptus. Docuit oratoriam artem et linguam sacram. Rexit, præter academicum Vilnæ, Pultopolitanum et Pinscense collegia. Diu se ac perquam utiliter in concionatoriis laboribus exercuit. Electus per conventum provincialem procurator, in Romana congregatione pulchre stetit. In moderandis inferioribus et negotiis tractandis prudentia et navitate vir singulari. Excruciatus doloribus podagræ per annos plures, relictis tolerantiæ, fortitudinis, aliisque religiosi hominis et docti (1) documentis, excessit V idus octobris. Auxit dolorem academicis, theologiæ maxime auditoribus, funus magistri sui carissimi, Patris Joannis. Quam quisque illorum fuit doctrinæ et pietatis studiosissimus, tam hunc desideravit maxime : ut magistrum ad explicanda cum philosophica tum theologica mysteria insigniter natura et sua industria comparatum ; sic religiosæ disciplinæ et morum egregium ipsis vitæ suæ exemplis præceptorem.

29 P. Benigni Varsaviæ. Diu in castris Deo militavit.

Bonum pariter virum, P. Georgium Benigni e domicilio professorum Varsaviensi mors bona abstulit. Gente hic Prutenus, ætate jam confirmata, in Societate se collocavit. A studio theologiæ statim difficiles labores suscepit, in castris maxime regiis; in quibus militiam suam, ut erat auctoratus domino exercituum, egregie sustinuit annos amplius duodecim : nunc regias Polonorum in Prussia copias, nunc exercitus imperatoris in Germania, Gustavum Suecorum ducem persequentes, sectatus. Ut erat in omni negotio animosus, in procuranda præsertim aliorum salute æterna, inter maxima fortiter versabatur pericula; cædem inter et stragem in acie ab his ad illos discurrens, pereuntibus hortator ad supremam cuique sui curam atque adjutor. Emeritis suis heros stipendiis, ætate jam gravior, ad munera tranquillioris vitæ revocatus. Sed homo, laboribus perpetuis, eisque

Laborum cupiditas.

lucrosis, assuetus, considere in otio haud poterat. « Orabat sæpe præsides suos, ne « se desidia marcescere paterentur. Crudam se et divino beneficio viridem nactum « senectutem, ferendis quibusvis oneribus parem esse; ne hanc sinerent verminare « ignavia, haud perdiu sibi capulari expectandam requiem sempiternam. »

(1) Libros a se scriptos vide in Catalogo scriptorum.

Induci bonus senex non poterat, uti cessaret. Ad ministeria, ad molestiora negotia, alacer antevertebat juniorum properantiam. Bene multos, gravibus obnoxios criminibus mortales, plerosque pone cæcos hæreticorum duces ad exitium præcipitantes, sustinuit, inque viam salutis reduxit, qua concionibus (quibus diu multumque valuit) qua controversiis de religione sincera; de qua in templo Vilnæ academico theologiæ magister polemicæ plures annos disceptavit. Obiit VII idus martias. Elatus magna populi frequentia, merita magistri sui optimi grata commemoratione et laudibus celebrantis.

1648

In Academia theologiam polemicam professus.

Doluit interitum viri cum sua aula regia Vladislaus. Jam ille, deposita, quam Joannis Casimiri causa olim acceperat, offensione, rursus tanta nostros complectebatur benevolentia, ut intertrimenta nostrorum in damnis suis deputaret. Adibat collegium cum regina Ludovica et principe Carolo frequens, verni maxime jejunii tempore, vespertinarum de cæde Salvatoris Domini nostrarum auditor concionum; quarum usus nuper cœpit, proposita ex altari quot hebdomadis alia passi aliaque Christi imagine. Aliquando in triclinium etiam descendit, et medius inter mendiculos Christi servulos, collegas nostros, discubuit, pium parentem suum imitatus. Ita olim bonis principibus in paupertate hominum religiosorum et humilitate nihil erat fastidii. Bene illi meminerant, quod laudator Traiani Plinius exemplo imperatoris laudatoris sui docet principes: cui nihil ad augendum fastigium superest, hunc uno modo crescere posse; si se ipsum submittat, securus magnitudinis suæ.

30 Vladislaus Sociis placatus visit templum.

Usus exhortationum de cruciatibus Christi.

His concionibus rex interest.

Cænitat in triclinio, benigneque habet Socios.

Hæc Varsaviæ. Vilnæ interim et Pinsci templa dedicantur: alterum ab antistite Krasickio, episcopi Luceoriensis vicario, XI kal. novembres : alterum ad domicilium novitiorum, divo parenti nostro sacrum, a suffraganeo Vilnensi, principe Hieronymo Lubartovicz Sanguszko, XII kalendas sextiles. Templo quoque Divi Joannis academico, per Michaelem Cuiaviensium, et Stanislaum Plocensium, episcopos, anno 1426 dedicato, insigne hoc anno decus additum, Beatæ Virginis Mariæ simulacrum. Opus est statuarium, vetus, effictum ad exemplar quod visitur in domuncula Virginis Nazarethana Laureti, indidem nescio quo munere divino in Lituaniam allatum, inque sacello templi, impensis Casimiri Jevlasvevskii propalatini Vilnensis constructo, locatum (1). Inter præcipua hoc signum in Lituania divinis beneficiis est celebre. Vladislaus hoc nomine regum Poloniæ IV (nam a Boleslao Audace primi duo, hujus nominis principes, Hermannus et Vladislaus filius Boleslai Krivousti, post cædem Divi Stanislai, sine regio insigni dominati sunt) ex Sigismundo III et Anna Austriaca XIII kalendas quintiles anni 1595

31 Vilnæ et Pinsci templorum dedicatio.

32 Templi academici olim consecrati novum decus,

Imago B. V. Mariæ Lauretanæ.

(1) Cætera vide in Miscellaneis P. Alberti Kojalovicz, pag. 24.

1648

33 Vladislai Regis obitus et elogium.

natus, rebus gerendis et vitæ finem fecit Merecii in oppido Lituaniæ XIII kalendas junii. Electus rex 1632; diademate a primate archiepiscopo Gnesnensi Joanne Venzyk rite insignitus VIII idus februarias anni proxime insequentis. Præclare feliciterque gubernavit rempublicam. Hostes Poloniæ coortos vel consiliis coercuit, vel armis domuit. A magno Moscoviæ duce Michaele, Theodori filio, memorabilem victoriam victoriæque signa reportavit. Turcarum infestos exercitus a finibus Poloniæ depulit. Ereptam a Suecis recuperavit Prussiam. Studiosus Beatæ Virginis sine primigenia macula conceptæ cultor, ejusdem honori duo sodalitia instituit: alterum Varsaviæ in templo sociorum; quod hodieque regia Congregatio nuncupatur (vid. lib. VII, num. 6): alterum Cracoviæ apud Franciscanos de observantia, Ordinem militarem equitum Immaculatæ Virginis, conscriptorum adversus barbaros, Christiani nominis hostes. Hujus sodalitatis dignitatem, numerum, insignia, habitum, officia, instituta, auctoritate etiam apostolica Urbani VIII anno 1634 confirmata, descripsit Joannes Fridericus S. R. I. comes in Koden Sapieha, castellanus Trocensis (1). Collegium et gymnasium condidit Varsaviæ Patribus Calassantinis scholarum piarum. Elatus luctu civium maximo. Sepultus Cracoviæ anno 1649 ad kalendas februarias.

34 Belli Cosatici et Tartarici initia.

Proxime ante Vladislai obitum commota est adversus Polonos, subjecta dudum istis gens, Cosacorum Ucrainia, et proxima Tartaria, concitatore seditionis, et perduellium trecentorum facile millium, cum accitis in societatem belli Tartaris, duce Bohdano Chmielnickio. Objectæ hostibus Polonorum copiæ; exiguæ illæ, immanibus barbarorum inferiores multo; cæsæ sunt, partim ad oppidum, ab aquis flavis dictum, partim apud Corsunium: capti Potockius et Kalinovskius duces Polonorum clarissimi. Inde, ruptis quasi decumana tempestas aggeribus, multæ, fatales, perpetuæque calamitates provincias Poloniæ omnes inundarunt. Tum fuga civium ab Ucrainiæ confinibus, et magna ubique trepidatio. Ut nostratium omnia fere pervia sunt et sine custodiis oppida, quærenda erant saluti et abscondendis sacris utique templorum supellectilibus loca tutiora. Nesvisium urbs, ne portis quidem clausa, intervallo tamen unius jugeri arcem habet munitam, in hanc princeps civitatis Radivillus partem Collegii accepit; pars alio, qua data via, dispersi. Hac tempestate non tentarunt Nesvisium hostes; ab oppugnanda arce miro quo nescio, quasi permagni in præsidio polonici exercitus, spectaculo absterriti. Factum id creditur angelico divi Michaelis præsidio, cujus tutelæ se Nesvisienses maxime tum commendabant.

Nesvisienses divino se tuentur præsidio.

(1) Lib. Adnotationes historicæ de origine, antiquitate heroici ac celeberrimi in regno Poloniæ Ordinis Equitum quilæ Albæ.

In istis Reipublicæ tenebris et procellis ad regnum Joannes Casimirus per comitia Ordinum generalia invitatus concordia totius gentis summa. Redimitus diademate anno proxime insequenti, ab ipso regni aditu oraculum fatidici illius viri, beati Josephi de Copertino, argumentis inde sibi confirmari sensit perpetuis (1). Jam corona insignis regia, Varsaviæ domum nostram declinavit a turba, initiumque regni duxit a sacris beati Patris nostri exercitiis ; professus, etiam tum animo se in Societate Jesu habitare : quæ in Romana illa didicisset schola, quoad fieri posset, accommodaturus ad statum suum præsentem.

1648

35

Electio Joannis Casimiri et coronatio.

Animum ad sua tempora præparat per commentationes S. Patris Ignatii.

Aliquot bene meritos in Societate viros calamitati publicæ mors bona subduxit. In primis sunt : Melchior Schmelingus gente Livo, præses provinciæ ab an. 1646, rector antehac Collegii Vilnæ academici, Nesvisii hospes, IV idus januarias, cum oraret in templo, hora matutina sexta, attonitus repentino malo quod apoplexiam vocant : deinde hujus in provinciale munus successor Simon Blonskius, vulgo Blonensis, Masovita nobilis, rector olim et magister novitiorum annos 15, deinde præses domus Varsaviæ, deinde quatuor abhinc menses præpositus provinciæ, extinctus Varsaviæ pridie kal. decembres ; viri ut sapientia, sanctimoniæ laude, et muneribus pares, sic multo superiores dignitate multis. Simoni suffectus Andreas Klingerus, Collegiorum olim Brunsbergiæ, Resselii, et domus novitiorum Vilnæ rector. Brevi hic etiam, biennio non circumacto, suam deposuit provinciam, a Carolo Ferdinando Vladislai regis fratre ad officium in aula theologicum vocatus.

Mortui hoc anno provinciales duo : Melchior Schmeling Nesvisii, Simon Blonskius Varsaviæ; successor in provinciam, Andreas Klinger, in aulam principis regii accipitur.

Ad Patrem Melchiorem appositus Nesvisii quinto kalendas martias P. Leonardus Kinardus, natione Scotus. Ab hæresi ad Ecclesiam, ac deinde ad Societatem traductus, brevi magnos in studiis virtutum et doctrinæ fecit progressus. Jam philosophiam annis novem professus, bello Suetico raptus cum aliquot Sociis e Brunsbergensi Collegio, et in navim conjectus ab hostibus, totum semestre tempus exegit in sentina et ærumnis. Traditum in custodiam in oppido Prutenico servum suum Deus modo eripuit mirabili per hominem, habitu illum quidem Polonum, sed qui et unde foret, et qui in arcem, hostibus insessam, atque adeo in ipsum carcerem penetrasset, ignotum. Restitutum Sociis Patrem accepit præfectus castrensis Jacobus Bullerus, præsidum concessu. Secutus Jacobum multis interfuit præliis, tum in Polonicis tum in Germanicis castris diu cum heroe suo versatus, atque in eisdem periculis curator animorum. Moriens rogavit Socios, ut nomine suo Deo gratias agerent pro suis beneficiis in se collatis, pro tribus præcipue : quod in gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod inter brachia piæ

P. Kinardus Nesvisii. Captus ab hostibus exercetur. Miro modo liberatur. Castrenses sui labores.

(1) Vide Histor. Prussiæ Joan. Leonis, pag. 525.

1649 Moriens pro tribus maxime agit gratias.

matris suæ Societatis Jesu, quod religionis catholicæ causa extorris patria, Babylone illa hæretica, salutis æternæ securus moreretur.

36 Regiomonti Sociorum opera utilis.

Regiomontum aditus nostris, lutheranicorum maxime fraudibus ministrorum, erat obstructus. Patefactus est demum consilio maxime reginæ Polonorum Ludovicæ. Missi ad eam civitatem sacerdotes quinque e Collegio Brunsbergensi : primi inter eos Michael Radau et Andreas Zienievicz. Ipso hoc temporis spatio (an. 1649) istorum cura ad Ecclesiam a secta lutheranica revocati mille amplius. Inter ea, quæ domi erant tristia, jucundum accedit, quod a Perside per Lituaniam reveniens ad patriam, Nesvisiensibus nostris narravit missionarius e Societate Gallicus, Franciscus Ricardius. Legatum a republica Poloniæ (1), Hispahani in principe Persiæ urbe, acceptum esse pro gentis utriusque dignitate. Secundum publica sua negotia, orasse, catholicos sacerdotes, nominatim Jesuitas, inferri ut liceret in Persiam, atque Hispahani etiam : regia sua benignitate securos habitare : donasse id Polonæ reipublicæ regem Persicum non gravate : datum legato diploma, in quo fundus etiam assignatus esset Hispahani condendo hospitibus domicilio. Habitus etiam inter hæc divino Jesu nomini honos : quoties nominanda erat Societas Jesu, toties illud aureis in diplomate scriptum litteris. Socii quoque novis in eodem diplomate ornati laudum titulis quales erant illi : homines isti comprimis docti, Socii majestatis Jesu. Is obliquo itinere delatus a Perside nuntius, qui scilicet faceret spem gentis ejus tam amplæ ad populos veri numinis cultores aggregandæ, præsenti calamitate mœrentibus id aspersit solatii.

1650 37 Nuntius a Perside lætus Nesvisii.

38 P. Berenti elogium.

Brunsbergæ vitam cum morte, sive morte potius cum vita sempiterna commutavit P. Simon Berentus, Prutenus, anno salutis 1649, ætatis 44, XVII kalendas junii. Adolescens annorum quindecim Deo se in Societate mancipavit. Bene se, bene res gessit suas in omnibus officiis, sive cum scholas institueret, litterarum humaniorum alias, alias severiorum magister : sive cum populum doceret concionator annos continenter duodecim : sive cum saluti aliorum serviret annos sexdecim, in oppidis alias et pagis, alias in aulis, primum quidem apud magnum Lituaniæ cancellarium Alexandrum Radivillum, apud regium deinceps principem, germanum Joannis Casimiri fratrem Albertum : huic nationes visenti exteras comes ab Sigismundo rege morumque magister additus, et reductor fuit in patriam, et mox a peregrinatione morienti, adolescenti annorum quindecim, custos ad vitæ exodium perattentus. Præter alias artes ingenuas musicis fuit apprime eruditus. Laudabatur ab Italis etiam ars in editis a Simone libris symphoniacis, carminaque

Magister scholarum. Concionator. Missionarius.

Theologus aulicus principum, Radivilli et Alberti adolescentis regii. Musicus artifex.

(1) Regnante adhuc Vladislao. Nuntio nomen Illicz in Historia domus Nesvisiensis.

hujus nostratis Romæ in pontificiis etiam odeis canebantur. Pro scriptis ejusmodi 1650
oblatos sibi nummos concessu præsidum in pauperes scholasticos eorumque domicilium Brunsbergæ reparandum, olim a Suecis dirutum, erogabat. Paupertatis **Paupertatis amor.** religiosus amator, nullum unquam accepit munusculum, quod non præsides ipsi accipiendum suaderent; neque mutavit vestem, nisi laceram attrita usu longo; neque cibum potumve gustavit non suo prandii aut cœnæ tempore, sæpe totos dies jejunus et siccus. Homo mente semper tranquilla: natura, consuetudine, **Temperantia.** disciplina mansuetissimus; omnia non forti tantum sed hilari etiam animo ferens, in illis etiam doloribus maximis, cum in itinere raptatus cum everso curru equis **Patientia.** tabano concitatis; confractisque ossibus, chirurgorum sectiones, scalpra, lemniscos, aliaque horrifica diu sustineret. Illa tanta tam diuturna acerbitas ne gemitum quidem ex animo viri expressit. Post plures inde annos aqua intercute suffocatus est. Præfuit Collegio alumnorum Pontificio annos sex, scholis quinque, Sociis magister spiritus novenos.

LITUANICARUM

SOCIETATIS JESU

# HISTORIARUM

## LIBER DECIMUS

(1650-1664.)

1 Regnum Joannis Casimiri calamitosum. 1468-1672

Quæ mala statim ab obitu Vladislai IV in rempublicam Polonorum ingruerint, quo inde per strages late datas progressa sit calamitas, leviter hic utique perstringendum prius puto, quam nostra singulatim commemorem, quo facilius intelligas, quæ tum fuerint in populo inermi, maximeque injuriis obnoxio, miseriarum causæ, quantæque acerbitates ærumnarum. Vicenos ipsos, quibus Joannes Casimirus cum regni fortuna sui conflictatus est, annos periclitata cum provinciis suis Polonia; bellis ab omni cœli regione coortis : Cosatico, Scythico, Moscovitico, Suetico, Borussico, Transylvanico : atque aliis vicissim succedentibus, aliis pariter continenterque flagrantibus ; nullum tam diu inter conflictus armorum exitum reperiente miserorum civium fortuna. Turbæ, rapinæ, incendia, exilia, cædes, fames, pestilentia, aliaque mala ex aliis nascebantur. Enimvero nunquam magis, quam hoc tempore suo, respublica inclinata fuit ad interitum. Primus commovit arma, servilis fax belli, Cosacorum perduellium signifer, Bohdanus Chmielnickius, excitis latrunculis ab insulis Borysthenis ; quas incolæ barbari *Porohas* vocant, ipsique ab his cubilibus suis Zaporohienses nuncupantur. Cum istis Perecopenses Tartari, Tohaibego, deinde aliis ducibus, societatem belli coivere.

Bellum servile Cosacorum et Tartarorum.

Immanis utriusque gentis vis, millia non minus trecenta, iraque jam diu inflammata, in perniciem Polonorum pariter incubuit. Causa commovendi arma barbaris nulla fuit justa; prætendebatur autem multiplex : religio Græcorum maxime, qui se nuper cum Ecclesia Romana per synodum Brestanam conjunxissent. Indigna quidem hoc loco barbara illa perduellis signiferi, in suo cœtu habita, oratio; quando tamen facta etiam sua immania narrare non piget, hanc quoque recitare non pudeat ex annalibus Vespasiani Kochovskii (1).

« Viri tribules, inquit, videtis, quo per dominos vestros, Polonos, res vestræ « sint loco : interversis videlicet episcoporum atque asceteriorum patrimoniis, con- « temni passim vestros antistites; dum, jurisdictione spirituali erepta, instant « Uniti ferro ad jugulum; aut Jesuitarum missionariis, si quo adhuc in angulo sin- « cera patrum fides maneret, improbata præjudiciose inferentibus. Interim per « comitiorum recessus eludi aut differri supplicantium preces, vel solo schismatis « titulo exosas. Jam vero obliteratum militiæ Zaporohiensis decus; ubi bellum « ingruat, obtrudi Cosacos periculis, mulcerique profuturam alienis commodis « fortitudinem; ubi defuncti periculo, vilem sanguinem, ac postremos mortalium; « censeri. Nihil a quartianis, legionibus polonicis, omissum, hostili veluti in solo, « licentiæ; nihil intentatum ab heris sævitiæ; qui omnem furoris sui impetum in « capita innocentium consumpsissent; in insimulatos contumaciæ immittunt suas « cohortes, a quibus quandoque integra municipia stirpitus exscindantur. Denique « abjectissimæ servituti non esse modum; quam recutitæ gentis Judaicæ dominatio « intolerabiliorem faceret. Et hæc, ut publice tangentia, si viri estis, excutite. » Tum de suis, quasi non suo pateretur merito, queribundus injuriis, viderent se, postulat, ac sui misererentur. « Zaporoviensium notarium, tot stipendia emeritum, « barbaricam captivitatem perpessum, dum rude donari expectat, nullum ob sce- « lus, nisi quod sævire tyrannis volupe sit, periclitari. Occisum sibi crudeliter « filium : abductam vi uxorem : ereptum patrimonium, ne equo quidem quo « mereret relicto, novissime destinatam morti victimam quæri. Neque aliud eme- « rito militi, post profusum sanguinem, et lacerum per vulnera corpus, restare « amplius, nisi ut falso seditionis crimine sub carnificis manu moriatur. Præ- « judiciose agi secum, et, postquam in suo capite processerit, exitium immi- « nere universis. »

Causæ [falsæ.]

En perduellionis et facinorum tot tam immanium causas : viles esse Polonis Cosacorum animas : Zaporovianos periculis objici in Poloniam ingruentibus :

(1) Lib. 1. Climact. I, pag. 25.

vexari gentiles suos a militibus, afflictari a dominis : exscindi sua municipia : obnoxios se genti esse Judaicæ : non pro suis tractari meritis Chmielnickium, et, quod schismaticis caput est, contemni religionum suarum antistites. « Cum plebe « quidem Ukrainensi, inquit Kochovius (1), non sine aliqua injuria agitatum, diffiteri « nequeo ; pro præfectorum heroumque ejus oræ austero aut tractabili ingenio, « ipsiusque plebis natura, adversum imperantes morigera aut calcitrante : nam « decumare equireas, recensere armenta, decuncem mellificii capere, aliaque « subjectionis onera, veteri more pendi solita, utcunque tolerabant. Verum post- « quam sub nomine augendorum censuum reperta nova exactionum vocabula, ut « a venatione ferarum pelles, a piscatione insuetum vectigal, pro diurno labore « triobolares nummi, mulctæ, pœnalia, aliaque ejusmodi, uti gravia, incusabant, « querebanturque. » Hæc Bohdanus in seditiosorum concionibus clamabat ; non quod Ukrainensium aut civilis fortuna aut religio sibi esset curæ, aut Polonorum tam impotens dominatus, aut ipse immerens aliqua subactus injuria foret : sed quod, abjudicatis jure quibusdam a se bonis, quæ in latifundio Polonorum Czechrinensi sibi adsciverat inique, inimicitiæ sibi intercessissent cum justis possessoribus : hoc ille revera unum ultum ibat. Quo autem magis concitaret stultam et præcipitem in omne facinus plebem, violari suas photianorum religiones, exaugurari antistites, profanari sua sacra, seduci a catholicis populares suos, Jesuitarum maxime fraudibus, irrepentium quasi in oppida Ukrainæ, callideque se dantium incautis civibus, id vociferabatur impostor ; hinc illa quoque vox pro bellico veteratori fuit : *Za wiru!* id est, pro religione : hoc ille gentem, suis occæcatam fraudibus, incitabat. Ita commota perduellio e Zaporoviæ lustris erupit, senescente anni 1648 autumno, brevique in agros Podoliæ, Volhiniæ, Russiæ, Poloniæ, Lituaniæ effusa est per stragem quoquoversus miserabilem. Itum quidem obviam haud segniter ; sed eluvioni tantæ tam violentæ agger continuo objici non potuit. Quidquid raptim oppositum, vis illa confestim dissipavit. Acceptæ clades passim. Amissi apud Aquas fulvas (2), mox apud Corsunium duces. Increscente inde audacia, barbari ruere et sævire in cives : involare in villas, castella, civitates : cædere passim sine ullo ætatis et sexus discrimine : propudia, sacrilegia, et quidquid libido suggessisset et furor, perpetrare. Inter cædem et scelera a Pripetio et Slucia fluminibus ad Sanum Roxolaniæ amnem uno multas provincias continenti sternunt incendio. Ardere tum mundi universitas miseris videbatur mortalibus, latitantibus in tesquis et locis palustribus, metu et dolore ad ea spectacula emorien-

*Causæ belli veræ.* — *1648* — *Clades vastissima.*

(1) Ibid. pag. 27. — (2) Vid. supra lib. IX, n. 34.

tibus. Ad cladem istam adde illud etiam non leve reipublicæ damnum, exustas casu fodinas salis Vielicenses, præcipuum suum gentis thesaurum; tum formidolosa illa portenta : cometam, rubentem quasi sanguine, toto semestri mortales territantem; proluviem Vistulæ, Varsaviæ proximisque oppidis damnosiorem quam unquam alias; repentinas alibi ædium ruinas, prodigiosas civibus, maxime Cracoviensis illius decumanæ portæ, quæ profana dicitur, et turris Loviciæ inter ædes archiepiscopi Gnesnensis : sudorem alibi sanguineum e signis Divorum, qualem fuisse visum exploratumque multis in oppido Ksionzy, Comitum Myszkovskiorum hæredio, testis est idoneus Vespasianus Kochovskius, Polonicorum scriptor Annalium (1). Omitto alia, in quibus vulgo fuit portentorum religio. Fidem interim suarum cuique superstitionum eventa faciebant; calamitatibus aliis pullulantibus ex aliis : e tumultu hostium in pagis solitudine, e solitudine agrariæ rei vastitate, hinc fame et pestilentia rerumque mortalium interitu succedente. Rebus ita Polonorum dispereuntibus, belli servilis reperiri finis non poterat. Gliscebat in dies multitudo hostium et sævitia major, ab aliis etiam cœli regionibus tumultu armorum incitata. Parum erat, dominos servorum perduellium exscindi securibus; suas insuper bipennes ad cædem contulit Alexius Michailovicz, tyrannus gentis Moscoviticæ. Quadragena armatorum millia, Srebrenio et Chovanskio ducibus, in Lituaniam : pares numero copiæ in Ukrainam, Cosacorum adjutrices, quasi vero isti manci claudique ad latrocinandum in Polonia essent, immittuntur. His se Ukraina omnis cum coryphæo suo Bohdano dedit continuo (1654). Complures annos opibus summis adversus Polonos Alexius se comparabat : neque iræ illi suæ sufficere armentarium suum videbatur, aut exercitus ille, ex omnibus suis provinciis contractus. Sollicitandi erant insuper ad societatem belli Turcæ, Sueci, Batavi, Dani; tela in afflictam jam ita gentem colligenda huic erant undique; ac Polonorum quidem nullo, si Kochovio et aliis credimus historicis, nullo malo tum merito. Causa malorum unica, manifesta hæc nimis, vindicta numinis, punientis peccata populi sui furore istarum gentium et maleficiis. Erumpit actutum post Cosacos recens hostis, infestusque grassatur per strages alias super alias, Smolensciam, Livoniam, Russiam, Prussiam, Lituaniam ferro et igni populatur. Non hic finis miseræ ejus quasi Iliadis : sua Suecus etiam in Prussiam tela infert et Poloniam; duce et auctore Carolo Gustavo, principe Bipontino, nepote ex sorore Gustavi Adolphi, atque ejusdem secundum Christinam, a morte Adolphi tantisper reginam Sueciæ, successore in regnum; Joanne Casimiro idem sibi, tanquam avitum, vindicante.

Exustæ salis fodinæ.

Prodigia.

Moscoviticum bellum.

1648

Suecus arma in Poloniam infert.

(1) Lib. I, Climact., pag. 18.

Atque hæc una Suecis erat, quod meminimus, hodieque causa tot motuum ac tantorum in Polonia tumultuum. Hoc ille tempore tam turbido suam belli cum hostium causis communem fecit, facilius, quod ambiret, extorturus. Contendit cum signis infestis recta in Poloniam, agitaturus regem Joannem toto, si posset, mundo. Decem et septem millia suorum ductans, Poloniam peragrabat. Cincto undique periculis reliquum erat Joanni, se ut cautus subduceret. Perfugit in Silesiam una cum Ludovica conjuge, nostratibus tantisper hostem sustinentibus. Glogoviam, in oppidum Silesiæ munitum acceptus rex. In relicta ita Polonia animos civium Gustavus promissis et largitionibus oppugnare, mutatoque hostili nomine, protectorem jam se regni Polonis offerre. Nostrates porro quid per conventum, Tyszoviciis habitum, inter se constituerint, ex annalibus Kochovskii (1) accipe :

Joannes rex perfugium quærit.

Formula instituti civilis.

« Haud credat orbis, nec quisquam adhibeat fidem, inclytam Polonorum gentem, « blandis intrusoris domini promissis fascinatam, ab electo liberis suffragiis rege « descivisse unquam : et si fatendum sit, tum serenissimum regem Casimirum, « tum equestrem ordinem, iniquitate adversantis oppressos, in eas recidisse « rerum angustias, ut, in exitium Poloniæ ingruentibus undique hostium exerciti- « bus, et regia majestas finibus regni excedere, et nobilitas in protectionem regis « Suetici concedere, necessum habuerit; cui, secundum conventionem initam, « conveniebat fidem servari, nisi prior ipse datam violasset. Jam vero revocando « in memoriam, ut nulla penitus belli causa, ne prætextu quidem, imo contra « inducias cum Vladislao IV Stumdorfii ictas, injustis rempublicam armis oppres- « serit; et quamvis, a majore parte regni incolarum protector appellatus, fidei « catholico-romanæ conservationem spopondisset; mox eidem gravis et injurius, « omnia sacra ritusque avitos intervertere cœpit : ditiones regni ab exercitu suo « evastare : curias nobilium in prædas dare : statum equestrem exactionibus « gravare : magistratus et judicia tum ecclesiastica tum sæcularia tollere : leges « antiquas et consuetudines pessumdare, ac juris dicundi normam ad extraneos, « legum imperitos, transferre : sacerdotes ac nobiles, nec delatos, neque con- « victos, imo nec auditos, carceribus mancipare, et trucidare permiserit : cultui « divino dedicata templa omni splendore et apparatu spoliari : campanas pulsari, « nisi grandi ære redimerentur, prohiberi : basilicam Czenstochoviensem, non in « tota modo Polonia, sed ubique fere inclytam, grandi exercitu cinctam et op- « pugnatam, sacrilego in direptionem ausu destinari : nempe ut, diruto hoc in

(1) Lib. II, Climact. 2.

« Deum et ejus Sanctissimam Matrem pietatis Polonæ monumento, mox ad ex-
« stirpandam fidem catholicam accingerentur, inque ejus locum peregrinam aliam
« induceret : bona reipublicæ emeritis civibus collata, contra sponsionem fide
« regia firmatam, eripi : patrimonia Ecclesiæ sæcularibus personis conferre,
« etiam eis qui diversæ sunt opinionis in sacris, præsumpserit : eo fine, ut, in-
« terceptis ecclesiarum redditibus, laudem Dei et cultum veterem penitus in
« regno hoc exstirparet. Jam vero cum principibus regno amicis pacta olim
« inita negligit : juratos Poloniæ hostes ad armorum societatem pertrahit ; ut
« rempublicam, tot angustiis pressam, in extremum denique belli Turcici discri-
« men præcipitet. In summa, quidquid reipublicæ et exercitui pollicitus est,
« ac litterariis stipulationibus, stipulatione, aut verbo regio firmatis, cavit :
« omne id incontinenti pessum dedit, mutavit, revellit. Immunitates Ecclesiæ, ac
« pristinum statum reipublicæ, libertatemque Ordinum, imo cujusvis sortis
« homines, regni nostri incolas, gravissime oppressit. Antequam igitur actu
« durus, fide levis, verbo inconstans, dominus, regimen suum ulterius producat,
« ac firmius stabiliat, arces ac fortalitia occupet, gentem atque exercitum sub
« jugum compellat, ambitiosæ huic dominandi libidini obsistendum esse totis
« viribus duximus ; præsertim dum serenissimus Joannes Casimirus, liberis suf-
« fragiis electus, rex noster in vindictas catholico-romanæ fidei atque Ecclesiæ,
« etiam libertatum ac status sui cura insurgit ; sitque paratus, pro incolumitate
« patriæ cuivis discrimini regium caput objicere, et non contemnenda submit-
« tere auxilia, polliceatur. His itaque permoti rationibus, cognatum erga reges
« amorem et fidem gentis Polonæ resumendo, ne ulterior templorum totiusque
« patriæ funestior desolatio consequatur, prospicientes, omni protectioni memo-
« rati Caroli, Sueciæ regis, renuntiamus : protectionem abdicamus : acta sua
« universa rescindimus ; et quocunque nomine emanata privilegia aut diplomata,
« irrita et nullius roboris pronuntiamus : ipsumque cum omnibus adhærentibus,
« quantumvis sint regni cives, nisi resipiscere velint, hostes communis patriæ
« declaramus : contraque illum aut illos pro fide catholica et Ecclesia Dei, pro
« tam atrocibus injuriis damnisque reipublicæ illatis, pro libertatibus convulsis,
« tam conjunctim omnes, quam seorsim singuli, fide, honore, et conscientiis in
« eum hostem agere, nos obstringimus. Interea exercitus reipublicæ exsolu-
« tionem stipendiorum non requiret, requisitione ejusmodi ad plenariam reipu-
« blicæ tranquillitatem tantisper dilata : ac, bello durante, universi constanter,
« usque dum patriam in solidum pacificari permittat Altissimus, mansuros nos in

« unione, submittimus et obligamus, omnesque in hoc proposito conspiramus et « conjuramus. Nemo nostrum quemquam in gravissimo casu deseret, multo minus « in alias partes transibit, factiones, dissidia, segregationes, aut secreta cum « hoste colloquia miscebit : nemo a signis discedet, aut perniciosa nexui nostro « molietur; sed omnes, unitis animis, constanti voluntate et opera, succurrere « laboranti patriæ sacrosancte pollicemur. Et quoniam eo reipublicæ statu « adhuc dum nonnulli ex incolis regni regi Suecorum adhærent, aut consiliis « sese immiscent; omnibus eis concivibus, et ejusdem nobiscum matris filiis, « amorem fraternum appromittimus : si modo, confœderationis hujus certiores « facti ante quam ad bellum perveniatur, colligationi seu nexui huic se « adjungant, et nobiscum simul hoc addictum divino cultui regnum et patrias « libertates tueantur : qui vero contumaces renuerint, bona eorum ducum et « commissariorum judicio subsunto. Insuper omnibus jure victis, honore dimi- « nutis, et cujuscunque status, etiam plebejæ conditionis hominibus, imo et « extraneis, non tantum virtutis declarandæ occasionem inculcamus, sed et « modum ad prærogativam et jus nobilitatis aspirandi offerimus; qui in præ- « senti reipublicæ obsequio pro virili rem præclare gesserint in nexu nostro « permanentes etc., etc. »

Ad famam hujus fœderis revocatis Poloni animis, redire ad civium castra: eodem hinc illinc alii, otiosi adhuc suarum calamitatum spectatores, armati concurrere : exturbare ex oppidis suis hostem, et qua parte facilis foret, carpere. Excivit id Joannem Casimirum; neque consiliis Germanorum, alia suadentium pro sua amicitia et fide, contineri potuit, quin revolaret ad suos, eademque se inferret in pericula (an. 1656). Reducem ante alias Poloniæ civitates accepit Leopolis; hic princeps in templo, operante sacris nuntio apostolico Petro Vidono, Laudensi episcopo, ante aram supplex, magna pietate se suosque cives Virgini Beatæ commendat, votisque se obstringit ex formula :

[1656] Rex ex Silesia ad suos redit Polonos.

B. Virgini se voto suscepto commendat.

« Magna Dei hominis Mater et Virgo : ego Joannes Casimirus, tui Filii, Regis « regum, ac Domini mei, tuaque miseratione rex, sanctissimis pedibus tuis advo- « lutus, te in patronam meam, meorumque dominiorum reginam hodie deligo; « atque me meumque regnum Poloniarum, ducatus Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, « Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Czernichoviæ: exercitus utriusque gentis et « populos universos tuæ singulari tutelæ atque patrocinio recommendo : tuam « opem in hoc calamitoso ancipitique regni mei statu contra hostes sanctæ Ro- « manæ Ecclesiæ supplex imploro. Et quia maximis beneficiis tuis obligatus im-

« pellor, cum gente mea ad novum idque fervidum tibi serviendi desiderium, « promitto deinceps meo, satraparum, populorumque meorum nomine, tuo Filio, « Domino meo Jesu Christo, tibique cultum et honorem per ditiones regni mei « propagaturum. Voveo insuper, ubi Filii tui miseratione victoriam de hostibus, « et præcipue Suecis, obtinuero, procuraturum, ut dies hic in perpetuum solem- « nis et festus habeatur. etc. etc. (1).

« Sensere mox limites regni, inquit Kochovius (2), ingressum Hungarorum, « non infesti modo, sed plus quam etiam hostilis agminis; cum revixisset in « Ragocio Attila, et gens, Hunnicæ originis memor, supra humanam crudeli- « tatem in innoxios sæviret. »

A finibus Transylvaniæ, qua iret cumque, omnia ditionis polonicæ ferro populatus est et igni Ragocius. Gratulari sibi de isto tam impigro facinorum æmulatore suorum Carolus: regnum Poloniæ jam sic inter Socios dividere arbiter in conventu partium suarum apud Opatoviam, ut Polonia Minor, et Roxolania, et Masovia, et Podlachia, et Ucrainia sint Ragocio; Borusso Polonia Major cum provinciis, Brestensi, Siradiensi et Lenciciensi. At Prussiam, Pomeraniam, Cassubiam, tractumque hinc omnem ad mare usque Balticum sibi vindicare diribitor. Cætera Polonorum, Lituaniam scilicet, Samogitiam, et Russiam, armis jam Moscoviticis subacta esse. Itaque hostium ira et cupiditate res Polonorum omnis quatuor in partes discerpta. Jam nescio quid prædæ sibi tyrannus Turcarum Mahometes IV ex rebus ita distractis poterat polliceri. Adjecerat et ipse oculos Russiæ Polonicæ, ad suum imperium adjungendæ; sed cui jam priores Moscovitæ manus intulissent. Ne suos exercitus in Poloniam inferret, commemoratione fœderum ac religione prohibitus, ille quidem copias suas continuit, at per Tartaros tamen et Cosacos, ab se incitatos magis, Polonos insectatus est; usquequo regno suo Joannes se abdicarit. Id jam demum propositum suum rege meditante, languescere et residere hostium impetus: respirare delassati tot malis cives: affulgere spes salutis et recuperandarum rerum perditarum; contra, renitente et prima retentante consilia, vires hostium continuo malaque omnia visa revalescere. Primus omnium quievit Marchio Brandeburgicus; coactus ille ad societatem armorum a Gustavo. Gustavo per Danos ad alia abstracto certamina, Ragocius numero superior, virtute impar nostratibus, cupidate regni pariter et Polonorum armis agitatus, ac sæpe cæsus, cum reliquiis exercitus collectitii in suam

Provincias Poloniæ licentur hostes, atque inter se dividunt.

Turca indicit bellum.

Borussus quiescit.

Suecus avertitur.

(1) Vide Vespas. Kochovii lib. II, Climact. 2.

(2) Vide cætera apud eumdem Kochovium, Climact. 2, lib. II.

1656 Ragocius arma in fumantem refert patriam. Polonorum querelæ.

Transylvaniam, bello Turcico et civili insuper ardentem, anno 1657 rejectus est. Reperit ille domi plena omnia et justis Polonorum querelis, et suarum ruinis fortunarum. Legebantur ab Hungaris sparsæ nostratium passim litteræ ; quas in suis *Climacteribus* ita recitat Kochovius :

« Nemo dubitat, naturæ lege cautum esse, alteri non facere ea, quæ sibi « facienda quis minime optet : prohibere tamen injurias, ac vim vi repellere, licet ; « vel ex ipso naturæ instinctu, quæ leonibus ungues, equis ungulas, tauris cornua, « canibus dentes dederit : etiam hominibus diversa armorum genera elargita ; qui- « bus propria defenderent, illatas injurias ulciscerentur. Notum gentibus, Polonos « cum Transylvaniæ principatu nullum unquam discrimen aut controversiam vel « amicitiæ, vel confinii, vel mutuæ correspondentiæ, ab immemorabili tempore « habuisse : quin imo cum inclyta gente hungarica semper, maxime a Ludovico, « Alberto, Mathia, aliisque dominis, Pannoniæ regibus, sacro-sanctum pacis « fœdus imo et usque nunc laudabilem coluisse amicitiam : ut Polonorum Hunga- « rica, Hungarorum Polonica capitibus sæpe diademata imponerentur. Quod si « vacat vetusti temporis acta respicere, in Stephano Bathorio recentioris memo- « riæ documentum manet. Nec defuerunt genti in bellis, contra Turcam gestis, « præsentissima Polonorum subsidia ; etiam in turbis domesticis Bockaji, Bet- « lemi, Mosis Siculi, vel ipsius Stephani, Ragocii patris, mediationibus et consiliis « fraternum in modum Hungaros prosecuti Poloni : incolumitate illorum, ac si pro- « priam, ex animo curavimus. Novissime hostes professis Vallachis Cosacisque « Ragocio, qua fide ac dexteritate res ejus adjutum nostri ivere, nemo est qui « ignoret. Hinc, consurgentibus in regno Poloniæ bellis, a nemine prius quam ab « ipsomet Ragocio flagitatum auxilium. Compellatus quidem eo nomine D. Ferdi- « nandus Imperator ; ast dum longiori deliberatione postulatum differt, neque res « nostræ moram patiuntur, ad principem Transylvaniæ desideria reipublicæ con- « versa sunt, oblataque ei coronæ spes ; si opem ferre laceratæ undique Poloniæ « dignaretur. Verum ubi mel sperabatur, inventa sunt spicula : cum vanus princeps, « requisita ope elatus, majorem in animo locum ambitioni dederit quam rationi, « potiusque duxit, violenta tyrannide occupare regnum, quam illud amica electione « quærere : ignarus consequentiæ, quod qui libertatem aliis adimit, suam ipse « perdat, necesse, etc. etc. Nullis itaque legitime adipiscendi regni admissis mediis « et consiliis, fastu tumidus, Poloniæ regnum scripto dictoque suum esse divul- « gans, infestis armis fines nostros involat, Romano imperatore ac benevolentibus « vicinis frustra immeritam vim deprecantibus, etc. etc. Ingressus itaque regnum

« Poloniæ Ragocius cum Hungaris, Siculis, Moldavis, Vallachis, Cosacis, aliaque 1657
« gentium colluvie, patentes ubique fecit publicari litteras, Poloniam se protegere
« velle, ac restituta pace decennalis belli flammam restincturum. Egregius sane
« pacificator, si non magis mortuorum hostis ; dum cadavera ab impio ejus eruun-
« tur milite, obvia quæque ferro et igne vastantur, exuruntur, pessumdantur, etc.
« etc. Mactantur uti pecora homines : tormentis enecantur Christiani : hi ad verum
« allignantur assandi : alii sera per medium scissi : illi in lebetibus coquuntur :
« isti, pice et resina obliti, ad ignem torquentur : complures, detruncatis mani-
« bus pedibusque, mortem precibus et suspiriis desiderabant. Non decrepitæ
« senum ætati indultum : non imbelli sexui parcitum : infantes pedibus arrepti
« ad parietes alliduntur : stipem petentibus mendicis exsculpuntur oculi, præcidun-
« tur auriculæ, a dorso cutis deglubitur. Cui truculentiæ tam horridæ hostis etiam
« ipse, Suecus, indoluerit, eamque exprobaverit Ragocio. Nemini itaque mirum,
« inclytæ præsertim genti Hungaricæ, videatur, quod irruptionem in ditiones
« Ragocii Poloni fecerint ; præter tot, tanta, tam immania, iniquissime armis laces-
« siti. Nemo miretur, si oppida pagosque exuri, si campos stratos cadaveribus
« viderit ; nec moveatur horrida Ragocianæ ditionis vastitate, cum majora in Po-
« lonia auctor patraverit, etc. Hoc tibi sit inclyta Hungarorum gens, manifes-
« tum Polonorum, qui ultro citroque illatam deplorant calamitatem, dum vicem
« pro vice reddunt etc. » Datum in Castris ad Mohacz die VI julii, an. Christi 6157.

Ragocianorum immanitas incredibilis.

Cædes dira Polonorum.

Eodem anno Ragocius excessit e Polonia ; atque ille quidem pœnis ambitionis suæ, temeritatis, et sævitiæ datis Joanni Casimiro non levibus. Præterquam quod præliis, virtutem periclitatus Polonorum, multos suos amisit, fugiens, aspiransque ad rogos suæ Transylvaniæ ardentis jam undique, tergum Polonis convertit persequentibus, inque eas compactus est Thermopylas, in Volhinia maxime apud pagum Nigrum Ostrovum, ut sibi ab ultoribus vita infimis precibus esset deprecanda. Faciliores inde clementioresque quam pro suo merito, nactus Polonos, acceptis conditionibus certis datisque obsidibus, miserante facileque ignoscente hosti rege Joanne, dimittitur. Sed dimissum vindex criminum pœna e vestigio consequitur. Vix dum, pactus cum nostratibus, loco se movit, cum in obvium infestis signis involat Hanus, Crimensium dux Tartarorum, cum millibus suorum sexaginta. Primis statim præliis Ragocianos sternit ad decem millia ; reliquos abducit in vinculis. Ivisset in nervum Scythicum et ipse Ragocius, nisi maturius hominem dux campestris exercitus Lituanici Johannes Sapieha furori barbarorum subduxisset. Restitutus suis, nihil rerum suarum reperit ; occupata a Tur-

Ragocius victus pellitur ex Polonia.

Pœna injusti belli.

1651 cis Transylvania : irato sibi imperatore Romano : succensentibus Transylvanis, suaque Ragocii damnantibus consilia, ut qui peregrini ambitione regni patriam barbaris prodidisset. Longior fuit et difficilior cum Moscovitis colluctatio, adjuvantibus hostes Cosacis et Scythis. Hostilia istorum facinora qui maxime in Lituania grassati sint, singulatim perstringemus, restituto deinceps annalium ordine narraturi.

Moscovitici belli difficultas.

2 Bobruiscenses Socii dissipati.

Moscovitarum et Cosacorum in provincias Russiæ et Lituaniæ magno numero irruentium ante alios hostilis impetus perculit Socios in domicilio Bobruiscensi ; loco illo citeriore finibus hosticis, injuriis itaque proxime obnoxio. Cædibus et incendiis vicinorum conterriti, profugerunt oppidani, post eos dilapsi Socii, vasis templi et rebus majoris pretii vel abditis, vel secum ablatis; solo ad custodiam domus relicto e suo Collegio sacerdote, sene illo, et jam dissolvi cupiente. Atque hic aliquem desiderii et constantiæ percepit fructum (an. 1648); a latronibus, quod templi supellectilem prodere nollet, contusus, tantumque non confectus. Exactis Bobruisco et tota illa provincia prædonibus, haud longo intervallo Socii domum ad suum præstitem senem redierunt. Pinscenses in suo domicilio tantisper integri, depellentibus incursantes Lituanis, suaque tuentibus. Per id otii domui Collegii e coctis lapidibus ædificandæ lapis angularis a conditore principe Stanislao Radivillo præjectus, consecratus nomine divi Stanislai, V kalendas octobres quo die memoria translationis beati hujus pontificis in Polonia recolitur. Templum, jam ante conditum, aris signisque sacris hoc anno pulchre ornatum, procurante Collegii rectore, Andrea Volovicz.

3 Pinsci fundamenta domus ; ornamenta templi.

Lapis angularis domus.

4 PP. Skorulski et Duczyminski, Nesvisii.

Alibi sepulcra multis aperuit temporis pestilentia. Subierunt illa præter alios e Collegio Nesvisiensi sacerdotes duo, digni memoria : Paulus Skorulskius et Sebastianus Duczyminskius : hic in Masovia, ille in Lituania, orti genere prænobili. In Paulo spectabilia erant maxime : studium divinæ gloriæ et rerum humanarum suique despicientia. Ad præclara quæque natus formatusque munera, nullum ex eis admisit : sed ex proposito amorem Dei suum in ipsis humilibus officiis exercuit : complures annos idem et magister per scholas catechismi, et pauperum in domicilio ad ædem S. Casimiri Vilnensi e precario quæstu altor, et interdum concionator, industrius, incensus, efficax. Ad ardua quævis divinæ gloriæ causa expeditus semper et alacer. Relicto sui desiderio multis, vir propter egregias animi laudes et merita carus omnibus, obiit anno ætatis 68, tricesimo exacto a primo tempore religiosi in Societate tirocinii. Minorem natu, et tantum non adolescentem, Sebastianum corripuit mors. Ingenio fuit eximio, et, quæ hujus est

lumen (1), eloquentia præcipua. Ut alia hujus laudis exempla sua mittam, Vilnæ in Collegio, theologiæ tum adhuc auditor, nuper sacerdotio præditus, plures habuit jussu præsidum conciones. Inter cæteras memorabilis illa, dicta sacro verni jejunii tempore de operibus misericordiæ; qua ita commovit populum, ut a concione statim, ad perficienda, quæ monuisset iste hortator, se quisque converteret; atque hi ad nosocomia concurrerent, illi miseros in plateis requirerent, domum quisque, quem infelicem invenissent, quisque domum suam ducerent, pascerent, curarent. Inde mendiculi in plateis et pronais pauciores aliquandiu visi sunt. Tantam alias etiam egentium curam habuit, ut vulgo amaretur, suusque patronus, suusque pater ab ipsis vocitaretur; itaque illi, quoties hunc conspexissent, conclamarent. Sanctissimam Dei parentem Virginem magna et constanti a prima pueritia ad supremum tempus coluit pietate, exemplo beati Stanislai Kostka, aliis Dominam suam aliisque, et nominibus appellitans honorificis, et honorans officiis. Proditis insignibus modestiæ, castitatis integerrimæ, patientiæ, charitatis, et aliarum virtutum exemplis, prædicto a se maturius, quam in morbum delatus esset supremum, excessit tempore. 1652

5 Novogrodeci res Sociorum ex incendio convalescit.

Novogrodeci, templum, domus, et gymnasium, materiata illa, incendio in proximis ædibus facto, VI idus majas conflagrarunt. Ea clades excitavit liberale conditoris Martini Gradovskii animum, quo magis in absolvendis e muro ædificiis properaret. Ad fastigium operi imponendum quia multa deessent, constructa Sociis interim colligendis ædicula : translatum ex pago in busta sacellum, oblatum a Casimiro Leone Sapieha, procancellario Lituaniæ : scholæ in curia Martini tantisper explicatæ. Commemoranda nobis per istos annos identidem objiciunt se funera, eaque virorum præstantium. Primus sit in hoc censu, rector nostrorum Vilnæ novitiorum, Jacobus Brentus, XVIII kalend. febr. extinctus. Quinquennium eam rexit domum, exemplis pariter ac præceptis.

6 Obitus P. Brenti Vilnæ.

Quod ipse in omni vita sua spectaret maxime, nempe conjunctionem animi cum Deo per amorem summi boni perpetuum, perque negligentiam rerum caducarum et sui, id suis præses ac magister magnopere commendabat, dictitans : quanto longius ita quis a se discesserit, tanto eum Deo propiorem fore, ac proinde beatiorem. Cacodæmonem, cui cum Jacobo perpetuum erat certamen, importunius in supremo vitæ articulo tentantem adversus divinam majestatem adeoque violentum sensit, ut deficientibus se viribus et voce, quanta potuit contentione, exclamarit : Domine, vim patior! responde pro me, obsecro ! hui! quam formidolosa, quam funesta ist-

(1) Cicero in Brut. 59.

1652 In morte tentantem hostem vincit. hæc Orci bellua ! Luctatus aliquantisper cum hoste tetro, deinde perfusus gaudio, conversoque ad sacerdotem adstantem vultu : euge, mi Pater, inquit, euge ! vicimus ope divina freti ! laqueus contritus est, et nos liberati sumus. Mox, emoriente voce exitum suum Deo commendans, in tranquillitate summa exspiravit (1). In patria Jacobi provincia, in Varmia, Fraumburgi, valere jussit amantissimum Societatis patrem, hac tempestate regentem cancellariæ regni, Thomam Ujeyskium Pater Albertus Slaskius, olim rector Nesvisiani Collegii, deinde in aula Georgii Ossolinskii, Sandomiriensium palatini, magni Poloniæ cancellarii, inclyti ejus Mercurii vulgo Sarmatici, theologus, denique hujus Thomæ domesticus in suæ negotiis salutis consultor. Illatus in sepulchrum Sociorum Brunsbergensium pridie idus sextiles, eodem præsule suo Thoma funerante cum universo canonicorum Varmiorum Collegio. Plociæ, verno hujus anni tempore, mortalem finivit vitam, sexagenario major, P. Martinus Brolinskius. Ab anno 1610, quo Societati nomen dedit, ita ad supremum diem versatus, ut hominis, studio laudis divinæ operosi, exemplum esset perpetuum, adolescentibus juvenis, viris vir, senex senibus. In curandis mortalium animis partem vitæ posuit maximam ; intentus præcipue lacerante civitates pestilentia : cujus ille multa pericula superavit, ipso Dei conservantis præsidio adhuc salvus. In desideriis videndi Creatoris sui extinctus XIII kalendas julias. De Patre Nicolao Lancicio error unde nescio objectus est illis, qui hunc tradant, anno 1652, aut, quod legas alibi, 1655 obiisse. Vixit ille huc usque. Sexto idus septembres anni 1652 Caunæ, in templo Beati Stanislai Kostka domestico, professionem P. Floriani Malevskii excepit (2). Annus ergo P. Nicolao supremus vitæ fuit tertius et quinquagesimus supra millesimum sexcentesimum : dies III kalendas apriles, id nos e veteri suffragiorum, pro mortuis in hac provincia indictorum, libro (3), aliisque nostris monumentis certis securi assignamus. De ortu Nicolai et rudioribus annis jam narravimus (4). Hic summam vitæ, ex commentariolis, maxime Kondzini, in prædio domus probationis, mox ab obitu suo conscriptis, collectam damus. Cracoviæ, in religioso tironum Societatis gymnasio, certam spem fecit bona indoles sua : ut propterea majori in luce juvenem præsides existimarint collocandum. Romam ideo, perficiendus in illa inclyta novitiorum schola, transfertur (an. 1592). Hic Nicolaus ad optima, quæ in primis beatus juvenis Aloysius Gonzaga adolescentibus reliquisset, documenta

P. Brolinskii [mors Plociæ.]

[1653] 7 P. Lancicii Caunæ.

(1) Ex kalendario Societatis, a P. Joanne Poszakovki edito, mortuus est Jacobus die 15 januarii anni 1652. — (2) Vid. Professionis exemplar autographum in provinciali tabulario.

(3) Vid. in eodem tabulario. — (4) Lib, III. n. 68.

animum et mores conformabat. Ita ille curare candorem intimum : ita omnia instituere sua et agere, agique ipse Dei amore in omnibus : revereri ubique præsens numen : visere incensa pietate Christum in ara absconditum : in parvis etiam, quæ ad religiosam facerent disciplinam, accurate diligenterque versari. Cui se totum jam ante tradiderat, pro domina et Matre sua constanter, ac procedentibus annis magis magisque coluit beatam Genitricem Dei Virginem, de cujus dignitate, quibusque coli possit modis, præclare docet in suo de præsentia Dei opusculo. Rerum ipsarum amans cœlestium, ita se in earum contemplationem ingurgitabat, ut inter orandum sæpe vi divina abstractus a sensu mentis videretur. Quod suum nectar Deus, quo Nicolaus sitiret magis, amaris permiscebat interdum : nunc ariditate animi et quadam quasi solitudine, nunc magistrorum severitate animum juvenis acuentium. Anxio inter hæc aliquando, et, si quo suo malo pateretur merito eam animi vastitiem, Deum in domestico sacello deprecanti, traditum est, Salvatorem Jesum cruce nixum sanguine perfusa, spectabilem se Nicolao dedisse, mæstumque his monuisse verbis : *queste sono tua croce*, perturbationem hanc sciret pro sua cruce sibi obtigisse. Quo dicto anxitudo omnis dissipata evanuit. Ibidem Romæ, inambulanti aliquando inter otium in vinea Balbinæ, ea derepente injecta sibi mens, amorem Dei sincerum, et dolorem intimum ob delicta, quibus unquam numen offendisset, rem cum gratam Deo, tum sibi salutarem, ut peteret.

1653 Nicolai tirocinium.

In angoribus solatur juvenem Christus.

Precatus est, donum non in vestigio obtinuit : sed cum minime speraret. Ab illo otio domi, cum a cœna in circulo inter fratres cum patre Gaspare Alperio et circumstantibus sermones confert, simul ejus precis suæ reminiscitur, simul dolore illo et amore sic exardescit, ut erumpentibus repente lacrymis et singultibus, subducere se debuerit in latebram. Quos fructus ex illa vinea tam dulces sæpe ille, divini memor beneficii, grato animo regustabat ; unde vires quoque ad superandas in vitæ proposito difficultates roburque colligebat. Ad sacerdotium cum magna cura se præparabat ; consiliis usus maxime inclyti sui in theologicis magistris Patris de Arrubal. Initiatus, in hoc evigilabat diligenter, ut quæ e sacerdotis forent munere, quam religiosissime obiret. Quo sua rectius procederent officia, certas eorum sibi præscripsit leges ; quales e pluribus sunt illæ : « ut « quemadmodum in sacra hostia Christus se offert quotidie Patri Æterno per « manus sacerdotis, ita se ille totum Deo traderet ritu victimæ : ut consecrante « panem et vinum mysta, in corpus hæc et sanguinem Christi mutantur, ita « sacrificantis animus et corpus, quo fieri potest modo, similitudine scilicet morum

Signa Divinæ gratiæ.

Sacerdotis officia.

1653 « et vitæ, in Christum convertantur. Splendor ille Patris non dedignatur humilitatem sacerdotis, e cœlo se devocantis, neque viles illas quæ sibi obtendantur « præsenti cortinas, species panis et vini : tractari se, moveri, circumferri mani-« bus homuli sinit, atque illis quandoque etiam impuris, excipi ore impuro et « mandi ; cupere se igitur, idque se curaturum, ut, amore tantæ bonitatis, ab « omnibus mortalibus modis tractetur indignissimis. »

Memoria Dei præsentis.

Quo religiosius in omnibus aliis versaretur, Dei præsentis memoriam summa cum reverentia tenebat. Huic vero mentem sic assuefecit : primum quidem in illis rebus accuratius agendis, quæ maxime ad laudem spectarent divinam : deinde in mediis, quæ in utramque valerent partem : denique in quibus nihil natura sua inesset laudis ; veluti cum vires cibo reficeret, aut inambularet. Deum ita spectatorem vitæ suæ sibi proponebat. Eo deinde exercitatione diligenti pervenit, ut omni tempore omnia sua, minimos etiam motus animi, cum in alia etiam mentem haberet intentam, per conceptum, durantem, et continenter crescentem Dei amorem, offerret, illud suum repetens identidem : « propter te, amabilissime « Deus, amore tui, o summum bonum, ad majorem tuam gloriam. » Artem hanc lucri salutaris discipulos etiam suos docuit, ac Vilnæ quidem academicos ita condocefecit, ut pueri, ludibundi etiam, et pila se exercentes, memores interim Dei præsentis, Lancicianum illud : propter te Deus ! clamitarent. Post theologica studia datum Nicolao negotium excutiendi Romani in domicilio professorum tabularii, et colligendorum argumentorum historiæ Societatis Jesu, per Nicolaum Orlandinum concinnandæ. Sexennium in eo fuit, maxima vero diligentia notabat, quæ de Beato Societatis parente, vel reperisset ipse, vel aliunde accepisset. Ex istis collectaneis confectum de vita Sancti Patris opusculum opera Petri Ribadeneira Toletani. Inter hæc, quid hominis esset Lancicius, et ipse interdum Deus caris sibi hominibus faciebat manifestum. Si missa faciam alia, inclyta donis cœlestibus virgo, in celebri parthenone Romano, Turris speculorum dicto, Theodora Celsa, Nicolaum, in templo religiosi sui gynecæi sacris operantem, quibus gratiæ insignibus ornatum Deus in certa ejus rei imagine sibi indicarit, tum ipsi Nicolao aliquid a suo statim sacrificio, lætitiæ prope impotens, dixit, tum disertius multo post aliis, quibus sanctimoniam viri commendandam existimasset, narravit ; ac Nicolao quidem : « gratias, inquit, ago tibi, Pater Deo admodum « care ; qui me hodie gaudio compleveris præcipuo, decorum tuorum intimorum, « Dei nostri indulgentia, spectatricem. Quo mihi clarius appareret vilitas mea, « collata cum ista dignitate tua, quamobrem in conspectu divino mei puderet me

Colligit argumenta historica Societatis.

Ostendit Deus, quam gratus esset sibi Nicolaus.

« magis, qui sis, ostendit te mihi Dominus. Cum res porro narranda esset, re- 1653
« pente conticuit; percussa tum sua verecundia tum Nicolai modestia. Id vero « liberius aperuit aliis, viris gravibus, magistris suis. Narravit, visum sibi eo « tempore Nicolaum, luce circumfusum mirifica, puroque ornatum auro et floribus « coloris multijugis; quales tam pulchros, tanto artificio pictos, vidisset nun- « quam: torquibus gemmeis, ex utroque humero fluentibus: vultu similiorem « cœlitibus quam mortalibus. Audisse tum visa sibi vocem Dei monentis: opes « istas, quas miraretur, sua Nicolai virtutum esse decora et meritorum; imo vero « speciem horum quandam pertenuem. » Quinto a primitiis sui sacerdotii anno, præfectus a Claudio Generali Sociis Collegii Romani in vita religiosa regendis. Inde in Bohemiam, novellam Societatis provinciam, instituendis per tertiam probationem Sociis mittendum, vel etiam missum, Lituania repetiit. In reditu vel tum vel alias, vectus mari Adriatico, coortam tempestatem sedasse creditur, sive suis precibus, seu etiam grano sacro, Beatæ Joannæ de Cruce dicto (1). De virtute istorum Joannæ globulorum, quæ multi narrant, experti mira, mitto: neque enim nostra interest, de hujusmodi rebus disputare. Qua utique via unum ex illis huc nostras in manus venerit, dicere nihil vetat. Magna olim fuit laus istorum Beatæ Joannæ monilium; quorum aliquot religiose servabantur Romæ hac tempestate apud procuratorem generalem Ordinis Franciscani de observantia, Ildephonsum a Prado hispanum, eratque ea res Franciscanis thesauro carior nullique impetrabilis; impetrandæ tamen Nicolao spem nescio quid fecit. Ea propter ad Ildefonsum hic. Occurrit ille cum munusculo, atque, ne verbo quidem rogatus, in limine ipso: « hem tibi, inquit, care Deo sacerdos, gemmam sacram caramque, « quam offerremus nulli, offero; hac te donatum vult, credo, Deus, nam hoc ipso « temporis articulo per intimum mihi voluntatis divinæ internuntium id monitus « sum. » Quam in existimationem apud Romanos Nicolaus venerit, vel ex eo intelligas, quod sibi, in patriam redeunti, homini tum illi neque grandi natu, neque amplis commendato muneribus, trecentorum amplius Sanctorum tum ossa insignia tum etiam corpora asportare secum ex urbe facile licuerit. Allatas istas opes in provincias Poloniæ et Lituaniæ distribuit per episcopos; partem majorem Vilnæ collocavit; quo prius quam intulisset, jam illa in aliis diœcesibus, qua pergeret, a locorum episcopis cognita, riteque communita, Vilnensem admonuit antistitem, ipse quoque cognosceret ex officio, et pro dignitate exciperet. Excepta honorifice,

Præfectus in spiritu in collegio. Romano.

Redit in Lituaniam.

Sedat tempestatem maris.

Reliquias Sanctorum affert.

(1) Grana sive gemmæ Beatæ Joannæ. Donum hoc accepisse Nicolaum anno 1630 cum Romam reviseret jam rector Cracoviensis Collegii, alibi legas.

1653

Excipit honorifice civitas.

pretiosis imposita ferculis, incedente omnibus lætitiis post suum antistitem civitate, sacerdotum humeris illata. Equidem haud scio, secum Nicolaus sacra hæc pignora Vilnam contulerit pariter, reveniens ex Italia (quod in vita sua scripta lego obscurius), an post suum jam reditum acceperit : nam P. Zacharias Modzelevskius, ex scriptoribus Lancicianæ vitæ, Casimiro Koialovicz et Boguslao Balbino, de transportandis sacris reliquiis Nicolaum jam domi agentem in Collegio Vilnensi, tradit sollicitum fuisse : quod, coortis hac tempestate adversus Romanum Pontificem Venetis, infestum esset iter per Italiam. Quam ob rem suas opes istas tutelæ divinæ per Beatam Virginem multis precibus commendasse ; id vero ipsum via fecisse mirabili : per epistolam scilicet a se ad Beatam, Trocis in sua imagine celebrem gratiis, scriptam : missam per P. Adamum Olorium (quem equidem puto Labenckium sic per interpretationem nominis appellatum) et Nicolaum Koloziemskium, e Collegio academico scholasticos : monitos illos, suam uti epistolam pro supplici libello in ara Beatæ Virginis deponerent, precibusque commendarent. Illi certi, nihil posse indigne fieri, quod hic vir venerabilis faciendum putarit, consilium animo simplici exequuntur.

Per B. Virginem mira miro impetrat modo.

Mirum id nobis quidem, quod consecutum sit, atque incredibile : nempe si nostris ista modulis metiamur ; quod si animum prudentes ad ea, quæ interdum indignis etiam nobis divina præstat benignitas, animadvertimus, ista, et quæ his majorem multo admirabilitatem habent, nescio cur fidem nostram superent. Itaque obtulit litteras, acceptasque a Beata Virgine credidit cum socio Olorius : ut quas ipse quidem initio sui sacrificii in altari composuisset pariter cum hostia, peracto deinde sacrificio, frustra uterque quæsivisset. At Lancicius facile eodem temporis articulo reperit domi, in suo cubiculo, explicatas in mensa, cum hoc adscripto brevi responso : Nicolae, quod orasti, impetrasti. Oravit autem, ut sacer thesaurus suus, sanctorum corporum reliquiæ, integer ad se perferretur : ut servo suo Nicolao Deiparens impetraret insignem vitæ sanctitatem, et modos certos, quibus ad religionem sinceram et amorem Dei pertraheret quam plurimos : ut sibi, transituro ad Beatorum patriam, condonaretur vectigal illud, quod dependendum esset pro delictis in piacularibus incendiis. Factum hoc Nicolai, ad rectorem Collegii et alios quo nescio indice delatum, grave subiit judicium : visum istoc insolens ac temerarium cum cœlitibus commercium : ausum id Nicolaum nullo ejusmodi exemplo : virum cæteroqui cautum et sapientem, hic specie beneficii divini a præstigiatore dæmone deceptum. Ita reprehendenti factum rectori facile consensit vir humillimus. Ipse quoque temeritatem damnare suam et pariter coarguere.

Quæ Nicolai demissio ad opinionem de veritate ejus beneficii divini et sanctitate 1653
sua firmandam valuit : ut deinde rector et alii sic reputarent secum : « virum esse « præcipua pietate : magnis, quod scirent omnes, eisque mirificis ornatum donis : « in rebus, præsertim hujusmodi, acutius ipsum cernere quam alios : eumdem, ita « humilem, reverentem, cautum, fraudibus orci non facile esse obnoxium : preces « suas, cum bonitate divina simpliciter suppliciterque agentis, non videri in- « dignas ; accipi proinde hac etiam via potuisse : esse denique similia cum « fidentiæ humanæ tum indulgentiæ et benignitatis divinæ exempla in Ecclesia. » In humilem ita Nicolai animum, quomodo feruntur in declivia torrentes, alia atque alia de cœlo dona pronis manabant alveis, tantoque uberius, quanto ipse contemni magis cuperet. Deprecabatur Deum, ut ne sua beneficia ita in se indignum profunderet : pessumdarent se pro suis malis meritis vermem creatæ res omnes : omnes calumniæ, fraudes, ignominiæ se operirent. Ita opertus moreretur : mortui denique memoria omnis oblivione contereretur sempiterna. Cum aliquando, solus in cubiculo, more suo flagris ipse pugnaret secum, beneque multato tergo, faciem deinde palmis cæderet : incidit in istam pugnam nescio qui familiaris Nicolao. Nactus hinc jocandi etiam occasionem cum amico, quærit, equem ita Nicolaus flagris pinseret, quem ita miserum obtunderet. « Ille, malum, inquit, malum hic castigo genium : « isque, ut tu sis sciens, egomet sum. Cum istoc hoste depugno. » Accommodavit ad hæc doctrinam amico non inutilem. Utebatur quibusdam signis ad sensum pietatis excitandum : inter ea urbis Vilnæ, in bractea pictæ, habuit imaginem ; ex cujus aspectu usurparet ejus divini beneficii memoriam, quo ad Ecclesiam catholicam et Societatem Jesu ibidem pertractus esset. Hanc interdum indicans aliis in imagine urbem : « en, aiebat, meum olim Calvinipori pistrinum ; hic ego « puer improbus inter æquales male meam versabam molam ; hic me Deus mise- « ricors misere pereuntem aspexit. » Memorabat ea sæpe illacrymans. Humiliter sentientem de se, suarumque obtrectatorem laudum, patronum semper habuit suum existimatio aliorum. Nemini licuit carpere alium, præsente Nicolao. Quorum facta excusari non poterant, eorum consilia interpretabatur benignius. Interdum suum errorem aliquem alieno obtendebat vitio, narrator ad transferendam in se invidiam callidus. Sed humilitatis artes divinis quandoque signis prodebantur. Ita accidit Nesvisii, in Collegio.

*Humilitas et patientia.*

*Vilnæ imago cara.*

*Famæ alienæ defensor.*

Cum Socios hortator domesticus ad humilitatis studium excitaret, clepsydra, gestu in fervore orationis detrusa, ex ipso aere pependit, dependitque tamdiu, donec ex considentibus longius accurens aliquis exceperit. Nemo hunc vidit

*Clepsydra pendens ex aere.*

1653 tristem, nemo sollicitum. Tanto autem gaudebat magis, quanto sibi plures forent, quantoque acerbiores causæ patiendi. Erat vero illarum affatim; quantam olim copiam, Nesvisii inter sacrificandum præviderit in crucibus, divinitus sibi per speciem objectis; totam illis aram in templo majorem, et alias ibidem, in communi hypocausto, omnes circum parietes, obtegentibus. Tametsi vero multa toleraret et gravia, his tamen animus, meritorum cupidus, expleri non poterat. In ipso ærumnarum æstu orabat Deum, idem quotidie precabatur in sacrificiis, ut ne sibi Domini sui clementia parceret, sed vexatione perpetua animum experiretur servi, quam amans foret bonitatis suæ infinitæ, quam eidem obtemperans: itaque quidquid acerbi incidisset, animo sitienti acceptabat. Amicos inter et inimicos nescio quid apud hunc esset discriminis; qui sic adversarios amabat, ut ipsis et gratificaretur ex animo, quibusquibus posset officiis, et dona precaretur a Deo amplissima, solitus quot hebdomadis, die certo, offerre isto nomine sacrificium. Quo suum hoc propositum teneret constantius, voto se obstrinxit: a quibus offensus esset maxime, eos se complexurum benevolentia præcipua, idque suo sanxit chirographo sanguineo. Elicuit hoc quoque incensus Dei amor. Latronem publicum, qui etiam se olim viatorem spoliasset, contrusum aliunde in carcerem, visebat quotidie biennium: corrogata stipe, sæpe lacrymis etiam suis miseriam hominis solabatur.

Occasiones patientiæ in crucibus prævidet.

Amor inimicorum.

Præfuit Polonicæ alias, alias Lituanicæ provinciis; Collegiis item Sociorum, Calissii et Cracoviæ, seminario Brunsbergæ. Ex ipso Societatis instituto diligenter tenuit in regimine modum, facilem illum ac suavem; ut quisque sentiret, regi se ipsa charitate. Charitatem liberalis voluntas et cura, hanc benignitas divina miris quandoque signis illustrabat. Ita Calissii, in magna rerum inopia, cum ne teruntius quidem in arcula, alieni autem æris, ab antecessoribus contracti, vis esset, ut propterea aut domus esset dissolvenda, aut creditoribus unde nescio pecunia; creditur, precibus hujus rectoris expeditum esse negotium, idque modo plane mirabili: ex eadem nempe arcula, heri funditus exhausta, hodie nummis aureis plena eisque, quasi si nunc forent a moneta, ita recentibus. Ita ibidem, ajunt, vinum ex una arcula, quam tribus congiis exhausisses, sic abundasse, ut plus semestri tempore toti Collegio suffecerit; tametsi pro necessitate et tempore et Collegio et aliis egentibus promeretur. Quibus suis exemplis monebat alios, in difficultatibus, quantæcunque illæ forent, non contrahendum esse animum; quin tanto magis etiam de benignitate divina confidendum, quanto minus minusque curæ homini suæ et industriæ spem facerent. De cura minimorum quæ sapienter

Præfecturæ provinciales.

Charitas liberalis.

Liberalitas Deo freta.

scripsit, suorum illa sunt morum documenta. Existimabat prudens, in parvis sæpe res verti magnas ; quemadmodum in stillicidiis, quod monet Sapiens, humiliatur contignatio : ita in vita hominis, maxime religiosi, prima sua bona molimina, parvarum negligentia rerum, dissolvi paulatim, inclinare, ac denique collabi. Id aliquando exemplo etiam monuit Nicolaus Collegium suum Calissii : leviore quidem illo, ad objiciendum tamen ingenuis metum idoneo. Prunus erat intra septa domus frugifera. Ad uvarum conspectum esurire juvenum aliquis, et carpere deciduas : deprehensus in ista vindemia legulus : ille quidem, ut erat pudicus, ipsa verecundia satis pœnarum dedit : prunus vero eodem ferme die, Nicolai dicto perusta, exaruit. Ita hic ne arbusculam quidem in horto suo pati potuit, quæ adolescentem dulcedine fructus ad culpam, tametsi levem adeo, pellexerit. Nullis induci unquam causis potuit, ut aliquam instituti sui particulam putaret violandam : id quod nuper etiam palam fecit proceribus.

1653

Cura minimorum.

Conciliandæ erant Vladislao regi nuptiæ cum sponsa ex familia hæretica ; pronubis, hominibus partium hæreticarum, factiosis. In hoc consilium rex quoque visus inclinasse ; si quidem tamen ejus connubii venia a Romano Pontifice esset impetrabilis. Deligitur hujus procurator negotii Lancicius, Romanis bene notus, et gratiosus apud antistites. Recusat legationis munus ille, tanquam instituto suo alienum ; idque e codice legum Ordinis sui confirmat ; maxime quod ita religionis causa intercedat. Quo responso catholicus princeps sensit se monitum : laudavit virum ; mutavit consilium. Multos præceptis salutaribus instituit : multos correxit ad frugem : quosdam ad insignem etiam promovit sanctimoniam. Quamobrem invidiosus fuit adeo humani generis hostibus, ut ne nomen quidem Lancicii paterentur, eisque, qui hunc laudarent, quas possent, crearent fraudes. Quo pluribus studio prodesset suo, libros conscripsit, doctrinæ plenos salutaris ; aliquot opuscula sua in luce sunt : plura in reditu ex Italia amisit, a latronibus spoliatus. Virtutum in viro laus multa ; quarum hic hæc summa sit. Amore Dei flagrare visus perpetuo : patiendi et bene merendi fuit percupidus ; paupertatis religiosæ amans admodum atque observans. Virginitatis florem servavit integrum ; noxæ omnis fastidiens, pluribus ante obitum annis eo se obstrinxit voto, ut ne levem quidem culpam sciens prudensque admitteret : hinc facile cæteras laudes colligas.

Observantia religiosi instituti.

Libri sui ascetici.

Summa elogii.

Anno 1639, hoste Bohemiam populante, jussu rectoris migrandum erat Nicolao cum tribus Sociis Novodomum Guttembergo. Præscivit monitu, credo, divino, iter sibi infestum fore : contracturum se in via insigne damnum : interi-

Futura prænoscit; v. et infra.

1653 mendos suos comites; idque Præsidi aperuit. Rector, imminentium urbi et suæ domui periculorum metu præsenti perturbatior, Nicolaum cum suis comitibus discedere jubet continuo. Vix dum ingressi iter, incidunt in hostes, rabie furentes hæretica : tres uno vecti curru lacerantur : duo in conspectu Nicolai mactantur; tertius pro interfecto relinquitur : ipse Nicolaus quo pacto nescio inviolatus omittitur. Amisit tum sanctorum corporum reliquias, et scripta vulganda typis. Vita sua fuit perpetua vel animi vel corporis afflictatio : interdiu labor assiduus : noctu quies brevis, eaque in humo nuda, aut in axe, tres non plus lato palmos. Interula horrida, e setis contexta. Flagellis tergum quinquies in diem, sæpius noctu lacerabat. Frugalitas, quam Justinus etiam, historicus, matrem virtutum vocat, singularis : sic appetentiæ cibi moderabatur, ut a mensa rediret ad officia nunquam satur. Animo semper tranquillo, vultu amœno, in adversis pariter ac prosperis. Latebras animorum interdum, dicitur, pervidisse et prænuntiasse futura; quæ sic omnino evenerint. Discernendorum spirituum sciens, sæpe fraudes dæmonum aperuit. Unum hic ex multis hujusmodi exemplis narro. In Masovia, Drohicinensi provinciola, Mordensi curia, in familia Beydonum, hæreticis nata parentibus, Anna, triginta annorum fœmina, consederat Pultoviæ; quasi vero major foret maleficæ opportunitas ad bonorum meritorum copiam in urbe; ubi præsto essent templa, sacerdotes, sanctioris vitæ magisteria et exempla; revera utique venditandi sui populo causa, et famæ artibus malis colligendæ. Ea mente fœmina ad speciem probitatis se comere : orare, jejunare, flagellis pulsare tergum, omnes ad templum antevertere, ultima domum redire : sæpe lacrymari, gemere, provolvi in genua, cœlum crebrius suspicere, et nescio quid præterea. Adjuvabat suis fraudibus pellicis astutiam suæ porcus dæmon; nunc fœminam, injuriarum quasi ultor suarum, contorquens fœde : nunc populo quasi bonus genius sublimem ex aere proponens et circumfusam luce. Hæc ita immodica mirabatur plebs quidem simplex et prædicabat; considerantibus autem res accuratius suspicionem fraudis non levem faciebant, in primis Patri Nicolao. Oderat hic fœminam, ita sanctam, et tanquam præstigiatricem damnabat : invisus propterea fuit mulieris laudatoribus, donec fraudulentiæ tandem larvam detraxit veritas. Vocata in judicium Anna : comperta fraus : aperta flagitia immania. Decreto afficienda supplicio, modis potuit induci nullis, ut resipisceret : adeo circumventa fuit indurataque versutiis mœchi sui tartarei.

*Periculum in itinere, cædes, damnum.*

*Dæmonis imposturæ detectæ.*

Ad ea, quæ Nicolaum prænuntiasse diximus, adde prædicta ab ipso alia; quorum prænotiones ille distractæ inter orandum mentis errores suos dissimulanter

appellabat. Qualis videlicet fuit cum prædiceret, idque non ex conjectura et alieno 1653
tempore, Vincentium Caraffa, tunc temporis in privatis officiis degentem Neapoli, Prædicit futura.
futurum magistrum Societatis generalem : huic Franciscum Piccolominium successurum; aut cum Vilnæ regi Sigismundo III, de fortuna belli contra Moscovitas in Russia suscepti sollicito, de victoria gratularetur certa, hoc ipso parta die; quo certe nuntius rei gestæ tam cito a castris Vilnam afferri non posset. Jam deinde vereor, ut hæc et alia, quæ nobis de Nicolao narrant, tam credibilia sint, quam vero similia sunt, et quædam etiam certissima, quæ de replicatione, sive positu rei unius, uno eodem tempore, in pluribus locis distantibus, scholæ nos docent et scriptores ecclesiastici. Nam hunc quoque, ajunt, visum fuisse pariter in locis pluribus magno disjunctis intervallo : itaque habitantem in Polonia anno 1607 apparuisse Romæ in collegio Sociorum scholastico : reprehensum fuisse ab eo juvenem ibi Polonum, Procopium Sambozeckium, qui per studia litterarum omitteret hominis religiosi officia. Similiter eundem monitorem accepisse dicitur Florianus Tyminskius, Cracoviæ tum habitantem, cum ipse alibi, in suo dominus pago deliberaret secum anxius de statu vitæ eligendo. Par fides sit illis : fœminam, Romæ anno 1637 mortuam, Olomucii noctu queribundam apud Nicolaum, tremefecisse totum gemitibus Collegium : tum morbos alibi ipso ejusdem dicto depulsos esse. Neutro pede sibi utilis erat ex podagra præses Sierpscensium castellanus Stanislaus Kucsborskius, familiaris pie Nicolao. Huic inter colloquendum Pater, cavillatus amice, oportere senatorem recto stare talo; cujus consiliis pars aliqua reipublicæ niteretur ; ex inopinato fulcrum claudo utrumque surripit. Simul ruiturus exclamat catax, simul pedibus consistit firmis, itaque incedit deinceps. Ejusdem Stanislai filiæ Marianæ, diu oculis captæ, aquæ lustralis aspergine ipse restituisse dicitur lucis usuram : simili collyrio sanasse lippientem P. Casimirum Kojalovicz. Undecimo circiter anno a reditu ex Bohemia in Lituaniam in Caunensi domicilio decubuit, morbo afflictus, qualem sibi optasse creditur, acerbo ac diutino. Tum quoque ille illustria patientiæ edidit exempla.

Extabuit misere corpus, exesum divo carcinomate, verminabat : vermes longi, sanguisugis similes, e perforatis pedum interveniis toto serpebant toro ; dilabentes colligebat æger, et in hiantia vulnera fugitivos redire cogebat lumbricos, exhortans lepide, ut exequerentur suum, ad quod ita pregnati essent, munus. Gaudebat ista se consumi teredine ; quia et pati desiderio placendi Deo cuperet, et speraret promissam gratiam pœnæ omnis condonandæ post mortem. Tres sibi afferri jussit libellos : legum divinarum Veteris et Novi Testamenti, sacrosancta

1653 Tridentini Concilii et constitutiones Societatis ; cumque his voluit sepeliri. Triduo ante mortem propositum habuit in cubiculo suo viaticum sacrum ; in hoc defixis oculis et mente, supplicans, gemens, lacrymans, duravit continenter : succedentibus ad comprecandum Sociis, et sacra carmina, maxime illos hymnos : *Salutis humanæ Sator*, *Jesu corona virginum*, gratos in primis Nicolao, cantitantibus. Chorum hunc diurnum, excipiebat nocturnus, isque multo jucundior : nempe, ut creditum, cœlicus ; quem cum Nicolao audisse dicuntur domestici. Lætus ita, salutato in sacra hostia præsente Domino, adstantibus cum præside domus Floriano Malevskio Sociis, clausit lumina, compositisque manibus, supremum quievit, die Dominica Passionis, a meridie horæ secundæ quadrante tertio, anno vitæ 78 exacto (1). Tota statim ad portam concurrit civitas ; neque arceri poterant ab osculis mortui Patris, et exhibendis, quasi jam rite sancto, honoribus. Conditus in templo veteri, sacro honoribus Beati Stanislai Kostka, ab introitu, parte dextera ; ubi ipsius depositum erat adhuc corpus P. Adami Sobolevskii. Statuerat exuvias Nicolai transferri Vilnam, honorificentius componendas, Vilnensis episcopus Georgius Tyszkievicz. Ut ne id injuriæ Caunensibus antistes faceret, intercessit cum sua præses civitate, Lituaniæ cancellarius, princeps S. R. I. Albertus Radivillus. Atqui divino id factum creditur consilio, et ipsius oratu Nicolai ; qui olim id precatus esset a Deo, ut ne ullus honor, post mortem etiam, sibi haberetur : nam paulo post corpus exustum, ciner esque per amnem Nemenum dispersi a Cosacis hostibus, Lituaniæ civitates prædantibus.

8 Cladibus hoc tempore in Lituania, Russia, Samogitia, Livonia, Curlandia, Prussia, cladibus magnis erant plena et funeribus omnia. Capta nuper a Moscovitis Polocia, duce hostium Szeremeto. Ex disperso Collegio quinque Socii abrepti in vincula : res familiaris direpta : prædia vel Photianis sacerdotibus tradita, vel proditoribus addicta, vel combusta. Templum, quod ipsum inter disjectas circum ædes supererat, dirutum ibat schismaticorum antistes Callistus Szyszka, ex illa materie domum sibi profanis usibus constructurus. Sed propositum tentavit frustra : rejecti toties occulta vi demolitores, quoties fuissent aggressi. Creditum est, prohibitos esse virtute beati principis Casimiri ; qui locum, tutelæ commendatum suæ, defenderet. At Callistus ne manifestis quidem prohibentis Divi signis potuit absterreri. Oppugnat rursus arcem sacram jam deinde ipsis religionis suæ machinis. Contractis villicis suis presbyteris, ipse tiara vittisque redimitus, sectæ suæ stipatus gregibus, diri nescio quid carminis concinentibus, ad ædem

Polocia fugati Socii.

Evertitur templum.

(1) Natus Nicolaus anno 1574, die 10 decembris, feria VI.

sacram processit. Hic in vestibulo exclamat fanaticus : « heus tu, Servator La- 1653
« chorum (catholicorum scilicet, in primis Polonorum), gentis idem vexator Pœna eversoris
« Moscoviticæ, qui hinc tuos tutari crederis, Jagellonide! te hic ego cum tuis sacrilegi.
« cornipedibus cornigerisque dæmonibus, Jesuitis, potestate Sedis Apostolicæ « Constantinopolitanæ divina *anathematizo, aphorizo,* exesse hinc te cum tuis « Lachis, cumque tuis cornigeris, redituris nunquam, jam nunc jubeo, mando, « impero ; tuos insuper cultores, cives, clientes orco pariter omnes devoveo. » Ita vociferatus, exaugurat ritibus suis ecclesiam : postes excindit : aras deturbat : sacra omnia pessumdat. E ruinis templi domum sacrilegus pariter pariterque gemonias sibi scalas erigit; nactus mox ille in suo ædificio trabem feralem; ex qua denique suspendit se, tortor ipse et sceleris ultor sui : quibus in evertendo templo agitatus esset, eisdem modo instinctus furiis. Anno demum 1660, cæsis passim, maxime apud Polancam pagum, hostibus, Polociam cum civibus Socii ad ruinarum acervos revenerunt. Plena curarum fuit nec diuturna Polociæ statio ad annum usque 1667, irrumpentibus in provinciam a Moscovia aliis super alias hostium copiis.

Sæpe interim tum salus subtrahenda erat fuga clandestina : sæpe quærendus requieti locus in ipsis ferarum cubilibus. Undique fragor, et gravis sonitus ruinæ. In Russia et proximis provinciis hostium tumultus : in Lituania fames insuper et pestilentia. Nesvisii res tota incendiis : Vilnæ, Caunæ, Pinsci, et alibi pestilenti cœlo disperiit. Pagani, pars dissipati, pars cæsi, pars abducti ab hostibus. Funera passim et strages corporum. Inter civium ruinas corruerunt in officiis charitatis, memorandi ante alios, Patres : Georgius Gedroyc, Adamus Slonczevskius,
Nicolaus Trzcinskius, Thomas Porzeckius, Joannes Kihnus, Paulus Proszyn- 9 Peste sublati Socii in obsequiis Vilnæ.
skius, Mathias Sobotkievicz. P. Georgius Vilnæ intercidit. Acceptus in Societatem an. 1633, annorum viginti juvenis, exinde cum perficiendæ virtutis suæ cupidus, tum alienæ salutis diligens procurator. Jam scholarum inferiorum magister, nec dum sacerdos, Polociæ nobiles aliquot viros a græcanico schismate ad Romanam Ecclesiam revocandos curavit; plures ad religiosæ institutum vitæ permovit. Sæpe, diebus maxime festis, suburbanos visebat agricolas : bene valentibus magister eorum, quæ ad salutem æternam facerent; ægrotantibus consolator, egentibus stipis largitor. P. Giedroyc elogium.

Ubi ubi spes commodi salutaris affulsisset, occasionem omisit nullam; quandoque eadem causa vitæ etiam amittendæ certus. Ita Caunæ, cum civium aliquis, intemperiis actus, rabie furiosa dentibusque in omnes iret, jamque aliquem jugu-

1653 lasset; monitus Georgius accurrit : furorem dicto edomuit : percusso morienti opem tulit : domum et viciniam conturbatam pacavit. Pagos instituendæ causa plebis obibat, sæpe a diluculo ad crepusculum usque, labore et inedia exhaustus. Adversus hæreticorum pertinaciam, ubi suavitate nihil profici videret, agebat excitatius; observans interim legum prudentiæ et modestiæ. Contumacior eorum aliquis, suisque præfidens opibus, sacerdotes catholicos, maxime Societatis, aditu etiam villæ suæ prohibebat hostiliter ; erant autem apud se famuli plerique catholici, iique remediorum salutarium sitientes. Ad ipsos Georgius clanculum penetrabat, noctesque interdum totas, dum herus in lecto sterteret, confitentibus peccata aures dabat. Ad tolerantiam rerum molestarum diu assueto placebat crassior vestis, vel usu contrita præ nova et molliore, acerosus panis præ sitanio. Tanta inter profanos ac petulcos etiam, quales in aulis plerosque videas, viri hujus erat reverentia, ut si inter morologos cavillatores injeceris inauditurum ista joca sua Patrem Georgium, aulicis theologum multis cognitum, fabulam continuo ineptam præcideris. A diuturno inter paganos labore Vilnam vocatus ad quietem, in gravius incidit negotium, ubi scilicet peste civitas interiret. Pereuntibus ut adesset Georgius cum Sociis, quos hic nominavimus, veniam a rectore Collegii Benedicto de Soxo exoravit. Tum illi pariter, salute sua Deo commendata, in media se committere pericula : quotidie primo surgere diluculo : urbe tota periclitantes requirere : miseros opibus juvare omnibus : mortuos suis etiam elatos humeris sepelire. Senos ipsos ita versatus menses, concepta ex ministerio peste, cecidit charitatis victima IV idus quintiles. Sepultus in tumulo agri Vilnæ suburbani, via Luciscana. In eisdem officiis ibidem collapsi : P. Adamus, gente Masovita, ingenii facile irritabilis, strenuus, et iracundo cuique imitandus, domitor, cum suo caro Socio et adjutore Christophoro Kulkiewicz : P. Paulus, nobilis Subsylvanus cum tribus Sociis laicis, Francisco Orabovskio Pruteno, Joanne Naczynskio Hungaro, et Petro Czyzevskio novitio : P. Mathias natione Lituanus, annorum 35, vir pietate præcipua, virtute castimoniæ integerrima, charitate, modestia, patientia, humilitate, obedientia commendabili, cultor Beatissimæ Virginis eximius. Atque hi quidem Vilnæ, ipso mense sextili; alibi aliis mensibus alii animas suas in eisdem periculis et laboribus profunderunt : Varsaviæ P. Nicolaus Trzcinskius cum C. Michaele Kuszevskio, mense octobris : Regiomonti in Prussia P. Joannes Kihnus, Varmiensis, XII kalendas novembres : Pultoviæ P. Thomas Porzeckius, Lituanus cum illustris genere tum sanctimonia vitæ et doctrina, rector in hac urbe Collegii, anno ætatis 44, VII idus quintiles.

Varsaviæ, Regiomonti, Pultoviæ.

Dum ita Sociis, passim occumbentibus, aperiuntur tumuli, Drohicini interim fundamenta Collegio jaciuntur. Diu Subsylvani nobiles desiderarunt in Luceoriensi diœcesi sua e Societate Patres; sed quos adhuc ipsis tantum precibus invitarent. Primarium est inter oppida Subsylvaniæ, sive Podlachiæ, Drohicinum : super Bugum, amnem pisculentum, mercatoribus etiam navigabilem, loco montoso et peramœno situm, nobilium ejus provinciæ civium celebre conventibus. Huc Socios curio civitatis, Plocensis canonicus, Paulus Petrikovskius (1), excitato domicilio, assignatis vectigali ex fundo et curioniis redditibus, consentiente Luceoriensium episcopo, e Pultoviensi Collegio deduxit IX kalendas septembres luce Bartholomæo apostolo sacra. Primus coloniæ suscepit curam P. Joannes Savickius; attributum domui curiale templum 1660, XIV kalendas sextiles. Probavit id auctoritate regia Joannes Casimirus : confirmarunt deinde Luceoriensium episcopi, extincto curionatus titulo (ann. 1677) : subrogato in locum parochi perpetuo vicario. Pius conditorem domicilii adjuvit insigniter Albertus Emericus Mleczko palatinus Podlachiæ, et nobilis matrona e familia Sarnackia Hedvigis Minczevska. Firmavit suis præsidiis domum horum aliorumque pietas adversus Photianos schismaticos, ejus civitatis incolas; qui Socios aditu etiam oppidi arcerent pertinaciter.

*1654 — 10 — Drohicini prima Sociorum colonia.*

Resselii, primus Lindani cultor agelli, P. Simon Heinus desiit agere et pati; annos ille multos Lituanis, Prussis, Estonibus, Livonibus, Polonis, et Hungariæ finitimis, strenuus religionis catholicæ prædicator. Pestifero in Varmia tempore diligenter curavit moribundos, plerosque mortuos, in his duos adjutores Socios suos, ipse extulit. Superavit ad annum ætatis octogesimum quartum. Immaturior occubuit P. Petrus Kojalovicz, frater clarissimorum in hac provincia virorum, Alberti et Casimiri, natu minimus. Natus Caunæ parentibus nobilibus, a territorio Vijuk oriundis : in Societatem acceptus e scholis Caunensibus anno 1637. Vilnæ in Collegio magister philosophiæ, prælecta vixdum logica, lento consumptus morbo, contracto ex labore immodico in cura rusticorum salutari, paschali tempore. Extinctus est pridie idus junii, exitum morientis præsente Sociorum collegio, et duobus in eo germanis fratribus, Casimiro rectore Collegii et Alberto, Deo commendantibus. Ab ineunte ætate virtutem coluit diligenter, in primis castimoniam; hujus servandæ jam puer, deinde Societatis Jesu ineundæ adolescens anno quarto decimo votis se obstrinxerat. Utrumque præstitit fideliter : castus semper, religiosi status sui amans constanter ab anno 1637; quo ad collegium novitiorum admissus

*11 — P. Heini obitus Resselli pridie kal. maji anno ætatis 84.*

*12 — Petrus Kojalowicz Vilnæ.*

(1) Alibi legitur Andreas, canonicus prælatus Luceoriensis, parochus Drohicinensis.

1654 est pridie nonas septembres. Non dum sacerdos disciplinam utriusque eloquentiæ professus est triennium : deinde initiatus jam, rhetoricam in collegio academico. Vir ingenio miti, præsidum reverens, æqualium observans, instituti religiosi amans et severus ab animo suo exactor, cultor Beatæ Virginis et sui Sponsi virginei diligens.

13 Funus prædatoris Cosaci formidabile.

Evastantibus Lituaniam et conjunctas provincias Moschis et perduellibus Cosacis, concitor istorum, et belli servilis turbo Chmielnickius hæsit Czechriniæ in funere tribuni sui Cosatici Zlotarenkonis, a Lituanis apud Sklovum, Orsensis provinciæ oppidum, cæsi in conflictu. Inferias enimvero vidit pollinctor et se spectatore et suo tribuno dignas. Depositum cadaver in fano Rutenorum schismatis græcanici, recens ædificato ex rapinis, mox humandum. Hic in concursu frequenti, præsente Chmielnickio, sacrificulis Cosacorum funebria sua carmina canentibus, res horrifica! commovere se latronis cadaver : efferre stillantes cruore manus : subrigere setis horrentibus caput : assurgere et circumlatis atrocibus oculis, huc illuc se jactans, exululare: fugite, exclamat, fugite (1)! Præcipitant ex fano se omnes, repente delubrum flammis corripitur, momentoque dissolvitur. Occupavit funerarios interitus, atque hos exanimavit terror, illi tumultu penetrantium se in fugam obtriti. Ita impio, pariter pii, cladibus suis justa persolverunt.

14 Christina regno Sueciæ se abdicat.

In Suecia rerum potiebatur hac tempestate Christina, Gustavi Adolphi filia, nuper Sociorum opera Romanæ conciliata Ecclesiæ, atque exinde cultrix religionis catholicæ fidelissima : pia, clemens, casta, sapiens, munifica, ac propterea omnibus cara. Unum illud in suo regno sustinere non potuit, quod cives sui per factiones hæreticas sic abalienatis essent animis ab ecclesia catholica, ut resipiscentiæ nullam sibi spem facerent. Hujus rei ipsius tædio post regni sui triennium Upsaliæ in comitiis Ordinum regio munere se abdicavit. Reliquit solium Carolo Gustavo, Bipontinorum palatino, Gustavi Adolphi, in prælio apud Lutzenam, oppidum Saxoniæ, 1632 cæsi, sororio. Ipsa, inclyta hæretici contemptrix regni, relicto civibus magno sui desiderio, in Germaniam, sive per causam sive per simulationem visendæ amitæ suæ Landgraviæ Hassiæ, ad Leopoldum archiducem Austriæ se contulit.

15 Smolenscia erepta Lituanis. Collegium dispergitur.

Smolenscia, Russiam inter Lituanicam et Moscoviticam media, suis antiquitus parens tetrarchis provincia, armis olim in ditionem Lituanorum redacta (2) : anno 1506 Joanni Basilidi Moscorum duci fraudibus Michaelis Glinski prodita : per Sigismundum Poloniæ regem hoc nomine tertium recuperata : denique, expugnata

(1) Vespasian. Kochovski, Climact. I, L. 7. pag. 449. — (2) Vide cætera de turbis Moscoviticis in Facie rerum Sarmat. auctore P. Naramowski, pag. 295-296.

urbe principe, Smolensco, hujus anni mense septembri, a Michaele Fedorovicz, 1655
magno Moscoviæ duce, oppressa. Eadem tempestate Collegium Sociorum Smolensco exturbatum cum suo rectore Nicolao Slaskio. Ab anno 1595 Smolensci ipsis missionariis nostris castrensibus fuit ibi aliquod diversorium : deinde 1619, in colle omnium, in quibus urbs sita, editissimo ædificari cœptum : denique 1621 perfectum, peramplum e cocto lapide accurate ædificatum, domicilium. Hic Socii a primo ingressu adhuc annos quinque supra quinquagenos, inter varias tempestatum vicissitudines habitarunt. Extorribus non facile fuit diversorium : in ea rerum videlicet omnium perturbatione et statu miserrimo. Viciniores provinciæ Russicæ, 16
Mscislavia, Vitebscia, Polocia, hostilibus copiis insessæ. Polessia tota a Cosacis et Tartaris exusta. In provincia Novogrodensi tragœdiæ et cædes. Prius quam ingruisset pernicies, præses Sociis Novogrodensibus nuper impositus, Gregorius Rafalovicz, suppellectili templi et domus Lomsam, in oppidum Masoviæ periculo vacuum, transportata, ipse cum ministro domus Andrea Kaveczynskio et Mathia Sloskiewicz laico domi se continuit. Cum, ad impendens periculum vigil, Deo civitatem precibus domumque suam commendat, VI idus septembres hostes Moscovitæ in oppidum irruunt, furentes a cæde suorum recenti apud arcem Lachovicze edito. Simul in urbem irrumpunt, simul in Sociorum domicilium, effringunt templi domusque portas. Qui violentis occurrit primus, impacta in caput sternitur bipenni præses ; reliqui duo lacerati, in nervos dati Scythicos. Mathias quidem, quo nescio extricatus modo, subduxit caput suum crudelibus : Andreas vero abductus, contrususque in latomias Sibericas. De istius ærumnis, reditu, et obitu res posterioris temporis narraturo scriptori argumenta erunt vel ex ipsis suis adversariis, in quibus ipse captivus notavit, quid egerit, quantaque sit perpessus. Excisa civitas, exustæ domus, cum his templum Collegii et domicilium sepulta in cineribus. Post abitum barbarorum exusta ossa Patris Gregorii, in suis reperta favillis, in templo Unitorum Rutenico, quod ipsum superaverat, humata.

*Ruinæ domiciliorum passim.*

*Novogrodeco abducti in vinculis Socii. Exusta civitas. Interemptus domicilii præses.*

At Novogrodeco, incensis pagis omnibus, quo pergeret hostis, et quid apportaret, Nesvisienses admonuit. Dissolutum ibi dimissumque in diversa Collegium. Qui civibus adessent in periculis, relicti Patres duo : Adamus Viechovicz et Joannes Staniszevskius, cum Joanne Butkievicz, curatore domestico. In illo incendio ex oppidis proximis et pagis magno numero mortales Nesvisium trepidi concurrerunt. Nobiliores in arcem accepti. Tardior vulgus, iram hostium, jam terga cædentium, fugiens, magno simul agmine in templum Collegii et domicilium se conjicit. Tum clamor, tumultus constipatæ multitudinis, ejulatusque confuse unus

*Kijovia Moschis prodita. V. Naramowski in Facie rerum Sarmat. L. 1, c. 16, pag. 294.*

1655

17 Nesvisiensium cædes. PP. Viechovicz et Staniszewski : Fr. Butkievicz. Pro Rectore domum curante P. Stephano Zalewaka

omnium. Tum una puerorum, fœminarum, virorumque cædes miserabilis. Trucidatis passim, barbari scrutari latibula et sepulchra : omnia evertere. In isto laniatu interfectus P. Adamus XI kalendas octobres. Concisus multis, in ipso vertice septem vulneribus, P. Joannes. Æditnus et vestiariæ curator frater, transfixus per adversum pectus sagitta, manibus et cervicibus incisis, repertus inter cadavera, extentis in crucem brachiis, supino vultu, grato ac renidente. Reversi anno 1660 ad rogos Nesvisiensium hostes, cum rursus ad cædem cives quærerent, tumulosque refoderent, quia hujus fratris Joannis recens, habile, odoremque expirans gratum, viderent funus, offensi spectaculo, ejecerunt in fimum, canibus corvisque lacerandum. Sed, pace recuperata, a Sociis quæsitum, inventum integrum, et repositum suum in loculum. Nusquam vero sævitum crudelius, quam in urbe Lituaniæ regia,

18 Vilnensium strages. Sociorum fuga. P. Gozewski captus.

Vilnæ. VI Idus sextiles Dux Moscoviticus cum immanibus Scytharum et Cosacorum copiis in civitatem irruit. A primis statim portis facta miserorum laniatio. Plus vicena quina millia uno die interfectorum numerata. Necem Socii anteverterunt fuga ; in ea, qui se tardius a cura moribundorum expedierat, P. Casimirus Gozevskius in manus hostiles incidit, acceptisque duobus in capite vulneribus, abductus sit in servitutem, an, per repetitas exhausto spiritu plagas, occubuerit in solo patrio, incertum. Cum ita omnibus locis in patria arderent omnia, quærenda

19 Caroli Ferdinandi principis regii obitus.

erant alibi perfugia. Divisi bifariam Socii pars missi in Germaniam, pars transvecti in Prussiam. Sed, qui in Prussia asylum quærerent, apud Tylsam et alibi ab hæreticis rejecti, ad busta sua redire coacti sunt. Extorribus id quoque acerbum fuit, amissum esse carissimum Societati principem, Vilnensis domus professæ conditorem, Carolum Ferdinandum, Opoliensium et Ratisboriensium ducem, Vratislaviensium et Polocensium antistitem, Vladislai IV et Joannis Casimiri regum fratrem ; neque interim licere sibi, Vilnæ in suo Divi Casimiri templo, debita conditori pietate facere justa funebria. Natus Carolus nonis octobris 1613 : denatus hujus anni VIII kalendas junias ; ægritudine ex malis caræ patria nata confectus Viskovi, in oppidulo Subsylvaniæ. Opes regias cum Opoliensi et Ratisboriensi provinciis fratri suo Joanni testamento reliquit. Post obitum fratris, Vladislai IV, propositus ad regnum candidatus, concessit benevole Joanni ; tranquillius in vita privata suæ negotium salutis curaturus, princeps videlicet minime ambitiosus : idem placidis moribus et liberalibus : prudentia ad regendas quasvis gentes nata : opum neque tenax, ubi res postularet, neque prodigus. Aula sibi erat pro dignitate regia, eaque instituta ad castigatissimæ exempla disciplinæ. Pius cœlitum cultor, et affinis sui, Beati Casimiri, principis castissimi imitator, gloria dignus immortali.

Corpus in æde Collegiatæ, cor ex testamento in templo Societatis conditum Var- 1655
saviæ. Joanni regi, bellicas nescio quas fabricanti machinas Grodnæ, magistro 20 P. Osval-
opus erat mathematico. Hujus artis olim in academia Vilnensi professor, tunc dus Kru-
temporis Nesvisii rector Collegii, P. Osvaldus Krugerus accitus, regi et præfectis ger Grodnæ.
militaribus perititiam industriamque suam in machinamentis difficilibus approbavit. Erat hic cum theologiæ, philosophiæ et mathematicæ sciens, tum experimentis etiam eruditus. Obsecutus in eis, quæ postulasset princeps, dum se ad reditum colligit, repentina oppressus febri, abiit in domum æternitatis suæ. Mortem excepit lætus, sacrum illud funeri suo carmen lingua præcinens vernacula : *Per tuam, Christe, Ascensionem etc.;* in eoque cantu animam exhalavit die, quo triumphum Christi in cœlum ascendentis celebravit Ecclesia, VIII idus apriles, anno ætatis 57, vitæ religiosæ 47.

Vilnensi civitate funditus exhausta, profusi sanguinis jam satur hostis edicto 21
demum suo reliquos in urbe mortales monuit, ne timerent, quin profugos etiam ad 1656 Vilnenses
se revocarent. Ad hoc classicum emergere paulisper e latebris semineces, exstimu- Socii ad
lante maxime fame : ostentare se reliquas tortoribus victimas. Meliora jussi spe- rerum suarum
rare primi, sodales inde suos illi e sylvis et specubus excire in lucem. E disturbato ruinas revocati.
Collegio restiterat in urbe, curator animorum in cæde pereuntium, P. Cyprianus Bohusz, vir quovis periculo superior. Ad hunc adjuvandum Socii redire. Mense P. Bohusz
martio insequentis anni (1657) sacerdotes novem, adjutores quatuor, convenere. Vilnæ. Ruinæ do-
Si parietes ipsos excipias, strages rerum domesticarum miserrima ibi omnium ; mus Col-
nullum cubiculum integrum, utensilia, quæ asportari poterant, ablata, cætera legii academici.
confracta, exusta, comminuta. Reliquum triclinium ipsum utcunque incolume; in hoc uno fuit omnibus una communis domus. Templum ignibus evastatum, conspurcatum a bestiariis impiis et stabulariis, repugnari, ornari, consecrari, oportuit. Inter hæc Sueci Curlandiam, Samogitiam, Varmiam populabantur, duce Gabriele de la Gardia.

In Samogitia Crosensis Collegii prædiola funditus eversa. Dispulsi Socii,residui 22 Crosen-
Patres duo, Valerianus Szczepkovskius et Adamus Alchimovicz, Rigam abducti in sium
vinculis;afflictati crudeliter octo fere menses, enecti haud dubie fuissent, aut com- damna. Socii
putruissent in compedibus, nisi eos interventor pius, princeps Curlandiæ, datis capti.
obsidibus, vindicasset. Nihilo melior Varmiorum conditio. Brunsbergæ ex quadra- 23 Varmien-
genis constabat Sociis Collegium. Bonus Polonorum tutor Suecus insederat etiam sium ærumnæ.
Varmiam : civibus gravis, infensus maxime Jesuitis ; memor ejus iræ, qua ipse nostros, religionem in Suecia prædicantes catholicam, e civitatibus suis ejectaret :

1656 qua revenientes ad officium in mari mersaret Baltico : qua correptos ex Livonia modis necaret diris. Ita Suedi etiam tunc affecti, imo vero iratiores etiam, incitati ab adulatoribus hæreticis nostratibus, in nos illi primos, ubi ubi essemus obnoxii, involabant. Duces populantium Varmiam copiarum, Oxensternus Sueciæ cancellarius, Fabianus comes a Donna, Robertus Duglassus : nomina per ipsas crudeliter res gestas memoranda ; quorum multa sint tristissima in ruinis tumulisque Varmiæ, Samogitiæ, et alibi passim, monumenta. Nullis apud illos precibus impetrari poterat, templis utique, rebus Deo sacris, uti parceretur ; frustra querentibus misere Sociis, injuriarum jam esse affatim in evastatis pauperis familiæ exustisque agellis : in exhaustis ad stipulam cellulis : nihil se spoliatius esse, nihil egentius. Nullis hostem istum moveres precibus. Quidquid in rebus domus, quidquid superesset in templis, vel contrivit vel abstulit. Abstulissent etiam spiritum, nisi intervenisset deprecator a pia conjuge principis Borussici, de Suecorum immanibus factis per mareschallum Prussiæ monita. Ad languorem furoris aliquod momentum habuit mors repentina Oxensterni ; qui plus sævisset aliis. Hujus cæteri, vel pœna, quod facile interpretari erat, conterriti, vel cura funeris aversi, quievere. Subinde Borussos inter et Suecos, consiliis adhuc dissidentes et armis, pax et concordia constituta. Invitatus ad id a Sueco Borussus illici optatoque dono, Varmia, Prussiæ suæ contermina, jam Polonis adempta. Sextili exeunte, missus a Borusso in possessionem ablatæ provinciæ, recuperator Socios emigrare jubet confestim ex omni Varmia, liburnica jam nunc nescio quo exportandos. Exulandum igitur erat edicto et ira inexorabili. Perculit id civium animos, nostri maxime amantium. Quos fama decreti exilii incessit primos, primi accurrere illi ad Socios : exulantium suamque sub hostili fortunam jugo pariter complorare ; misereri ante alios episcopus Kijoviensium Thomas de Rupnievo Ujejskius, antistes Societatis amans quam qui maxime, Resselii tum hospes inter Socios. Sed res mox versa aliter. Postero die, quam de isto renuntiatum edicto, accurrit a conjuge principis Borussici caduceator : quiescere in Varmia, jam nunc principis sui provincia, milites Sueticos ; cives, religiosos, in primis Societatis homines, inviolatos esse jubet. Hoc edicto depulsi demum Sueci. Sed ne abitus quidem hostium civibus fuit omnino lætabilis. Maleficiorum illi suorum auctarium reliquerunt oppidanis pestilentiam ; qua deinde multi cives, interque eos ipso Resseliensi in oppido decem e Collegio Socii prostrati sunt.

*Varmiam Suecus donat Borusso.*

*Exportandos Socios in exilium retinet Conjux principis Borussici.*

*Pestilentia.*

Non levis injecta ab hostibus plaga etiam Plociæ. Vexati fœdum in modum omnes. Enecti in domicilio Patres, Joannes Kopystynskius et Matthæus Zielens-

kius. Litobroci, in prædio Collegii, interfectus rei familiaris curator socius, Bartholomæus Sitkovicz : ter in eculeo tortus, unguibus ferreis laniatus, denique securi percussus. Pater Matthæus in itinere, Ravam fugiens, perimitur. Joannes, evulsa forcipibus lingua, clavisque caligaribus affixa pectori, excruciatur in aula nobilis cujusdam viri, ad quem trepidus confugerat. Cæteri domi intereunt pestilentia : in his P. Albertus Peplovskius, equestri loco in Masovia natus, abundanti doctrina vir, et, qualem Cicero Catonem dixit, librorum quidam helluo : ex instituto sui Ordinis diligens suæ et alienæ salutis administer. Vexatus et ipse furore Suetico tantumque non contritus, domi peste afflictis ministrans, vitam posuit in officio. Eadem in arena occubuit P. Stanislaus Menczkovskius, olim rhetorum in Academia magister, deinde alibi missionarius, procurator, præfectus spiritus, præses domus, denique hic victima caritatis, una cum Sociis adjutoribus Georgio Burchart et Simone Rozenstau.

1656 24 Plociæ cædes Sociorum.

Peste sublati.

25 Radivillus princeps, Collegii Pinscensis conditor, relinquit mortalia. Vitæ privatæ exempla.

Ex isto tanto rerum mortalium turbine sustulit Deus ad requiem sempiternam, virum in omni fortuna pie constanterque versatum , Albertum Stanislaum Radivillum, sacri romani imperii principem, Lituaniæ cancellarium, filium Stanislai præfecti Samogitarum capitanei, nepotem Nicolai Nigri, Collegii nostri Pinscensis conditorem. Satis ille cum sibi tum Ecclesiæ tum patriæ vixit ad gloriam. Ita vixit sibi, in illis publicis amplisque muneribus, ipsos quadraginta annos vel procancellarius Lituaniæ vel cancellarius, ut vel monacho tibi mirum sit, istam christianæ vitæ et virtutum palæstram, quam hic habuit, locum habere in aula potuisse. Primum illi quotidie ac præcipuum erat negotium matutinis temporibus a lecto statim ad orandum et divina per horam meditanda animum, a curis rerum profanarum vacuum, afferre, diligenterque in proposito perdurare : deinde sacrificiis cum tota aula pie interesse : tum recitare rosarium Beatæ Virginis, et officium eidem colendæ, quod vocamus parvum, officium præterea divinum ex Breviario romano. Hoc erat pensum Alberti matutinum.

Quæ interdiu agenda quæque cavenda statuisset, mane monebat cubicularios suos, quos fidelissimos haberet ministros, a se præcipue moribus suis præfectos, cum ea potestate, ut, si quid sibi vel per imprudentiam contra propositum excidisset, severe animadverterent, ac pro ratione delicti commonitum certo plagarum numero se jam quasi non herum, sed sua ipsius sententia reum damnatumque, quamlibet deprecantem, plecterent sine venia. Ad hoc tam inusitatum ministerium honorarios aliquot famulos precibus habuit et donis coactos : eratque ad id parata in conclavi interiore machina, sic fabre facta, ut, clauso arcte undique corpore,

1656

Plecti vult a famulis, eosque ad id cogit donis. Mirum pietatis inventum. Severitate sua, vi aliena. Merita in Ecclesiam

tergum ipsum, virgis urendum, proderetur. In hanc conclusus parvos etiam in via propositæ sibi vitæ errores castigabat. Exemplum virtutis sane religiosis etiam hominibus admirabile. A profanis negotiis revocabat se ad preces et sua cum Deo colloquia, suaque dictorum et factorum examina. Hortabatur sæpe aulicam suam familiam ad reverentiam numinis divini et legum christianarum observantiam; nemini in ea locus fuit non optime morato. Ad usum sacramentorum frequentem suis ipse exemplis domesticos invitabat, solitus quot hebdomadis festisque diebus, maxime Beatæ Virginis, ad sacram mensam accedere; præparatus jam pridie per homologeses et jejunia. Sanctam Romanam Ecclesiam coluit uti matrem. Complura loca sacra amplis ornavit donis. Domum et templum magnis impensis Societati condidit Pinsci, liberaliterque providit Collegio et scholis (1).

Condita templa, Collegia, Sodalitia.

Olycæ fundavit Collegiatam canonicorum Ecclesiam, sacris signis vasisque argenteis et aureis decoravit. Eodem corpus Beati Angentini, sibi a Romano Pontifice munus oblatum, magna celebritate anno 1627 intulit. Parœcias Casimiroviæ et Nalibociis, templa Rumsisciis, Veloni, et alibi opibus suis vel erexit vel auxit. Ad Olycensem collegiatam instituit sodalitatem; quæ quot sextis feriis divinum altaris sacramentum ritibus coleret præcipuis, quæque iisdem diebus mendicorum turmas ad mensam colligeret et stipem. Non donis tantum sed officiis etiam publicis de Christi Ecclesia bene mereri studuit. Defensabat religiosas familias ab

Libri de rebus divinis scripti.

hæreticis. Invitabat ad fidem tuendam et pietatem scriptis etiam catholicos. Libros, quos non sine præcipuo pietatis sensu legas, suo inter tot alias curas labore scriptos, edidit: de laudibus Deiparæ Virginis: De cruciatibus spineæ Christi coronæ: Elogia duodecim virtutum sine labe conceptæ Deiparæ. Quartum opus, rerum suo sæculo

Merita in patriam.

in Europa gestarum, reliquit imperfectum. Anno 1624, jam cancellarius Lituaniæ, comitatus regium principem, Vladislao IV, principes Italiæ visenti provincias, magister fuit morum, dux, et negotiorum transactor. Caunæ, et fortasse, quod constituerat, Pinsci, Tucholiæ, atque aliis etiam provincialibus in oppidis, quibus erat præfectus, tabularia publica munivit. Trium Poloniæ regum, Sigismundi III, Vladislai IV, et Joannis Casimiri turbulentis in patria temporibus, militum centurias ære suo ad communem tuendam rem contrahebat. Earum una ad internecionem cæsa in prælio. Ignarus quid ageretur belli, sollicitusque de fortuna reipublicæ princeps, rem patriam, cui defendendæ in armis ipse adesse non poterat, impeditus valetudine in villa sua Pinscensi Albrychtovia, precibus adjutum ibat. Hic aliquando, solus in conclavi, Deo patriam commendans, dum orat, dum et

(1) Approbata fundatio per comitia regni Const. 1635, fol. 27.

sperat interim et timet, et horrore nescio quo perstrictus respectat, ecce tibi ab expedita nuper cohorte sua nuntius; ipse, opinor centurio. Sed vide, quam sui reverens principis miles, non interpellat colloquentem per orationem cum Deo, exspectat, dum se vocet herus; quasi etiamnum is vivens, unusque adhuc e famulitio aulico, ne sibi id temporis vacet ab officio, quoad orat princeps, sarmentis alit ignem in luculento cubiculi camino; id vero ipsum ex tempore visus egisse misellus; qui suos ignes non ali quidem cuperet, sed extingui. 1657

Conspectum hominem lætus salvere jubet herus, an commilitiones etiam salvi redierint pariter, quærit. « Salvi, quæ Deo sit gratia, respondet nuntius. Salvi « sumus omnes, si salus quidem spectetur sempiterna; cæterum omnes pariter « occubuimus in prælio. Hodie inter manes vectigal pro delictis in igne purga- « torio divinæ pendimus justitiæ, misericordiam opemque imploramus. Succur- « reret princeps, quibus posset, piaculis, sciret autem tum se fecisse demum satis, « cum hoc signo monitus fuerit. Lacum, villæ suæ proximum, jam diu oblima- « tum esse, et,quod sciret ipse, piscantibus malignum. Curaret pius pro interfectis « ecclesiastica piacula: tentari interim juberet in lacu piscatum; ac tum denique « se sociosque manes liberatos esse intelligeret, cum magnam piscium copiam « retibus inclusam viderit. » Nihil omisit princeps, quod etiam præterea sua pietas suggessisset. Diu interim cassa verrebant lacum retia. Multis postremo effusis in opem miseris ferendam nummum millibus, spe major comprehensa piscium multitudo. Ab eo mox piscatu, tota dicitur illa sua caterva Alberto, inter orandum suspicienti cœlum, apparuisse ex aere, multo splendidissima, triumphantique similis, signisque certis liberatori suo egisse gratias (1). Civiles principis laudes Paulus Potockius, Camenecensium præses castellanus, brevi hoc in sua clarissimorum virorum centuria comprehendit elogio (2): Albertus majorum institutis propugnandis impendit vitam, adversus vitia reipublicæ, sua mole labentis, stetit quasi solus, cadentemque, quantum retrahi potuit, retinuit, dum vixit. Oratio illi minus compta, sed ipsum, qui in animo erat, loquebatur candorem: lingua illi cum pectore mira consentiebat harmonia. Mortuus Gedani, funus translatum Olykam.

Cohors perculsorum in acie militum beata.

Varmienses Socii,domiciliis suis inopia et pestilentiae xacti, Regiomontum aliquot penetrarunt; quo jam multæ ex Lituania, Russia, Samogitia, profanæ cum reli-

(1) Huc refer elogium Georgii Tyszkiewicz ep. Viln. bene de Societate meriti ( v. in Facie rerum Sarm. P. Naramowski, p. 363), hoc anno mortui in Prussia, (ib. l. 2, c. 9). — (2) Mss. Radivilianus, et apud P. Adamum Naramowski Facies rerum Sarmaticarum, Lib. primo, c. 17, pag. 231.

1657 giosis familiæ confugerant. Nulli mortalium locus Regiomonti angustior fuit quam

26 Varmiensium Regiomonti illiberale hospitium.

Sociis : in civitate videlicet sectæ jam diu addictæ lutheranicæ : inter ministros illos prædicantes et academicos magistros, scripto nuper a nostris commonitos(1). In egestate ibi exulum istorum et ærumnis miseratio nulla, quin acerbiora etiam exilio dicteria, ludi, injuriæ. Ibi jam nostri non papistæ modo, aliisque magis vulgaribus ex contumelia cognominibus, sed Pagodes etiam Tilignei, Lindani cultores idoli (Beatæ scilicet Virginis) vulgo vocitati. Tum vero vexatione omni acerbius erat, videre multos, incolumi nuper Polonorum republica catholicos illos, atque adeo professione præcipua ministros Dei, homines initiatos, jam hodie ad sectam perfugas lutheranicam, in contumeliis nostris et injuriis assentari hæreticis serviliter. Hæc aliaque detestanda agere non verebantur sua, effrænata quidam per occasionem, lascivia : quidam per imbecillitatem animi; metu hæreticorum, jactantium se tum protervius, catholicos, quos fortiores experti essent, vexantium hostiliter. Itaque, subacti hi, lascivientes illi, ibant, quo se non sui boni pastores, sed abactores et victimarii cogerent, ad fana lutheranica, ad popinas, ad ganeas. Frustra miseris fuimus monitores : contemptiores jam plebi etiam catholicæ in ea humilitate nostra, quam unquam alias : prohibiti aditu etiam aulæ principis, amanter Collegia nostra Varmica nuper dignantis. Pauci inter hæc hortatibus studiisque nostris, triginta non plures a catholicis transfugæ, ad pœnitentiam traducti : totidem fere ab impietate lutheranica ad religionem revocati. Respectantibus anxie ex illo diversorio inhospito suam Sociis provinciam, rumoresque interim, qui ab illis regionibus afflarent, captantibus, repente Danorum armis Pomerania Suetica constrepuit. Ad vexatorem gentis Polonicæ Carolum Gustavum avertendum Fridericus rex Daniæ hoc nomine tertius, ibat in armis, adversus communem hostem per legatos nostrates excitatus. De causis suscepti a se belli monitum (2), qua propius, hostem in Pomerania adoritur. Pugnatum terra marique, utrinque fortuna vices variante. Perduellium coryphæus Cosacorum Chmielnickius anni hujus exeunte junio disperiit Czechryni, in cineribus perditi sui tribuni Zlotorenka. Quid tum ille ? ne mortuus quidem acquievit, diu superstes in suis a Zaporovia latronibus. Deficientibus aliis, qui serius etiam se commovissent, furor istorum comprimi non potuit. Prædabantur communiter cum Vallachis hoc anno maxime in Polessia.

*Catholicorum miser inter hæreticos status.*

27 *Suecus bello Danico distrahitur.*

*Chmielnickii interitus.*

(1) Libello sic inscripto : Didymi Hermanovillani Aristarchus, ad illustres academicos Regiomontanos, anno 1643. — (2) Vid. Scriptum Danicum : Jus Fæciale armatæ Daniæ in bellum contra Suecos invicto necessitatis telo impulsæ anno 1657.

1657
28

Patres Simon Maffon et Andreas Bobola cæsi. De his v. in Catalogo interfectorum Sociorum.

Pinsci collegium Sociorum in oppido utcunque tum erat tectum præsidio legionarii Moscovitici, hominis mansuetiore inter suos ingenio. Qui ex oppido ad paganos, diebus festis curandos, missi a rectore erant, Patres Simon Maffon et Andreas Bobola, in hostiles Cosacorum manus laniatumque inciderunt dirissimum. Horodeci, in pago Polessico, idibus maii excarnificatus P. Simon : dispoliatus ad cuticulam : distentus toto corpore in mensæ tabula, clavisque affixus ; tædis piceis ustulatus ; cultris scalptus, a cervicibus ad calcem deglubitur. Erasa carne, evulsis nervis, toto laceratus corpore, gladiis denique mactatus, superatis incredibili fortitudine cruciatibus, Deo, quem ipsum in illo laniatu invocabat, spiritum reddidit idibus maii, anno ætatis quinquagesimo. Ortus parentibus piis nobilibusque in Braclaviensi Lituaniæ provincia. Per manus bonæ matris oblatus Societati una cum patrimonio, dotali quasi, prædio suo. Ex eo tempore animum ad virtutem, ad agenda fortiter et sustinenda, perpetuis studiis laboribusque ita exercuit, ut, quæ demum sibi, quam atrocia perpetienda essent auctorato in Societate Jesu militi, præsensisse videretur. Jam vota quatuor professus, beneque ad utiles Ecclesiæ labores paratus, quo major sibi bene merendi foret copia, missionarii officium expetiit. In hoc diu magna diligentia versatus, illam denique, quam Dei causam vehementer cuperet, mortem heroicam nactus est. Corpus quam in specum quodve in cœnum a carnificibus sit conjectum, latet. Postridie hujus cædis, eandem ob causam, nempe quod catholicus sacerdos isque Jesuita esset, immanitate pari discruciatus P. Andreas, XVII kalendas junias. In itinere apud pagum Mohilnam comprehensus, vestibus in vestigio concerptis, nudus ad palum sepimenti virgis et scuticis laceratur, usque dum religione, quam aliis prædicasset, catholicam ipse abnegaret. Oppugnata nequicquam viri constantia, infertur vis major : derasa manibus cute, constrictus funibus, ex resti, collo injecta, inter equites medius raptatur ; deficiente spiritu, flagris impellitur. Sesquimilliari Mohilna ad pagum Janoviam ita decurso, immani carnificina ad execrandam catholicam religionem frustra adigitur. Quia hæc fortiter superaret, acerbioribus periclitantur constantiam ; repetuntur verbera crudelius : effoditur dexter oculus : abscinduntur auriculæ : præciditur nasus : evelluntur ungues : excutiuntur dentes : pectus et dorsum peruritur : corpus totum a summo capitis vulnere ad plantas usque laniatur. Præter linguam integrum jam erat nihil ; hæc ipsa, quia Deum et Sanctissima Jesu et Mariæ nomina invocaret, exscinditur ; præcisis denique cervicibus, caput gladio diffringitur. Dilapsis tortoribus, corpus a parocho Janoviensium Zaleskio in templum curiale collectum quarto post die in prædium Pincensis

1657 Collegii, Duboviam, hinc Pinscum translatum, depositumque in communi Sociorum sepulchro.

Natus P. Andreas in perillustri familia, Sandomiriensi provincia, anno 1592 (1). Adolescens, liberaliter educatus, bonisque artibus, in cœtum tironum Societatis admissus anni 1611 pridie kalendas sextiles. Magisterio inde scholarum pulchre functus, jamque philosophicis et theologicis probe instructus disciplinis, sacerdotio initiatus est 1622, IV idus martias. Vota quatuor professus 1630, VI nonas julii. Vicenos deinde et sex annos vel concionatoris vel etiam missionarii tanta animi alacritate, diligentia, et pietate obivit munia, ut animorum venator et Pinscensium, quos diutius curasset, apostolus vulgo vocaretur. Multos correxit ad frugem: multos a sectis Photii, Lutheri, Calvini, ad Christi reduxit Ecclesiam. Qui famulos suos in militante etiam Ecclesia sua honorabiles esse vult Deus, Andreæ merita admirandis illustravit signis hodieque illustrat : ex eo maxime tempore, quo corpus suum repertum, rectore Pinscensis Collegii Martino Godebski. Huic, anno circiter 1702, calamitoso domus tempore, sollicite cogitanti, quo potissimum uteretur apud Deum patrono, noctu per quietem semisopito apparuit venerabilis servus Dei. Solatus ipso illustri conspectu suo Martinum, se Andream Bobola esse docet : interfectum olim a barbaris per odium religionis catholicæ : se, si quid bene suo vellet Collegio, se, inter Cœlites jam dudum hospitem, suæ Pinsci domus procuratorem fore : corpus suum in sepulchro fratrum juberet quæri, et honorificentiore componi loco : id enim ipsum velle Deum : brevi fore, ut se, qui sit, cognoscant mortales. Triduum frustra quæsitum in sepulchro, cadaverum referto, inventum denique corpus, superpositorum pondere capulorum in humum compactum, in loculo jam putrefacto ; ipsum tamen, quasi si hodie conditum, ita integrum, recens, flexibile. Exin Andreas admirandis Dei inclarescere cœpit beneficiis. Quare, oratu quidem populi, concessu autem episcopi Luceoriensium Alexandri Vyhovskii, postea quam tum ab hoc antistite, tum ab aliis, a Summo Pontifice delegatis, recognita sunt certa miracula, corpus Andreæ translatum est in hypogæum secretum anno 1712, VI nonas octobres.

29
P. Sawicki funus Drohicini.

Qui Drohicini primus curam novæ habuit coloniæ, primus Sociorum occubuit, P. Joannes Sawickius, gente Samogita: extinctus pestilentia, III kalendas octobres in pago Minczevo, sepultus ibidem in proximo tumulo. Insequenti hyeme refossum corpus : conditum in templo Drohicinensium curiali; curante funus superstite suo Socio P. Joanne Zavlickio. Exequias grati cives suis, suis in primis Patres Fran-

(1) Vel 1593, si quidem scribitur annos 64 ætatis vixisse.

+

Ego Andreas Bobola Professionem facio, et Promitto Omnipotenti Deo, coram eius Virgine Matre, et Vniuersa cælesti Curia, ac omnibus circumstantibus, et tibi Reuerendo Patri Joanni Jamiotkowski, Vice Præpositi Generalis Societatis Jesu et successorum eius, locum Dei tenenti, Perpetuam Paupertatem, Castitatem, et Obedientiam et secundum eam peculiarem curam circa puerorum eruditionem, iuxta formam uiuendi, in literis Apostolicis Societatis Jesu et in eius Constitutionibus contentam. Insuper promitto specialem Obedientiam Summo Pontifici circa Missiones, prout in eisdem literis Apostolicis, et Constitutionibus continetur. Vilnæ Die Secunda Mensis Junij, Anni Millesimi Sexcentesimi Trigesimi, In Templo S. Casimiri Domus Professæ Societatis Jesu.

+

Andreas Bobola

manu propria.

ciscani cum suo provinciali præfecto Nicolao Galeckio, officiis, atque concione etiam 1657
funebri, per antistitem Franciscani collegii, ut vocant, Guardianum, de laudibus
Joannis habita, honestarunt. Præcessit hunc ad æternitatem e Resseliano Collegio, 30 P. Kosinski Resselii.
X kalendas maii, anno vitæ suæ septuagesimo primo P. Stanislaus Kosinskius, nobilis Masovita, annos 36 missionarius aulicus, novenos Rector Collegiorum; Polocensis, et alias Derpatensis; vir propter candorem animi, humanitatem, prudentiam singularem, in tractandis negotiis navitatem, morum elegantiam, et probitatem omnibus carus, in primis Divo Josaphat Polocensium archiepiscopo; cujus vitam etiam accuratius aliis Stanislaus descriptam reliquit (1). Ex pestilentia, qua intereuntibus Vilnæ aderat mortalibus, vitæ suæ præ salute aliorum contemptor, ad istam senectutem superavit. Plenus ætatis et P. Lucas Zaluskius e Vilnensi professorum domo migravit, nono supra sexagesimum anno, ab inita Societate tertio et quinquagesimo (2): vir litteratura eleganti magister eloquentiæ, philosophiæ, theologiæ, bene diuque in scholis versatus; quinquennium missionarius, octo et vicenos concionator, præses nuper nascenti Minsci Collegio impositus. Elatus XIII kal. septembres religiosus æque eruditusque vir. Plociæ Collegium rector suum reliquit, anno vitæ quinquagesimo, ab ingressu in Societatem tertio supra trigesimum, XVI kalendas novembres, Lucas Paprockius, loco natus equestri in Masovia, territorio Dobrynensi. Theologiæ de moribus operam dedit magister decennium. Vir multæ eruditionis, in rebus maxime patriis. Professus vota quatuor, quinto insuper obstrinxit se Deo: ut ne minimam etiam culpam voluntariam committeret. Multis virtutibus, inter hæc patientia insignis et fortitudine; quam suo quidam malo, homulus audacior, isque nuper e Societate ejectus, expertus est. Nihil sibi obnoxium Patrem ille contumeliis operuit nefariis: quin etiam, virum nactus omni superiorem injuria, suasque assultantis ferentem modeste intemperias, non est veritus ei in conspectu multorum colaphum infringere. Sed suum impius multo pejus ultus est facinus: haud multo post suo sibi cultro exhausit miser vitam.

*P. Zaluski Vilnæ.*

*P. Paprocki Plociæ. Laus præcipua.*

1658 31

Arianæ sectæ pestis, jam olim importata in Poloniam vulgataque passim, anno demum 1658 per civilem sententiam, Varsaviæ in comitiis generalibus latam, depelli cœpit. Id quod factum pridem oportuit, sustentavit adhuc prolatavitque Polona gens, peregrinis circumventa fraudibus, per speciem maxime civicæ libertatis: quasi vero hæc in religionibus etiam quas sibi quisque finxerit, perinde atque

*Ariani ejiciuntur ex Polonia.*

(1) Edit. Viln. anno 1665.— (2) Alibi hunc lego mortuum anno 1673, 20 augusti, anno ætatis 69. Libros hujus auctoris vid. in Catalogo scriptorum.

1658 in aliis rebus publicis, esset sustinenda. Sensit illa porro, quam perniciosa sibi foret communio cum hoc mortalium genere, tum propter impietatem probrosaque in Deum maledicta execrabili, tum ob fraudes et clandestina cum aliis hæreticis, Polonorum hostibus, in primis Suecis, commercia pestifero. Constituta primum decreto in omnes Arianæ impietatis homines pœna capitis, et bonorum publicatio; deinde hujus edicti gratia facta, prorogato triennio; quo temporis spatio, qui resipuissent quidem, integris rebus suis remanerent: pertinaces vero, fundis suis divenditis, excederent.

32 Pinscensis Collegii status. P. Gzovski elogium.

Pinsci res domus paulisper convaluit: auctum Collegium viginti et duobus sacerdotibus, octo adjutoribus domesticis. Ex hoc numero sublatus morte magister Patrum juniorum tertium probandorum Matthæus Gzovskius, Masovita, olim vel philosophiæ vel theologiæ professor, deinde rector domus primæ et secundæ probationis sexennium; inde præpositi provincialis Socius; denique instructor Patrum spatio trimestri. Etiam vita sua virtutum, candoris in primis, humilitatis, et caritatis erga Deum incensæ perpetuum fuit magisterium per exempla. Meditari de divinis occupatio sibi erat omnium jucundisssima; ad quam noctu etiam ut vigilaret, humi aut in ipsis stratus asseribus captabat somnum carptim. Suorum censor morum severus, parvos etiam nævos multis pœnis, flagellis, catenulis ferreis, saguli asperitate cilicini, inedia diutina, castigabat. Amore Dei ardere videbatur perpetuo et lucere. Narrant de visis quibusdam datis huic divinitus; apparuisse olim, tum puero illi decenni, mortuum parentem suum, circumfusum splendore cœlesti; tum sacerdoti jam sacerdotem e Societate defunctum, diuque cum Matthæo fuisse collocutum: eundem quadriennio ante Vilnense prædixisse excidium, fugamque Sociorum; hæc atque alia a se prænuntiata evenisse. Vivere desiit idus decembres.

33 P. Bened. de Soxo Antverpiæ Doctor academicus et rector Vilnensis Collegii.

Ejusdem mensis decimo quinto kal. januarias mortuus Antverpiæ P. Benedictus de Soxo, Hispanus, e civitate Granatensi. Annorum quindecim adolescens in Ordinem Sociorum cooptatus anno 1602. Post eloquentiæ et philosophiæ magisteria, jam theologiæ professor, a generali Societatis præposito Mutio Vitellesco missus in Lituaniam. Acceptus in Collegium academicum, ornatusque magisterii insignibus, octennium professus est theologiam: vicenos deinde annos præfuit Academiæ procancellarius, deinde etiam rector (circa annum 1646). Vir doctrinæ pariter ac sanctimoniæ exemplum. Comitiis nostris provincialibus electus, Romæ a Lituanis interfuit Congregationi VIII generali. Inde Vilnam redux tentari cœpit paralysi et aliis senectutis incommodis. Anno 1655, Moscovitis Vilnensem civita-

tem cædentibus, cum omnes qua quisque posset profugerent, bonum senem ætatis 1659 onus suæ in loco morabatur; neque interim domi vel una pecus fuit, qua reliquus hic subtraheretur periculo. Quid hoc homine in isto articulo facias? Fugam in illa omnium trepidatione et ipse molitur : sed pedibus recusantibus officium; cui alias etiam, ac per plana gradienti, scrupulosa essent omnia atque ardua. Vide jam quid pietas invenerit. Jucundum sane hostibus etiam proditum caritatis exemplum. Duo, in fuga e Collegio ultimi, Socii scholastici, Marcus Grabenius et Petrus Wojciunovskius inciderunt in senem. Miseret juvenes bonos vetuli; sed opitulandi nullum sibi præsto consilium. Cisium illi nescio unde indepti, gaudent : cætera frustra quærerent. Ergo succingunt se : tollunt in currum senem, junctique ad temonem pro jumentis jugalibus per medios hostes, cum gladiis discurrentes cruentis, loris trahunt. Obstupefecit, ardentium etiam ira, hostium animos ea juvenum pietas, viamque istis jugalibus per medios fecit cuneos. Exportatus ita ad leucas prope duas : indè in tutiora acceptus : denique evectus in Belgium; ibidem senium annorum 72 cum sarcina corporis deposuit.

*Mirum charitatis exemplum.*

34 Hostilis exercitus magni Moscoviæ ducis Alexii Michailovicz, multo immanior, quam reprimi posset, divisus trifariam, curas nostratium et industrias distraxit. Triginta millia duce Trubeckio Ucrainam insederunt; pares Borysthenem inter et Berezynam copias ductor Radamovskius explicuit; plures Lituaniam cum Dolhorukio et Chovanskio peragrabant. Parva manu rejectum ivit hostem a civitate Vilnensi Lituanici exercitus campestris dux Vincentius Gosievskius. Cessit sua, 35 in multis alias experta, multitudini virtus : amissis in prælio apud Verki, suburbanam Vilnensis episcopi villam, copiis, captus ipse a Dolhorukio abductusque in Moscoviam. Civitatis miseræ Vilnensis reliquias confecit pestilentia. Duo ex academico Collegio, cum morientibus, quibus ministrarunt, commortui. Gravior fuit peste fames : tristiora ad recordationem per hanc edita calamitatis exempla. Ut prætereamus morientes passim in plateis et vicis, in miseriora his incidas spectacula : ubi hic te per Deum immortalem obsecrat, ut aut offam panis impingas pereunti, aut vitam auferas; ille, diu vociferatus frustra, laqueo sibi gulam frangit; alii semineces, penora omnia odorati frustra, ut quisque in morticinas carnes inciderint, eisdem ardent explere famem.

*Cædes Lituanorum in campis Vilnensibus.*

*Fames dira Vilnæ interitus.*

Hinc furta, rapinæ, cædes inter familiares etiam et cognatos. Tribus germanis fratribus Vilnæ communis erat domestica res et victus. Consumptis cibariis, major natu profectus frumentatum. E residibus alter, quo plus speratæ sibi obtingat annonæ, esurionem alterum interficit. Alius, remedio frustra quæsito, obtestatus

*Exemplum horribile.*

1660 præsentes, uxorem, deinde filiam, denique se ipsum de jugo in profluentem præcipitat. De sua calamitate Vilnenses, aiunt, monitos fuisse prodigiis : pinum in agro Lukiscano, a Moscovita cæsam, cruore manasse, sagumque lignatoris vultumque conspersisse; in templo canonicorum, vacuo jam ac deserto, divorum aras repente luce effulsisse mira, itaque arsisse dies aliquot ac noctes. Præsagia fatalia inde alii ex aliis eventus consecuti.

Prodigia.

36 Lacessitus militum incursu nostratium oppressor civitatis, Moscoviticus palatinus, Daniel Misieckius, homo diritate omni teterrimus, in civitatem ex arce irruit, armatos juxta inermesque cædit; capti conjiciuntur in ergastula ad crudeliorem servandi lanienam. Diem ita noctemque in civitatem grassatus, postridie vinctos turmatim trahi ad carnificinam jubet. Plenum cadaveribus forum, plenæ plateæ omnes. Parum formidinis in eo visum sanguinario : atrociora his danda erant spectacula. Horrendum dictu, quanta carnifices rabie, productos in ferale theatrum, utriusque sexus homines, juvenes juxta senesque, lacerarent. Mactati pecudum instar securibus hi : concisi membratim illi : semineces alii ad graviorem cruciatus sensum relicti. Inter eos, qui stipitibus acutis erectisque trajecti torquebantur, mulier gravida puero, quod maritum conspicata suum ejularet misera, ad lanienam corripitur : discinditur uter : extractus fœtus capiti peremptæ illiditur. Super eandem stragem cecidissent reliqui, nisi repente vindex civitatis, dux Lituanici exercitus, Michael Pac in terga hostium involasset. Cæsi in urbe barbarorum multi; plures in arcem confugere. Locum adepti munitum impetus obsidentium sustinuerunt in annum insequentem. Magna tum quoque in civitate strages ; obsessis ex arduo subjectam urbem quassantibus. Socios in eo turbine perinde, atque otium foret, agitantes sua, maxime ultimis hebdomadæ sanctæ feriis, hostis conterruit.

Vilnensium cædes fœdissima, crudelitas horrenda.

Hostis a Lituanis oppugnatur.

Anno 1661, die parasceves, ad cenotaphium in templo academico concionatore divinum Christi Salvatoris amorem prædicante, in frequentia populi, ab obsessis hostibus ex arce in templum exonerantur tormenta bellica, ictu certo directa. Perculit omnes fragor ac proruit : læsit tamen neminem. Sic librile fulmen, alterum per fenestram adversam irruit, ut recta per aversam eruperit : alterum in muro fregit impetum, ut ipsos lateres violarit. Major statim in hostem facta vis nostratium a regionibus diversis oppugnantium et gravior impressio. Cincti undique et undique in arce compressi, jam sustinendæ oppugnationi impares, deditionis ineunt consilium ; omnium in id facile inclinant animi. Ipse Daniel, quia propter crudelia facta sua sibi maxime metuat, refragatur. Sed valere tantum non potui

Consternuntur periculo cives in templo S. Joannis ;

1660
deditionis consilium inter hostes. Dux hostium traditus plectitur.

hominis truculenti, ac propterea invidiosi omnibus, pervicacia, ut omnes unius pertinacia et metu putarent sibi pariter pereundum. Si porro obstinaret animo, periclitari secum omnes; hunc ipsum, qui cædium et stragis tantæ auctor esset, statuunt prodendum injuriarum suarum ultoribus. Experiri primum interim placet per castrensem popam suum, sui internuntium consilii, ecquid præfectus militarem probaret sententiam. Male sua nuntio cecidit legatio. Explosus e mortario bellico orator, quid apud tyrannum effecerit, tonitru illo vulgavit. Exasperavit gravius militum animos Danielis crudelitas, impulitque, ut quod condixissent, perficerent. Conjectus in vincula, deditur. Ad religionem catholicam et pœnitentiam frustra vocatus, in foro, ubi laniaverat insontes, securi percutitur, coquo suo exequente officium carnificis.

37
Pinscensium Sociorum fuga et cædes.

Pinscense Collegium a Cosasis rursus prorsum dispergitur. In fuga P. Stephanus Sielickius, vir pietate erga Deum insigni, patientiæ multis expertæ, contracto ex ærumnis morbo confectus, Beresæ, in cœnobio Patrum Cartusianorum, decessit. Relictus domi P. Eustachius Pylinskius, miserandum in modum jactatus ab hostibus, ictus denique aliquot mortiferis vulneribus occubuit IV nonas quintiles, anno ætatis suæ 35, Societatis initæ 18. Enecto bustum e rebus Collegii factum miserabile. Templum, domus, gymnasium, officinæ, penora, pagi, et quæcunque corrumpi poterant, corrupta sunt omnia. Neque Nesvisiensi Collegio levia facta damna. Socii tamen cædi subducti : pars accepti in arcem, pars abditi in loca tutiora, exportata supellex templi et corpus principis Nicolai conditoris, omni parte sui adhuc integrum; nunc demum per imprudentiam violatum : quod, ostio putei cum aliis superpositum capulis, cum eisdem pariter, dissoluto puteali jugo, corruerit : eo lapsu caput resolutum a cervicibus, cætera integrum hodieque in suo Radivillorum sepulchro Nesvisii visitur. In oppidum, a civibus derelictum, irrupit cum legionibus duabus Moscovitarum ductor campestris Szczerba, a Lachovicensi repulsus propugnaculo : ferus homo et multorum cruore madens. Hunc e vestigio consequitur cum recentibus copiis a Bychovo et Mohilovia, oppidis Russiæ Polonicæ, viperini nominis et ingenii Moscovita, Zmija. Uterque, arce tentata frustra, evertit oppidum. In ædibus Collegii ne testam quidem, in templo ne summa quidem turrium ornamenta ærea, reliquit integra.

38
Nesvisiensis domus ruinæ.

Corpus Radivilli fundatoris.

39
Vicissitudo temporis paulo lenior.

Sed jam diu narramus continenterque funesta : quæ unius tenoris cantilena, quod monet Plutarchus, equidem sentio, quantam satietatem pariat. Varietas, oportet, aliqua intexat læta tristibus. Nihil est aptius, inquit Cicero, ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunæque vicissitudines. Inter hæc

1660 igitur tristia divinæ tandem clementiæ, benigne nos consolantis, meminerimus.

Prædicit tranquillitatem rei publicæ P. Rose.

Quod de navi, grandi illa ac fortunata classe, Ecclesia scilicet Christi, diu maximis tempestatibus jactata, poetarum aliquis cecinit, fluctuare et nunquam mergi istam ratem : hoc de phasello hujus classis, regno Poloniæ, diu periclitante dixerim. Fluctuabat hac tempestate, mergique toties visa ratis ista : atqui incolumem hanc hodieque vides (quæ Dei singularis certe benignitas est), hinc naviculam nostram peccatis nostris, quasi uno maximo turbine, in scopulos reipublicæ impellentibus : illinc precibus piorum sustinentibus et patrociniis cœlitum. Cujus rei imaginem quandam divinitus objectam ajunt, viro e Societate nostra in primis religioso, nobili Gallo, juris consulto et sacræ theologiæ doctori olim in Academia Parisina, Guilhelmo Rose, aulico nuper reginæ Ludovicæ, viduæ Vladislai IV, conjugis Joannis Casimiri, theologo. Ægro huic cum e calamitate publica tum etiam morbo, Czenstochoviæ, in castello Poloniæ gratiis Beatæ Mariæ Virginis inclyto, comparuisse, aiunt, Beatum Nicolaum Myrensem episcopum, ac promendas ex urna sortes fatidicas obtulisse; duas ex urna Guilhelmum prompsisse tesserulas; in altera scriptum : Polonia vastabitur, at orandum; in altera : Polonia restituetur in integrum, at orandum.

Ejus elogium.

Erat vero Guilhelmus existimatione omnium is, cujus vita et mores pro exemplo, dicta pro oraculis haberentur. Lucebat in homine singularis cum verecundia modestia : in rebus adversis patientia : in arduis fortitudo: tum rerum mortalium suorumque commodorum negligentia : minimarum etiam Instituti sui præscriptionum perpetua observantia : officiosa in omnes charitas : amor Dei et actuosa pietas : imperium in se durius : vincendi sui juge studium. Amictus illi, frigidis etiam tempestatibus, unica, eaque bene attrita, lacernula : stratum asseres, aut nuda humus : cervical lapis : stragulum penula gausapina. In litterarum genere versatus erat omni. Rexit in patria Mussipontanum Collegium. Officio concionatoris, tum ante id rectoris munus, tum post in regia Ludovicæ aula, functus diligenter ac perutiliter. Multos ab hæresi, maxime Arnaudiana, id temporis se vulgante, ad religionem sinceram revocavit. Desiit Czenstochoviæ VIII kalendas sextiles 1657. Sepultus honorifice subter aram Beatæ Virginis, cultor Matris Divinæ mancipii nomine devotus a puero.

40 Pax cum Suecis conciliatur Olivæ.

Inde regno paulatim redire tranquillitas. Ineunte hoc anno, convenit pax cum Sueco conditionibus certis; sequestris a Romano Imperatore, a regibus Galliæ et Daniæ, a Batavis et electore Brandeburgico, legatis (1). Confecta pace, Carolus Gustavus bellis pariter finem imposuit et vitæ, VII kalendas martias extinctus

(1) Vid. Histor. Prussiæ J. Leonis, pag. 523.

Goteburgi in Schonia. Moschi interim insignes multis locis clades accipiunt; in 1660
primis, dux millium triginta, Chovanskius a ducibus nostratium Paulo Sapieha, palatino Vilnensi, et Stephano Czarneckio palatino Russiæ, apud Lachovicios, Slonimum, Polociam, et alibi cæsus, vix denique ipse, dimissis, ut aiunt, manibus, profugit in Smolensciam : deinde, qui cum recentibus a Moscovia copiis supervenerat, Ivanus Dolhorukius ad Borystenem, Basiam, Prussam, amnes : apud oppida Sklovum, Cudnoviam (1), Mohiloviam et alibi alii hostium exercitus vel fusi in acie vel dissipati. Pax inde affulgere civibus, cum pace respublica visa partim 41

Carolus Sueciæ moritur. Moschi cæduntur.

convalescere, partim refici posse. Polociam duo Socii ad recognoscendas Collegii res missi, nihil in oppido nisi aream domus, nihil in pagis nisi vacuas casas aut ipsa busta repererunt. Excepti magna civium lætitia, ipsorum subsidiis tantisper inopiam sustentarunt, dum reconcinnarent sua intertrimenta, ædiculamque rei divinæ et remediorum salutarium jam diu sitienti populo construerent. Brunsbergæ quoque jam facile vicenis plures, et ipsi suis defuncti periculis, animam de cœlo liberius ducere : respectare subinde Gedanum, ubi suppellex sua esset condita. Nova inter hæc colonia, in pago Curlandiæ, Schonbergæ, invitati sumus a 42

Polociam redeunt Socii.

Brunsbergenses respirant.

prænobili Curlando, Vladislao Francisco de Karmel Berch, Schonbergæ et Eckeni domino. Oblata hospitibus : locus domicilio satis amplus, isque peramœnus: domus interim temporaria, et e lignea constructum templum materia : pagus, utensilia. Donatio auctoritate Joannis Casimiri regia idibus maii 1660 firmata.

Shonbergæ novum Sociis domicilium.

(1) Vid. Libellum editum a Joanne Zelenievicio, sic inscriptum : Memorabilis victoria de Szeremeto ad Cudnoviam.

# RELIQUA RELIQUIS HUJUS SÆCULI NOSTRI ANNIS GESTA.

1561 FATALE ad salutem reipublicæ regnum Joannis Casimiri tempus omnino explere suum debuit, vices deinde suas fortuna clementius variante. Jam ex omni hostium numero ipsi fere Moschorum exercitus superabant, e Lituania

1 Turbæ civiles. et Russia Polonica emovendi. Atque cum his quidem sæpe pugnatum prospere; debellatumque jam hodie fuisset, nisi discordia, repente inter cives coorta, factaque a rege secessio, bonorum consilia ducum conatusque reliquos præcidissent. Causæ civilis dissidii, quas suis in annalibus commemorat Kochovius (1), erant: consilium regis, in comitiis etiam generalibus propositum, de muneris sui regii adjutore, quicum communes sibi forent publicæ rei curæ, dum ipse viveret vigeretque, idemque mortuo sibi in locum succederet, providenter illo matureque eligendo, se tantisper inclinatam sustinente rempublicam: præterea exhaustum regiis largitionibus et solvendis stipendiis ærarium; indeque adulterini ex nova moneta nummi (2), cuprei illi, invisi adhuc genti suæ, trientes: dirutus ære miles: reginæ denique ambitio, et nescio quæ machinatio perniciosa juribus gentis liberæ. His quasi facibus principes factionis et pertæsos diuturnæ calamitatis cives, propterea que exosos fortunam regis, et fideles pariter ministros principis ad secessionem et turbas inflammarunt. Quam conspirationem nomine civilis

Nexus civilis. nexus honestant historici. Ad sexaginta amplius millia brevi conflatus conjuratorum exercitus, isque geminus: alter in Polonia, in Lituania alter; cum regem Stephanus Czarneckius Russiæ, et Paulus Sapieha Vilnensium, palatini, non maximo quidem illi præsidio, satellitum scilicet minus quatuor millibus, sed virtute et fide præcipua tuerentur. His comitatus rex, aliquot deinde auctus cohortibus, exturbare hostem ex oppidis, et intermissam persequi victoriam. Resipiscere subinde conjurati, et in gratiam principis fidemque redire. Quàm diu res cum hoste, in acie maxime, tam diu illi ducibus suis obsequentes: alias a rege aversi, neque inter se concordissimi. Receptæ inter hæc urbes Lituanicæ, in primis Vilna.

(1) Climact. 2, lib. VII. — (2) Auctore Tymphio monetæ præfecto.

Hanc lætus visit rex, solatusque cives, mox nostris præsens in singulis domiciliis 1661
salutem amanter impertiit; miseratus Sociorum, in primis novitiorum conditionem; quos, Vilnam pergens, Kondzyni in pago domus nostræ, tabescentes metu adolescentulos, fameque pereuntes offendisset: domum inde suam reduces, de communi gratulantes præsenti fortuna, videret, præcipuaque pietate gratias Deo agere, regnumque cum rege supplicationibus divinæ clementiæ commendare. Commeminit dolenter hic princeps, qui rerum suarum status, quanta vitæ tranquillitas, Romæ sibi inter hujus Ordinis adolescentes agenti nuper fuerit. Prolixe deinde studium suum professus ad tuendam Societatem ornandamque, uti sibi carissimam. Insequenti proxime die, nonis decembris, in templo Divi Casimiri nostro, a rege, proceribus, populi celebritate maxima gratiæ Deo actæ pro victoria. Ibidem nudiustertius celebratum a Castrensibus funus herois magnanimi, tribuni militaris, Melchioris Ludvich a Demut, hominis nostræ Societatis amantissimi. Speculatum noctu hostium, reliquorum adhuc, arcem insidentium, vigilias a duce missus, conspectus a vigili subter arcem ipsam e fistula ænea sternitur. Mortuus ex vulnere pridie kalendas decembres. Vir pius, et officiorum hominis christiani diligenter observans. Quocumque sibi licuisset per sui negotia muneris, nullo ipse die, profesto etiam, non missæ sacrificio interfuit. Ædem maxime Divi Casimiri nostram frequentabat; tantopere ejus loci sanctitate delectatus, ut si quo die illam non visisset, tametsi alibi præstitisset suum pietatis officium, non satis sibi factum putaret. Ibidem sepultus, quemadmodum desideraverat, subter sacellum Divo Bennoni sacrum.

2 Rex Vilnæ visit Sociorum domos.

In templo S. Casimiri funus tribuni.

Drohicini, in colonia nuper constituta, lubricus adhuc fuit nostris locus hospitibus; modo hostibus Subsylvaniam, ut alias provincias, populantibus, modo pestilentia agros evastante. Stabilita deinceps sedes auctoritate regia et reipublicæ anno 1659, mense martio. Aucta res œconomica fundo suburbano. Templum curiale, consensu Luceoriensis episcopi, Joannis Wydzga, et sui canonici collegii, attributum, scriptisque rite tabulis traditum 1659; rem exequente Pultoviensi archidiacono Paulo Petrykovskio, eodem Drohicinensium curione jam tum ultimo. Quam in rem jus quoque patronatus a rege 1664 kalendas sextiles auctoritate firmatum publica per cancellarium regni Nicolaum Praznovskium.

3 Drohicini domicilium confirmatur.

Pestilentia temporis non paucos, eosque illustres, sustulit viros, ante alios antistitem Vilnensem Joannem Dovgialo Zawisza, præcipuum in Lituania Societatis tutorem, et Vissogrodensem præfectum Michaelem Karnkovskium, qui rem Collegii Plocensis pertenuem auxit insigniter. Hujus funus Socii, e propinquioribus

4 Funera Principum et Sociorum.

1662 domiciliis a Provinciali convocati ; in his Varsaviensis, Pultoviensis, Lomzensis, et Plocensis, Collegiorum rectores suis humeris extulerunt. Alibi Socios subduxit mors, septem ipsos e Lomzensi Collegio, in officiis charitatis afflictos pestilentia. Major dimidio fuit strages hæc, quam superstitis salus Collegii.

5 Tumultus civiles.

Infelicis reipublicæ, tot cladibus afflictæ, reliquias inopia rerum, fames, pestilentia, lacerabant. Malis omnibus intolerabilius fuit civile inter se regemque dissidium ; quo infortunio felices etiam et maximæ res facile dilabuntur. Conjurati nuper adversus regem novarum molitores rerum pacto nullo adduci poterant, ut conciliarentur principi, et cum reliquis civibus, bene consulentibus patriæ, consentirent. Ingens tumultus inde, et fœda rerum cum profanarum tum sacrarum etiam passim strages. Prodigitur in concitandam seditionem ærarium : adulteratur facile jus alibi pecunia : vi alibi opprimitur justitia : sollicitantur Lituani ad discidium ac diremptum partium suarum ac provinciarum a regno Poloniæ : itur aversum sacerdotia, et mulctatum stipendiis religiosas etiam familias : libelli famosi in regem et fideles regi ministros disperguntur. Miscetur respublica et fere cœlo terra. Miles in fraude stipendii modo æs militare a ducibus superbe postulat victor hostium, modo petulanter, rerum jam aliunde satur, e reliquis civium fortunis hostilem in modum facit manubias. Hæc inter latrocinia eo processit audacia factiosorum et furor, ut quæ acuissent in hostem persequendum, in cædes suas tela verterint.

Gosievskii Ducis cædes apud Ostryniam pagum.

Vilnæ ad XIV kalendas sextiles in conventu ducum militiæ aliorumque procerum Lituaniæ agebatur consilium de persolvendis militi stipendiis. In summa difficultate rei nummariæ, cum ipsa darentur promissa, commoveri militares, et duas in partes discedere : atque hi quidem, qui prudenter ex difficultate temporis rem æstimabant, æquum facere, et placati pendere promissis; illi contra, non expostulare tantum et exigere, sed minas etiam jactare, secedere, atque in necem tum mareschalli, coryphæi nuper sui, mutato deinde consilio, ad regias partes quasi transfugæ, Casimiri Chvalibog Zyromskii, tum Vincentii Corvini Gosiewskii ducis Lituanorum campestris et thesaurarii, conspirare; instigante maxime optione cohortis regiæ Kotovskio. Evocatus per dolum Vilna Zyromskius, raptatus inde misere toto itinere laceratusque, tertio ab urbe milliario apud pagum Dubnam gladiis furentium conficitur. Mox Corvinus etiam, a suis proditus custodibus, Vilna Volpam ad perduellium concionem aufertur septimo kalendas decembres. Nihil in ea tumultuantium ferocitate ac turbine agi, nulla ratione principis viri innocentia defendi potuit. Vix id impetratum, ut quando vita quidem erat omnino

profundenda cum sanguine, sacerdotis utique copia spatiumque daretur aliquod, 1662
quo saluti animi sui per expiationem delictorum moriturus consuleret. Adfuit dolenter e Societate nostra sacerdos (1) caro principi, ejus scilicet filio, qui Sociis nuper Smolensci domicilium munifice condiderat, Alexandri Smolenscencium palatini. Ab hoc supremo salutis negotio dux, animi plenus, qualem ipsi olim spectassent in acie, prodit in conspectum domesticorum hostium, paratosque ad cædem imperturbato obtuitus vultu : « en ego, inquit, milites, dux nuper vester « et commilito, hodie iræ civilis victima. Certus sum mori. Frustra sim, si quid « vos id loci horter, aut postulem : neque enim eadem, quæ olim apud vos mihi « fuerit duci adversus hostes cienti prælia in acie, hodie reo, cupienti purgare « crimina, sors, facultas, et gratia. Fato jam quo nescio experior meo, difficilius « esse negotium cum iratis civibus in foro, quam mihi et vobis aliquando fuerit « cum hostibus in acie. Quid nuper in campis Lojoviæ, Mossyrii, Bobruisci, « Pinsciæ, Irpii, Dimirsci, Bialocerquiæ : quid apud Pultoviam, Caunam, Birsos, « Rigam, Parnaviam, Volmariam, Romburgum, Helmetum, Oberpalum, Felinum, « Treidanum, quid alibi auspiciis meis ac ductu egeritis : quantos Suecorum, « Moscovitarum, Brandeburgorum agitaveritis exercitus, hoc utique velim, meo « tempore memineritis. Subeat animum, quæso, eorum memoria, quæ reipublicæ « studio susceperim obierimque munera non industria modo et labore, sed impensis etiam meis et periculis. Quid non ego patriæ hujus vestraque causa vel « egi adhuc vel pertuli ? Vobis scilicet, idque in isto temporis mei articulo, narrem, « quam ob rem a Gustavo in Sueciam pro captivo abductus (quod scilicet cum « proditoribus Samogitiæ non consenseram) quos perduelles ab eodem hoste ad « patria castra et obsequia revocarim : qua industria, quantoque meo periculo « Suecorum consilia, ad perniciem gentis nostræ conspirantium cum Moschis, « captivus etiam disturbaverim : captus fraude, quibus custodiis constrictus, « quam ærumnosam quadriennium toleraverim vitam in Moscovia ? Tanti aliquando æstimata sunt merita nostra in comitiis civium generalibus, ut Moschorum duci magno quinque suos exercituum duces, unius mei lytrum capitis, « remittendos censuerint. Scilicet hoc pacto redemit istud patria, ut hodie sit « civibus, in quo maleficiorum et immanitatis prodant omni posteritati exemplum ? « Sed concedamus invidiæ. Nihil præclare adhuc reipublicæ causa egerim. Quid ? « continuo ne trucidandus dux, palatinus, civis vester, in ista vobiscum patria « et libertate natus, isque nullius criminis condemnatus legitime ? Nam agite

(1) P. Samuel Kuderovski, postea rector Coll. Nesvis., mortuus an. 1669, 8 novemb., ætatis 52.

1662 « dum, quo æquius melius reum deposcatis ad supplicium, crimen mihi aliquod « utique certum objicite. Unum est porro, accusatores, iidemque judices mei ac « vindices, unum est illud : consensus noster in rege tuendo, et reipublica, ac « fide. Hoc porro ultum itis. Siquidem obstinatis ita estis animis, ilicet. Oratio « mea quam recte cum animo et re consentiat, nisi creditis, rumpite jam, licet, « hoc pectus, cruentisque manibus et oculis explorate. » Ita expostulantem, ne audiretur, obturbabant primi pili; mox, succlamante turba, glandibus jaculatorum discerpitur (1). Corpus Vilnam delatum, a mœrente conjuge, Magdalena, Octaviani Konopackii castellani Elbingensis filia, in templo domus professæ nostræ depositum.

Quid boni nanciscantur, qui, voluntario religiosæ in Societate Jesu militiæ obligati sacramento, perjuri desciscunt, desponsamque Christo castimoniam ad thalamos transferunt sacrilegos, ex infinitis hoc quoque, quod Sociis in Collegio Pinscensi quidam dedit, dimissus indidem, isque genere illustri natus in Lituania, documentum certum accipe.

Dimissi e Societate nuptiæ funebres.

In religiosæ tirocinio vitæ, deinde in schola philosophiæ, rite institutus, oblanguescere ille paulatim domus paternæ desiderio : fastidire propositum vitæ institutum, et quæ prudens dimiserat, corde captus, respectare atque habiturire. Neque interim ulli, qui sibi mederi posset, animi vulnus aperuit. Suo itaque usus consilio, cum in aliud cum Socio transferretur domicilium, ex itinere clanculum, insalutato comite, domum se ad parentes egit præcipitem. Brevi hospes nupturire ac procari. Nactus genere parem et opibus sponsam, ad condictum nuptiis diem ac locum, crispulus ille, cerussatus, unguentis perlitus, splendido assectante comitatu, fremente superbus fertur equo. Splendoris interim ipse admirator sui despectat obvios, assectantibus insolentius imperitat. Haud procul sponsæ domo vadum erat trajiciendum, virgultis obsitum. Hic suas infelix sponsus nuptiales extinxit tædas; ab asseclis imperia superbi domini perosis, multis confossus vulneribus. Exciti cædis nuntio parentes sponsæ accurrunt; domum hodie semianimem queruli, postridie funesti mortuum præter thalamum conferunt ad tumulum; repente in epicedium verso convivatorum convivarumque epithalamio. Non istas, credo, tam miserabiles juvenis confecisset aliquando nuptias, si quam in schola tironum Societatis religiosa disciplinam olim acceperat, diligenter deinceps tenuisset.

7 P. Schenck obitus et laus.

Erat nuper novitio huic magister P. Christophorus Schenck, vir ad id muneris ab ipsa, ut ita dicam, pietate formatus : annos triginta in domicilio novitiorum,

(1) V. Lib. Victor et Victus auctore Woslawski.

magistri tironum alias, alias ministri functus officiis; cujus viri conspectus etiam 1662 ipse ad amorem Dei studiumque virtutis hortari videbatur. Summa integritate et innocentia vir : stolam, quam ex fonte baptismi extulerat, ad supremum vitæ diem nullo vitiatam nævo conservavit; præsentis ubique numinis memor ille semper, reverens, et amans : cupiditatum, omniumque pravarum affectionum animi perpetuus vexator, victor denique ac dominus. Nemo hunc vidit subiratum, aut subtristem, aut quidquam oneris detrectantem; tametsi ingererentur sibi multa, ac sæpe molesta, et difficilia, et acerba. Complures observes, subacti etiam viros ingenii, beneque moratos, non eosdem horis esse omnibus; huic tenor vitæ fuit perpetim æquabilis, et cum temporis tum rerum agendarum certa ex præscripto ac stabilis ratio. Quietis nocturnæ tempore, cum id negotiis maxime sit vacuum, tres ille horas somnum more suo, raro quatuor, atque tum nisi, cum ex diurno labore lassus esset, eumque humi, aut nudis in asseribus, carpebat; interdum totas pervigilabat noctes; rerum divinarum, quibus meditandis eo in otio et silentio impensius se dabat, captus dulcedine. Inedia, veste cilicina, catenis ferreis, flagris nodosis, aliisque asperitatum modis exquisitis sic se afflictabat, ut mirum foret, qui viveret, atque adeo tum esset vegetus, hilaris, et ad officia expeditus omnia. Quæ suæ vitæ austeritas e clariore hinc Divinæ Majestatis, illinc suæ humilitatis cognitione existebat : intelligenti nimirum, quanta sit Dei, cui serviret, dignitas, tum sua apud eum profitenti diligenter obsequia, sapienterque eadem existimanti, quidquid diligentissime etiam egisset, nihil recte factum sibi videbatur. Itaque nullo officio ac pietate sibi poterat ipse satis facere : ut propterea se non mortalium modo omnium ignavissimum, vilissimumque caput, deputaret, sed infra orcum etiam abjiceret; ac si ipse beneficentia divina abuteretur omnium indignissime. Tantum proinde sibi creavit odium sui, ut existimationis suæ significationes gravius, quam contumeliam quisquam arrogans, ferret : inque laude suæ probitatis sincera simulasse se aliquid continuo laudis vanæ studio, atque imposuisse simplicibus, putaret; idque in se vindex verberibus etiam castigaret. Præsidum suorum reverens, dictoque obediens, nihil se boni posse agere existimabat, quod non eorum jussu, aut saltem concessu, faceret.

Paupertatis voti tam religiose observans, ut, præter duos tresve libellos, quibus omnino utendum erat, apud se haberet nihil. Frugalis ac præparcus in suis commodis, in aliis præcipua charitate officiosus erat ac liberalis. Hospites benigne exceptabat, dictum illud hilarem in modum usurpans : hospes venit, Christus venit. Valetudinarium domesticum, si qui ægroti curarentur, visebat crebro :

1663 ipse tum ægrotantibus magna cum diligentia facere cibos, suaviterque invitans, ad ora afferre : ipse morbosis lectulos sternere, medicamenta propinare, angores animi sermonibus levare et consiliis. Famulos quoque tanta curabat diligentia, ut jam non communi sacerdotibus nostris patris, sed præcipuo parentis sui nomine amanter ab eis vocaretur. Vigil ad omnem bene merendi occasionem, animadvertebat, si quibus, extrariis etiam, quoquo sibi integrum foret officio, adesset : itaque miseris, qui periclitantibus, qui ad Ecclesiam catholicam revocandis, aut corrigendis ad frugem, daret operam, ipse præsto erat. Expeditum ita fecerat virum inquies animus, amore divino inflammatus. Hoc se agitante, cessare non poterat. Hinc illa divi parentis nostri vox : o Deus mi ! o si te homines nossent ! sæpe Christophoro, alia etiam narranti, minimeque advertenti, ex intimo pectore erumpebat. Cum ad aram operaretur sacris, ignescere tum ille maxime et colliquescere videbatur. Quam sui Domini Salvatoris Jesu amans esset ac sitiens, hinc quoque apparebat, quod, quæsitus domi, nusquam inveniretur certius, quam ante aram ; hic ille nocturnas etiam suas vigilias, perfrigidis etiam brumæ temporibus, ipso Dei calescens amore, in precibus et lacrymis exigebat. Beatissimam Dei parentem Virginem exquisitissimis pietatis coluit officiis. Hymnum Divi Casimiri de laudibus Divæ sæpe in diem, nunquam sine dulcibus lacrymis, recitabat. Ad sacros huic dies multa meditatione, afflictatione, vigiliis, celebrandos pietate præcipua, mature animum præparabat, certasque commentabatur formulas quibus ei se suaque dedicaret. Quatuor milliaria nostratia distat ab urbe Vilna oppidulum Troki, locus, de quo dicebamus, beneficiis Virginis Beatæ celebris. Eo Christophorus quot annis, maxime ante aliquem diem Beatæ Virginis festum, itabat ; conferens ad Matrem divinæ gratiæ sua suorumque Sociorum munuscula, sive officiola ; ad quæ ipse eos mature invitasset. Ad VI nonas quintiles, Divæ Virginis Elisabetham visentis memoriam insignem, tanta animi et virium contentione se comparabat, ut vires corporis debilitaverit, ac penitus se exhauserit. Hoc denique ipso die vix tantum collegit virium, ut ad proximum rectoris cubiculum aspirarit Hic sua defecta multis cum lacrymis rite confessus, liqui cœpit animo. Ad cubiculum inter manus relatus, et sacro unctus oleo, eadem hora placidissime extinctus est. Natus Vartemburgi in Varmia anno 1606, XII kal. januarias : in Societatem e scholis Brunsbergensibus acceptus annorum 17 adolescens.

8 Turbidæ res patriæ.

Commotæ primo illo turbine reipublicæ nulla quies adhuc ; nisi quod miles patrius, numerato sibi stipendio, ad suos tandem duces legitimos et signa rediret. A Moscovia interim, Ucrainia, et Tartaria tempestas perpetua : bella alia ex aliis

nunc domi, nunc in hostico. Quoquo te vertas, tumuli passim, famis, pestilentiæ, cædium monumenta. Inter hæc finem vitæ et ærumnarum reperit, academici Vilnæ collegii rector, vir pietate insigni et doctrina, Michael Ginkiewicz, Samogita. Natus annos 21, ad numerum Sociorum adscriptus 1615. Jam theologiæ annos aliquot magister doctorisque ornatus insignibus, Romam missus, in Collegio, quod Pœnitentiariorum vocant, industriam suam morum probitate et doctrina commendavit. Septem in Urbe annos commoratus, suæ restituitur provinciæ. Præfuit rector Collegio Nesvisii, deinde domui professorum Vilnæ, tum Varsaviæ, denique Academiæ, insigni charitate, prudentia, et sanctimoniæ exemplis præses. Multa præclare dixit (1) et scripsit. Desiit pridie nonas apriles anno ætatis LXIX. Funus deduxit cum sacro suo canonicorum collegio Vilnensis antistes Georgius Biallozor, ipsa ad id benevolentia sua invitatus; concurrentibus ad sepulturæ honorem religiosis familiis, civicis consularibus, et populo frequentissimo. Amavit virum pium pius pontifex, tantumque de meritis ejus et sanctimonia existimavit, ut, secundum funus in cubiculum elati se abdiderit, noctemque insequentem ibidem solus in meditatione eorum, quæ in Michaele adamasset, et precatione pervigil transegerit.

1664

P. Ginkiewicz obitus.

9 Turbæ in Ucraina recuperata.

Revertimur ad rem publicam. Numerato, quantum ex angustiis ærarii conferri potuit, militibus stipendio, reconciliatis ea ipsa re animis, collectum sub sua signa exercitum duxit rex ad recuperandam Ucrainam; cujus pars quidem citerior, hoc anno commendata præfecto Paulo Tetera, parebat Polonis, partem vero, fraudibus Georgii Chmielnickii proditam, Moscoviticæ copiæ insederant. Processit nostratibus expeditio. Ineuntis anni 1664 mense januario expugnata, in primis Drzevica et Sosnica, Cosacorum oppida: recepta deinde cætera, armaque in Severiam, Moscorum provinciam citimam, promota per cædes hostium objectorum. Sed pace, victoriæ fructu, frui non licuit: mox turbis, tum in Ucraina a Vyhovio Kijoviæ palatino, Cosacorum nuper ductore, tum in Polonia interiore a mareschallo regni, campestrium duce copiarum, commotis (1). Verum hæc et alia, ne longius a rebus aberremus nostris, prætcrimus; idque eo tantum consilio attigimus, ut, quod initio diximus, confirmaremus: quæ scilicet toto suo Joannis regis tempore, quam diu pertinax, ad extremum quam varia fuerit fortuna reipublicæ.

(1) V. Biblioth. Script. et hic Elenchum. — (2) V. Kochovski, pag. 147, 153, 158, 164, 171.

Hactenus res primo in provincia Societatis Jesu Lituanica sæculo gestæ.

# APPENDICES

AD

## LIBROS HUJUS

# HISTORIÆ

PLURES tibi, lector benevole, appendices, ad singulos historiæ nostræ libros accommodandas, promptas habeo, accurateque perscriptas; verum cum plures sint ac longiores, quam labor typographorum nostrorum, multis hodie occupatorum, ferat: ipsa duntaxat capita hic aliquarum accipe; ut, si plura in hac historia, et luculentiora desideres, in archivo nostro provinciali quærenda cures.

## AD LIBRUM I.

Anno 1563. Julius Pogianus, vir perquam eruditus, cardinali Hosio narrat de laudibus amici sui Commendoni, nuntii in Polonia Pontificii: de profectu in litteris Hosii, nepotis ex fratre, in Romano Societatis seminario alumni: de P. Jacobo Lainez, jam Generali Societatis Præposito: de libris a card. Hosio editis, Romæque magna cum laude acceptis.

1564. Card. Hosius cum P. Alphonso Salmerone communicat quædam nova, de gente etiam Lituanis vicina. — Idem P. Salmeronem amice appellat, et quædam jucunda miscet familiariter.

1565. S. Franciscus Borgia, Præp. Generalis, expedit P. Franciscum Sunner in Lituaniam, datis litteris patentibus. — Eodem anno eundem jubet Visitatorem Collegiorum Brunsbergæ et Pultoviæ.

1566. P. Magius P. Stanislaum Varszewickium, Vilnensis rectorem Collegii, orat, rem divinam suo in Collegio ut quam diligentissime curet. Docet, quid cum quibusdam Sociis agendum. Novitios religiosos laudat. Domum professam condi cupit.

P. Franciscus Sunner nuntiat cardinali Hosio, scholasticos juvenes Kostkas fugere Brunsberga, metu pestilentiæ. Suadet, juvenes, quos sumptibus suis cardinalis aleret, alio curet transferendos. Mentio Bernardi monachi, qui restitit Brunsbergæ, post abitum suorum sodalium.

1567. P. Hieronymus Natalis card. Hosio. Excusat tarditatem litterarum suarum : negotia quædam Augustana, Herbipolitana, Spirensia, Rhenana commemorat.

P. Joannes Polanus card. Hosium rogat, bene uti consulat, quod P. Petrus Phae Brunsberga Herbipolim transferatur. Nuntiat Torrensem acceptum esse in Societatem, eumque laudat.

Cardin. Hosius Benedicto Herbesto, cogitanti et consulenti de proposito sibi in Societate vitæ instituto. — Idem ad P. Polanum. Queritur, quod P. Natalis, ut Herbipolim ornet, Brunsbergensi Collegio viros idoneos subducat.

1568. Card. Hosius ad Joan. Demetrium Solikovskium, secretarium regium, de Merlini hæretici ferocitate : de Sebastiani, satanici præconis, blasphemiis : de Sociis Elbingæ nuper collocatis.

Sigismundi Augusti regis ad Elbingenses. Jubet Sebastianum, hæreticum ministrum, ex urbe ejici. Et altera epistola in simili argumento an. 1569. Card. Hosius ad P. Laur. Magium de Lutheranis, actis Elbingensibus, Saxonia ad Ecclesiam revocanda. — Ejusdem ad P. Salmeronem, gratulantem sibi cardinali de munere pœnitentiarii Romani, epistola plena eutrapeliæ.

1569. P. Laurent. Magius ad Valerianum episcopum Vilnensem. Benevolentiam antistitis laudat. Negotium de Sociis Vilnam mittendis commendaturum se suo Præposito Generali pollicetur.

S. Francisci Borgiæ ad Valerianum episc. Viln. accipientis oblatum donum in condendo Vilnæ Collegio : epistolæ duæ.

1570. P. Magius Martino Cromero, canonico Varmiensi, narrat, se venisse Pultoviam : ab episcopo Vilnensi vocari Vilnam : illinc profecturum se in Prussiam. — Idem cardinali Hosio nuntiat, hæreticorum audaciam frangi. Laudat episcopum Vilnensem Valerianum

P. Everardus Mercurianus, Præpos. Generalis, gratias agit episcopo Valeriano, conditori Collegii Vilnensis.

## AD LIBRUM II.

1572. Epistola card. Hosii ad P. Laurent. Magium. Hortatur Socios, ne minus laborent in revocandis ad ecclesiam Saxonibus, quam in convertendis Indis. Meminit Cromeri, sui in episcopali munere coadjutoris. De Davide Chytræo, Schmidelio, Elbingensibus, aliisque hæreticis.

Idem ad eundem de Schalichii hæretici ad ecclesiam reditu : de calumniis hæreticorum oppugnantium Jesuitas : de Schmidelii faberculi hæretici nugis.

P. Franciscus Sunner Vilnenses philosophiæ auditores, ex obitu magistri sui P. Thomæ Zdelaricii mœstos, solatur. [Cf. p. 46.] Excitat ad studia litterarum. Altera epistola respondet ad litteras eorum auditorum ipsorum.

1573. Everardus Mercurianus, Præp. Generalis, creat Provincialem vicarium in Lituania et Polonia P. Franciscum Sunner.

1574. Gregorius XIII ad Valerianum episc. Vilnen. Commendat Societatem. De condito Vilnæ Collegio gratulatur.

P. Mercurianus Præp. Gen. ad Provincialem Austriæ de provincia Polonorum separanda ab Austria. Duæ super eodem argumento epistolæ.— Idem Valerianum Ep. Vilnensem rogat, ut P. Sunnerii curare velit valetudinem consiliis et monitis ; altera priore eidem agit gratias, conditori Collegii Vilnensis.

Card. Hosius P. Petrum Canisium et Socios hortatur ad mala omnia perferenda religionis causa.

1575. Everardus Mercurianus Præp. Gener. P. Franciscum Sunnerium creat præpositum provincialem per Lituaniam et Poloniam.

Idem gratias agit principi cardinali Radivillo pro benevolentia.

Adde quod de eodem cardinali Hosio refert Janus Nicius Erythræus, libro : *Exempla virtutum et vitiorum*, impresso Coloniæ, anno 1676. Nimirum exemplo LXX, librorum inutilium tractationem morborum causam existere, pag. 131, sequentia narrat :

« Stanislaus Hosius, S. R. E. cardinalis et episcopus Varmiensis, fuit, ut omnes norunt, dum vixit, exemplum innocentiæ, virtutumque omnium ; de cujus viri sanctitate, multa memoria et admiratione digna traduntur; sed illud in primis, quod singulis feriis sextis, quo fieret aliqua ex particula socius earum passionum, quas Christus pro omnium salute sustinuit, jubebat, se nudum ad lectuli sui columnam alligari atque a præfecto cubiculi, cujus ille fidei multum tribuebat, tantisper flagellis cædi, quoad sanguinis rivi defluerent. Erat præterea Christi pauperum studiosissimus, adeo ut fere quotidie ingenti illorum multitudine ejus ædes complerentur ; quibus, de œconomo suo, cui partiendæ inter eos pecuniæ partes attribuerat, tanquam per jocum ajebat : nisi erogaverit vobis eleemosynam, nolite eum recipere in æterna tabernacula. Hic vir igitur, sanctitatis laude clarissimus, acceperat, virum nobilem ex amicorum numero, graviter ægrotantem, libris delectari turpi argumento conscriptis, atque in eorum tractatione tempus, rem omnium pretiosissimam, fallere. Quamobrem statuit, eum invisere, non tam ut officium illud amico præstaret, quam ut illius animæ, periculosius laboranti, succurreret. Venit igitur ad eum, rogat, ut valeat. Respondet ille, molestissima

se febri jactari, neque posse partem ullam quietis accipere. Quærit, num saltem fallendi temporis gratia elegantis cujuspiam libelli se lectione oblectet ; et eadem opera inspicit in cervicali libellum : sumit, aperit, legit, atque eundem flagitiose ac nequiter scriptum invenit; tum in eum intuens : quid mirum est, ait, si tibi valetudo decrescit, et morbus fit amplior, qui hoc scriptorum genere delecteris ? Si aliud nihil in vita commeruisses, solum hoc flagitium, gravius, quam nunc est, esset animadvertendum. Remove te ab his studiis, et cum iis libris te libenter oblecta, unde melior ac doctior evadas. Ad hæc alia etiam non pauca addidit ; quibus impuros ei libros in odium et contemptionem adduceret ; illud magis laborans, ut hominem amicum, animi quam corporis morbo levaret. Neque operam perdidit : nam amicus, ea objurgatione acriter verberatus, perniciosum illum libellum Vulcano mandavit, atque eodem puncto temporis, tanquam si materiam morbi ejecisset, a se febrim una discussit. »

Corpus Stanislai cardinalis conditum in templo S. Mariæ trans Tiberim ; ibidem elogium hujus recitat Andreas du Sausay Parisinus episcopus in suo opusculo, inscripto sic : Insignis de Scriptoribus Ecclesiasticis Emin. cardinalis Bellarmini continuatio, pagina 28 :

D. O. M.
Stanislao Hosio
Polono
S. R. E. cardinali,
Varmiensi episcopo,
majori Pœnitentiario,
vitæ sanctitatis, eruditionis et eloquentiæ gloria
celeberrimo,
Catholicæ fidei acerrimo propugnatori ;
qui cum
antiquæ probitatis
et Episcopi vigilantiæ
præstantiam
in humilitate, charitate, castitate
et beneficentia expressisset,
hæreticas sectas scriptis et consiliis
sapientissime, ferventer oppugnasset,
multos ab erroribus revocasset,
gravissimisque legationibus
pro pace Ecclesiæ Dei,
tum apud Carolum V et Ferd. Cæsar., tum præcipue
in S. Concilio Tridentino,
Pie IV pontificis nomine,
feliciss. perfunctus,
Christianæ Reipublicæ
plurimum profuisset :

omnium virtutum laudibus et exemplis
ad imitandum abundans :
obdormivit in Domino
anno salutis 1579,
ætatis suæ 76.
Stanislaus patruo,
et
Stanislaus Rescius
Patrono beneficentissimo,
executores testamenti
posuere.

## AD LIBRUM III.

1583. Cardinalis Radivillus, gubernator Livoniæ, monet Rigenses, tranquillius et benignius cum Societatis Rigensi Collegio ut agant.

P. Laurent. Rubenus, Collegii Rigensis rector, Joanni Dalen, ministro Rigensium Lutherano, explicat ampliter veritates evangelicas.

1584. Idem alia epistola Rigensibus dogmata fidei catholicæ diserte proponit. Queritur Socios suos, civicæ salutis studiosos, tractari indignissime.

1585. Stephanus rex Rigenses turbulentos jubet quiescere. Idem P. Rubenum, Rigensis Collegii rectorem, adversus molimina hæreticorum confirmat.

1585. Derpatensis Collegii fundamenta jacta, eaque confirmantur. Res gestæ.

1586. Testimonium Præpositi Generalis Claudii Aquaviva de Sociorum Rigensium nullis postulationibus aut compactis sibi cognitis.

Testimonium cardinalis Radivilli de compacto, quo traderetur nostris armamentarium civicum, inter senatum Rigensem et Sociorum collegium, litterisque Sociorum de eo negotio nunquam sibi visis.

1583. Hominis inter hæreticos male versati conversio mirabilis ; quod P. Petrus Skarga in *Vitis Sanctorum* ad diem XIII septembris sic narrat :

« Anni 1583 IV nonas sextiles, cum versarer Polociæ, convenit me, non ante mihi cognitus homo, vir e Lituanica gente nobilis, Joannes Krypski : per suam meamque salutem ipsis etiam lacrymis orat, quæ via salutis sit, se ut doceam : hodie demum experrectum monitumque se intimo, divino certe impulsu, ut aliquando miserum animi sui statum recognoscat tandem, ac resipiscat. Complures, inquit, annos in Livonico exercitu operam navavi militarem ; hoc ipso infelix dispendio, quod inter hæreticos, eorum et profiterer dogmata, et ritu viverem ; tametsi id aliquanto post per confessionem peccatorum, apud sacerdotem e Societate Jesu institutam, pœnitens retractasset, omnia inde meliora de se pollicitus. Abjecto demum balteo, otiosum se hospitem Polociam inter ac Drujam oppida se consedisse. Hic in lethalem delapsus morbum, ad remedia prius ipse animi quam

corporis respicere : orare, quos posset, copia sibi sacerdotis uti fieret. Multis hinc quærendus erat itineribus catholici ritus presbyter. Ergo aliquis, qui propius aderat, e schismate Photiano sacrificulus accersitur. A malo is, credo, dæmone subornatus; qui me, inquit, ab ovili Christi abductum ad errantes Photii greges, in sempiternum raperet interitum. Id eum per suum flaminem, credo, attentasse. Oranti sacra remedia negavit præcise impius, se mihi prius salutaris officii quidquam præstaturum, quam suam fuerim Photii hæresim professus. Impetrasse non potuit, quæ Deo gratia sit, quod a me flagitabat malus genius. Mihi itaque me inopem destituit. Et jam oppressus morbo animam agebam. Grandis interim scena oculis objicitur et theatrum terribile. Videre mihi videbar ante tribunal augustissimum sordidatorum turbam, atque hic exclamasse arbitrum : hic etiam cui commune erat cum Jesuitis consilium, adest? Percussit animum ea vox. Dica mihi impingi visa. Itaque per ejus cuneos multitudinis ad conspectum Judicis tremens enitor, eluctatusque inter reos consisto. Immensa hic objecta duorum assidentium majestas; atque horum alter : hunc, inquit, missum facio : redeat. Ad hæc, experrecto similis, repente convalesco. Vivit, opinor, homo ille, inquit Skarga, mihique testis adesse potest eorum, quæ hic bona fide narravi. »

Annuæ Collegii Derpatensis insignes habent fructus, a Sociis lectos ex animis civium. Narratur, dispersum esse ab hostibus, e vicino irruentibus, Collegium.

Ibidem narratur, Mittaviæ hæreticum quemdam, cædem sacerdotis nostri anhelantem, repente mutatum.

## AD LIBRUM IV (pag. 190).

An. 1599. Disputatio nostrorum, in primis P. Martini Smiglecki cum calvinianis, in primis cum ministro ejus synagogæ Daniele Mikolaiewski; qui deinde, vulnera sua lingens, edidit mendaciis refertam apologiam sui certaminis, quam inscripsit : *Disputacia Wilenska, ktora mial X. Marcin Smiglecki z X. Danielem Mikolaiewskim sluga slowa Bozego : de Primatu Petri, a o jedney widomey glowie Kosciola Bozego* (1). Dnia 2. Czerwca w Roku 1599. Id est : Disputatio Vilnensis quam cum Daniele Mikolaiewski verbi divini ministro habuit Martinus Smiglecki, de primatu Petri et de unico capite visibili Ecclesiæ Dei. Die 2 julii an 1599.

## AD LIBRUM V (pag. 206).

Ad 1604. In translatione Divi Casimiri triumphus totius gentis celeberrimus, diserte descriptus est a Quirino Cnoglero. Vide librum inscriptum : *Theatrum S. Casimiri... et illustris pompæ in solemni ejusdem Apotheoseos instauratione*, Vilnæ Lituaniæ metropoli, V. Idus maii, anno 1604 instituta; et librum *Triumphus*

(1) [Hæc ita minus recte quidem, deficientibus typis Polono sermoni propriis].

*Divi Casimiri*, opera P. Joannis Rywocki edit. Vilnæ. In libro *Theatrum* non omisit scriptor mentionem templi dedicandi D. O. M. titulo S. Casimiri ad Domum nostram professam; quo tempore posita sunt ædificandæ sacræ ædis fundamenta. « Dies tertius, inquit, primo templi Casimiriani jaciendo lapidi datus est. Jactus est pone forum; ut, quo loco merces hactenus prostiterant, ibi deinceps commercia instituantur cœlitum. Benedictus est lapis ille, et solenni ritu consecratus a Vilnensi antistite Benedicto, præmissa sacra missa; cujus in medio, semihoram circiter, ad confertum Procerum populique cœtum Vilnensem dixit cum de statis sacræ ædis fundandæ ritibus, tum de religiosorum Societatis Jesu instituto eorum, qui, in perfectiori gradu siti, professi dicuntur, et ex mera piorum liberalitate vivunt. Ad hos enim cura ædis Casimirianæ derivata est.

## AD LIBRUM VI (pag. 270).

An. 1620. Characteres incisi in lapidem angularem, jactum ædificando templo Crosis: D. O. M.

A Salutifero integerrimæ Virginis partu anno primo supra MDCXX.

Christi in terris Vicario ad clavum Ecclesiæ tenendum secundis auspiciis recens electo, Sanctissimo D. N. Gregorio XV:

Ferdinando II Rom. Imp. semper Augusto, felicissime Orthodoxæ Fidei et Pacis, domitis hostibus, in imperatorio culmine trietericum emetiente spatium: Serenissimo Poloniarum rege Sigismundo III, septimum divina clementia in throno regali considente lustrum:

Olim a fel. record. D. Melchiore duce Giedroyc, episcopo Samogitiæ, Crosos in Samogitiam Patribus Societatis Jesu adscitis:

Illmi D. Joannis Caroli Chodkiewicz, Palatini Vilnensis M. D. Lituaniæ exercituum supremi, nec non adversus Turcam ab universo regno susceptæ expeditionis Generalis Ducis, Livoniæ gubernatoris, comitis in Szklow, Mysz, et Bychow, Derpatensis, Luban., Velon. castellorum Præfecti, munifica liberalitate fundatis: dum iidem Patres primæ structuræ templi, in honorem semper immaculatæ Virginis Mariæ, sub ejus præcipue in cœlum Assumptionis titulo erigendi, supra dicto anno, die 2 maii dant initium, Cœlicolis bene faventibus, Terrigenis applaudentibus.

Per Illmum ac Rever. in Christo Patrem et Dominum, D. Stanislaum Kiszka, Dei et Apost. sedis gratia episcopum Samogitiæ, primarius dedicor et in terræ visceribus condor lapis.

Celebravit hanc dedicationem carminibus, quæ inscripsit: *Sacra Lithothesis* in prima templi, Magnæ Virgini Matri dedicati, erectione, P. Mathias Sarbievius.

## AD LIBRUM VIII (pag. 323.)

1639. Privilegia academiæ Vilnensis et Societatis Lituanæ et Polonæ a Vladislao IV rege Poloniæ, cum P. Sarbievius in eadem academia insignibus Doctoris ornaretur, confirmata : « Vladislaus IV rex Poloniæ, M. Dux Lituaniæ, privilegia a seren. antecessore nostro Stephano anno 1578, et anno 1579, denique Varsaviæ in generalibus regni comitiis anno 1585 academiæ Vilnensi collata, ac deinde constitutione comitiorum anni 1635 non solum academiæ, sed omnibus in genere Societatis Jesu in regno et M. Ducatu Lituaniæ Collegiis indulta, in omni robore conservamus, et præsenti decreto in omnibus punctis, conditionibus, clausulis, paragraphis confirmamus, roboramus, et approbamus. » Vilnæ die 27 aprilis 1639, regni nostri anno septimo.

### 1. DOMICILIA, FUNDATORES ET TEMPORA EORUM.

Bobruisci Petrus Tryzna anno 1628; auxit redditibus Vladislaus IV rex cum Cæcilia Renata, deinde cum Ludovica Gonzaga, conjugibus.

Brunsbergæ cardinalis Hosius anno 1565.

Caunæ tres fratres germani Kojalovicii, an. 1642. Deinde Skorulscii et alii.

Crosis Joannes Carolus Chodkievicz an. 1616. — Derpati rex Stephanus an. 1583.

Drohicini Paulus Petrykowski canonicus Plocensis an. 1653.

Dunæburgi curavit domicilium P. Petrus Kulesza an. 1641.

Grodnæ rex Stephanus, deinde Stan. Kossobucki an. 1621, 1622. — Lindæ Stephanus Szadurski, [regius in aula Sigismundi III secretarius].

Lomsæ Adamus Nowodworski, primam coloniam Nicod. Kossakowski an. 1611.

Nesvisii Nicolaus Radivillus an. 1584. — Novogrodeci Martinus Gradovski.

Orsæ Sigismundus III an. 1610. — Pinsci Albertus Radivillus an. 1632.

Plociæ Martinus Szyszkowski an. 1611. — Polociæ Stephanus rex an. 1579.

Pultoviæ Andreas Noskowski an. 1565. — Regiomonti Joannes Casimirus rex.

Resselii Stephanus Szadurski an. 1631. Joannes Casimirus rex.

Rigæ Stephanus rex an 1581. — Schonbergæ Vladislaus Berch an. 1660.

Smolensci Alexander Gosiewski an. 1610.

Varsaviæ Sigismundus III et alii an. circ. 1608. Deinde Joan. Casimirus rex.

Vendæ Otto Schenkingus an. 1613.

Vilnæ Coll. Acad. Valerianus Episc. an. 1570. — Novitiorum Domus an. 1604, in primis a rege Stephano. — Domum professorum et templum Carolus Ferdinandus Princeps perfecit cœpta a Sigismundo rege an. circ. 1604.

Vitebsci ab Alexandro Gosiewski 1637.

Vornis in Samogitia Melchior Giedroyc Ep. an. 1623.

## II. PP. PRÆFECTI PROVINCIALES ET VISITATORES PRIMI.

1. Balthassar Hostovinus, bohemus, a Joanne Francisco Commendono, Nuntio Apostolico, in Poloniam adductus anno 1564 ad fundanda Collegia. Collegiis nascentibus Brunsbergæ, Pultoviæ, Vilnæ, præfuit. Mortuus Commotovii anno 1600, ætat. 66, Societat. 45, a professione 31. — 2. Franciscus Sunner, pro Magio provinciali Austriæ, Socios in Polonia et Lituania rexit ab anno 1566 ad 1576. Visebat interim Socios in Lituania et Polonia etiam P. Magius. Creatus provincialis P. Sunner præfuit ab anno 1576 ad 1580. — 3. Laurentius Magius visitator provinciæ Lituanicæ et Polonicæ anno 1580. — 4. Joannes Carminata visitator 1581. — 5. Joannes Campanus provincialis ab anno 1581. Habuit aliquamdiu vicarium in munere. V. Histor. pag. 136, num. 40. — 6. Ludovicus Masellus visitator et provincialis 1590. — 7. Bernardinus Confalonerius provincialis 1594. — 8. Garsias Alabianus provincialis an. 1598. Quo Romam vocato, administravit provinciam P. Fridericus Bartsch. — 9. Hieronymus Dandinus, missus Roma visitator et provincialis. Huic successit vicarius Paulus Boksza. — 10. Decius Stiverius provincialis ab anno 1603. Hoc præfecto, provincia Lituanica divisa est a Polonica anno 1608.

## III. A DIVISA PROVINCIA POLONIÆ ET LITUANIÆ

### PROVINCIALES IN POLONIA PRIMI.

1. Petrus Fabricius.
2. Joannes Argentus visitator.
3. Stanislaus Gavronski provincialis.
4. Joan. Argentus 2do provinc.
5. Georgius Tyszkiewicz.
6. Henricus Pichert.
7. Pamphilus Lamberteng visitator.
8. Gaspar Druzbicki provinc.
9. Martinus Hincza provincalis.
10. Andreas Gutthæter Dobrodzieyski provinc.

### PROVINCIALES IN LITUANIA PRIMI.

1. Paulus Boksza, seu Boxa, Roxolanus, Vilnæ annos 10 præpositus domus professæ. Rexit alias Collegium Brunsbergæ. Mortuus Superior residentiæ Cracoviensis, 4 septembris 1627, ætat. 75, Societ. 52, provincialis in Lituania anno 1608.

2. Joanes Argentus visit. ab anno . 1614
3. Joan. Niklewicz provinc. ab anno. 1615
4. Ignatius Vivaldus circa . . . 1619
5. Michael Ortiz prov. ab anno . . 1624
6. Joan. Jamiolkowski ab an. . . 1627
7. Pamphilus Lamberteng visit. an . 1630
8. Nicolaus Lenczycki ab anno . . 1631
9. Laurentius Bartilius ab an. . . 1635
10. Jacobus Lachowski ab an . . . 1635
11. Fabricius Bamphus visit. an . . 1639
12. Joannes Jamioklowski secundum ab anno. . . . . . . . . . 1639
13. Joan. Gruzewski ab an . . . . 1645
14. Melchior Schmeling ab anno. . 1646
    Mortuus Nesvisii . . . . . . 1648
15. Simon Blonski, vulgo Blonensis, V. Hist. p. 345 . . . . . . . 1648
16. Andreas Klinger anno . . . . 1648
17. Joan. Rywocki an. . . . . . . 1650
18. Jabobus Ugoski ab an . . . . 1653
19. Albertus Cieciszewski ab an . . 1655
20. Joan. Wyszkiewicz pro provinc.
21. Gregorius Schönhoff ab an . . 1658
22. Joannes Rywocki 2dum . . . 1662

## IV. RECTORES ET PRÆSIDES.

### BOBRUISCI.

Sociorum præsides Bobruisci — Missionarii primi.

Inter Socios primos PP. Stanislaus Klosowki et Michael Krecsman, an. 1627. Bobruisci oblatum domicilium a Petro Tryzna anno 1627. V. Hist. pag. 285 n. 36.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Andreas Bobola ab anno . . . . | 1633 | Joannes Szylpa ab anno. . . . . | 1649 |
| Stanislaus Tomislawski ab an. . . | 1637 | Dissipati Socii ab hoste anno . . . | 1651 |

### BRUNSBERGÆ (1).

| | | | |
|---|---|---|---|
| Christophorus Strombellius ab anno. | 1565 | Joan. Huber | |
| Gubernavit annos 6. | | Nicolaus Stadfeld mortuus . . . . | 1612 |
| Philippus Vidmandstadius anno . . | 1570 | Joannes Berent . . . . . . . . | 1626 |
| Paulus Boksza inter hæc tempora. | | Andreas Klinger circa . . . . . | 1640 |

### CAUNENSIS DOMICILII.

Joannes Gruzewski (rector idem et Collegii Vilnensis) an. 1642. — Vice rector Adamus Sobolewski, ab anno 1642. — Socii primi in coloniam cum hoc missi : P. Georgius Gruneberg, et fratres germani Kojalowicii : Albertus, Casimirus, Petrus. [V. Hist. p. 333].

(1) In editione Vilnensi legitur, ad calcem voluminis, alia series cum sequenti præmonitione : « Catalogus rectorum Collegii Brunsbergensis, ex tabularii domestici bello Suetico dissipati reliquiis a R. P. Mathia Kononowicz, ejus Collegii hodie rectore, ad scriptorem post absolutionem jam hujus operis missus. Alia hic omnino rectorum series, quam sit a scriptore e tabulis provincialis archivi, ab ipso etiam quæsita curiose, collecta atque hic pag. 434 proposita. Utrum mavis, accipe, quando quidem utrum sit certius, aliunde non constat.

1. Joannes Jacobus Astensis, renuntiatius 16 decembr. 1566.
2. Antonius Possevinus (qui tantum, quod sciam, viserit Brunsbergam, legatus in Poloniam, Sueciam et Moscoviam a Pontifice Romano in certis Ecclesiæ negotiis) circa annum . . . 1581

| | | | |
|---|---|---|---|
| 3. Jacobus Eugenius circ. . . . . | 1603 | 8. Thomas Klagius a 16 april. . . | 1650 |
| 4. Andreas Nakiel circ. . . . . . . | 1614 | 9. Nicolaus Heckier a 16 april. . . | 1653 |
| 5. Andreas Klinger circ. . . . . | 1639 | 10. Georgius Ageyson ab. an. . . | 1657 |
| 6. Joannes Rywocki ab. an. . . . | 1641 | 11. Joannes Blaszkowski a 6 dec. . . | 1661 |
| 7. Georgius Kintz a 30 aug. . . . | 1646 | 12. Joannes Berent ab. 8 febr. 1665. | » |

Ita editio Vilnensis anni 1768.

[Cum uterque hic catalogus mancus sit et incertus, addere placet tertium longe uberiorem et ex variis fontibus haustum, quem nempe clar. Franz Hipler exhibuit in præstanti suo opere de *Historia litteraria episcopatus Varmiensis*, germanice scripto (Brunsbergæ et Lipsiæ, 1873) , p. 163 : 1. Christophorus Strobel (1565-1566). 2. Joannes Jacobus Astensis (1566-1567). 3. Balthasar Hostovinus (1570). 4. Philippus Widmanstadt (1570-1582). 5. Paulus Boksza (1583). 6. Fridericus Bartsch

## CROSENSIS COLLEGII (1).

Melchior Dowgialo primus in hac colonia præses an. 1608, cum Socio P. Mathia Galmin.— Joan. Jamiolkowski primus rector ab anno 1616. — Joannes Komparski circa 1620. — Petrus Möller anno 1629.

## DERPATENSIS.

Theodoricus Hausese primus rector an. 1583. Socios v. l. III. n. 12.

Andreas Leomannus circ. 1607. Captus a Suecis in statione Vendensi.

## DROHICINENSIS.

Joannes Sawicki ab an. 1655 mense majo, in colonia versatus anno 1653. [Vid. in Histor. pag. 373, n. 10.]

Valentius Kosinski ab an. 1658.

(1584-1590). 7. Joannes Huber (1593). 8. Michael Ottonius Brabantinus (1597). 9. Jacobus Eugenius (1603). 10. Franciscus Petrosa (1608). 11. Joannes Huber, secundum (1611). 12. Nicolaus Stadfeld (1612). 13. Andreas Nakiel (1614-1619). 14. Andreas Bruchmann (1620). 15. Philippus Frisius (1623). 16. Joannes Berent (1626 et 1636). 17. Andreas Klinger (1639). 18. Joannes Rywocki (1641). 19. Georgius Hintz (1646-1649). 20. N. Erenst (1650, vicerector?). 21. Thomas Clagius (1650). 22. Georgius Prothmann (1653?). 23. Nicolaus Heckier (1653). 24. Gorgonius Ageison (1657). 25. Joannes Blaszkowski (1661). 26. Jonnes Berent, cf. 16 (1665-1669). 27. Joannes Blaszkowski, secundum (1670). 28. Michael Radau (1673). 29. Gregorius Schill (1676). 30. Andreas Rybski (1685). 31. Leonardus Weiss (1687). 32. Tobias Arent (1690). 33. Joannes Drews (1694). 34. Joannes Rochell (1697). 35. Andreas Thatter (1701). 36. Joannes Brictius (1705). 37. Simon Bochorn (1708). 38. Franciscus Krieger (1711). 39. Jacobus Rabasch (1715). 40. Daniel Friedrich (1718), vicerector?. 41. Theophilus Zablocki (1721, tertio). 42. Martinus Brictius (1723). 43. Urbanus Alshutt (1726). 44. Josephus Babek (1728-1731). 45. Petrus Lingk (1731). 46. Josephus Babek, Cf. 44 (1735). 47. Josephus Poschmann (1740). 48. Michel Nahser (1740-1743). 49. Theodorus Aucepius (1744-1748). 50. Michael Nahser, secundo (1748-1754). 51. Petrus Zimmermann (1754-1762). 52. Adalbertus Harrasch (1762-1765). 53. Josephus Poschmann, cf. 47 (1765). 54. Mathias Kononowicz (1766). 55. N. Szaba (1772-1778).] Mitto reliquos.

(1) En alium catalogum qui in edit. Viln. an. 1768 habetur infra, pag. 441.

### CROSENSIS COLLEGII RECTORES.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Joannes Jamiolkowski | 1617 | Andreas Guzewski | 1653 |
| Joannes Kasparowicz | 1628 | Jacobus Pasurkiewicz | 1655 |
| Michael Kownacki | 1631 | Bartholomeus Zembrzuski | 1658 |
| Adamus Sobolewski | 1644 | Daniel Butwill | 1661 |
| Joannes Jamiolkowski | 1647 | Sigismundus Lauxmin | 1665 |
| Valentinus Kosinski | 1650 | | |

## DUNEBURGENSIS.

Petrus Kulesza ann. circ. 1630. [Vid. in Hist. pag. 331, n. 2.]

## GRODNENSIS.

Primi Grodnam in coloniam venerunt PP. Adamus Kolozembski et Zacharias Skorulski. Habitarunt in æde capitanei Perstunensis Dom. Massalski mensem unum. Consederunt inde in ædicula ad parochiam, empta a P. Leszewski, theologo regis Vladislai IV aulico, anno 1623. His mox Socii additi eodem anno P. N. Alchimowicz, et Jacobus Stankun adjutor. Gubernarunt domum hoc ordine.

### SUPERIORES RESIDENTIÆ.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Adamus Kolozemski mission. circa | 1623 | Valentinus Czernicki. | 1643 |
| Hieronymus Kierdy mission. circa | 1634 | Mathæus Sokolnicki 20 maii. | 1645 |
| Ladislaus Stempkowski superior Resid. | 1635 | Sylvester Drezewski 11 augusti. | 1647 |
| Mathias Leski. | 1636 | Georgius Erenst 1 augusti. | 1650 |
| Paulus Kozlowski. | 1639 | Sylvester Drezewski 2dum 3 jun. | 1654 |
| Georgius Rafalowicz. | 1641 | Hieronymus Dziewaltowski 2 dec. | 1660 |

### RECTORES COLLEGII.

Hieronymus Dziewialtowski ex Superiore ultimis mensibus rector 1mus.
Joannes Swierczewski rector 2dus a 1664, 17 septemb. gub. annos 3.
Bartholomæus Ziemblicki renuntiatus anno 1867, 3 decemb.

## LINDENSIS MISSIO.

Simon Hein anno 1631 primus venit in coloniam. Mortuus ibidem anno 1654.

## LOMSENSIS.

In hanc coloniam venerunt invitati a Joanne Chociszewski, canonico Varsaviensi, præposito Lomsensi, PP. Jacobus Lachowski et Georgius Skarzynski, anno 1611.

## NESVISIENSIS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Albertus Mroskowski ad an. 1595, ab. | 1568 | Valentinus Matthei ad an. | 1614 |
| Melchior Ditig ad an. | 1602 | Simon Gos mortuus die 19 jan. | 1616 |
| Alb. Mroskowski secundo ad an. | 1605 | Michael Ortiz, hispanus ab an. | 1616 |
| Michael Salpa ad an. | 1608 | Joan. Alandus ad an. | 1623 |
| Mathias Galmin ad an. | 1610 | Albertus Slaski ad an. | 1627 |
| Ibid. mortuus. | | Michael Ortiz secundum, ad an. | 1630 |

Albertus Slaski secundum ad an. . 1635
Christoph. Zalewski ad an. . . . 1637
Gregorius Hoffman translatus ad regendum. coll. Polociæ anno. . . 1638
Andreas Luszkowski ad an. . . . 1641
Michael Ginkiewicz ad an. . . . 1644
Thomas Clagius ad an. . . . . 1647
Stanislaus Bobinski, tumultuantibus Cosacis.
Andreas Szczepkowski finivit regimen anno . . . . . . . . . . . 1653
Osvaldus Kruger, mortuus Grodnæ die 6 maii anno . . . . . . . 1655
Stephanus Zalewaka pro rectore ad an. 1658. Hoc præside dissipata res omnis Collegii ab hoste.
Raphael Klosowski ad an. . . . 1661
Fundamenta domus et templi S. Raphaelis v. Hist. pag. 241.

## SUPERIORES RESIDENTIÆ NOVOGRODENSIS.

Jacobus Roznovolski, Subsylvanus, coadjutor spiritualis, resid. sup. ab anno 1631.
Joannes Kezdziernawski, Masovita, coadjutor spiritualis, rexit ab anno 1630.
Jacobus Ugoski, Subsylvanus, superior ab anno 1641.
Joannes Szylpa Lituanus, ab anno 1645.
Paulus Idzkowski Subsylv., coadjutor spirit., ab an. 1647.
Georgius Rafalowicz, Polon. coad., interfectus 1655, 6 septemb. sepultus in templo unitorum. Socius suus, minister domus P. Andreas Kaweczynski abductus in Moschoviam in vinculis. Post decennium redux, obiit Nesvisii 1667. Primus benefactor templi Faszczoviæ.
Joannes Chondzynski sup. resid. emit prædium Jatry 1657.
Lucas Zaluski, Rutenus, S. T. D. gubernavit ad annum 1658.
Ladislaus Rudzinski, Masovita, gub. a 1658.
Adamus Wardacki, Masovita, a 1662.

## ORSENSIS.

Duorum tantum in tabulis archivi præsidum mentio : PP. Hieronymi Kieniszkis Lituani, et N. Rawan ; cui P. Hieronymus successit, ad episcopum Samogitiæ evocato, rexitque circa annum 1612.

P. Martinus Kownacki an. 1626. Vid. in Hist. pag. 285, n. 35.

## PINSCENSIS.

Albertus Plocki primus rector : mortuus . . . . . . . . . . . 1637
Georgius Hoffman ab anno . . . . . . . . . . . . . . 1637
Andreas Wolowicz renuntiatus rector . . . . . . . . . . . 1651
Hic jecit lapidem angularem condendo Collegii domicilio.
Simon Ugniewski circa . . . . . . . . . . . . . . . 1660
Andreas Guzewski, Samogita, tertius Collegii rector : nuper pro-provincial., deinde præpos. domus professæ Vilnæ; mort. 12 septemb. an. 1665, ætat. 67, Societatis 37.

## PLOCENSIS.

Nicolaus Niszczyc, Lituanus, superior domus ab anno . . . . . . . . 1611
Sebastianus Roman, Vilnensis, ab an. 1620
Andreas Obrempski, Masovita, ab an. 1620
Andreas Kowalewski, Masov., primus collegii rector ab anno . . . . 1626
Præfuit religiosis S. Benedicti alias, alias religiosis S. Basilii. .
Stanislaus Radomyslensis, Polonus, præfuit ab anno. . . . . . . . 1633
Gregorius Cislak, Silesita, ab anno . 1635
Gaspar Olszynski. Masovita . . . 1639
Martinus Rydzewski, Subsylvanus, rexit ab anno . . . . . . . . 1642
Sigismundus Lauxmin, Samogita, ab 1644
Simon Sokolnicki, Masovita, rexit annos duos . . . . . . . . . . 1649
Joan. Andrzeykiewicz, Lituanus . . 1651
Lucas Paprocki, Polonus . . . . 1655
Paulus Laskowski, Masowit . . . 1658

## POLOCENSIS.

Petrus Skarga ab anno . . . . . 1582
Stanislaus Wloszek . . . . . . 1585
Adamus Jakubowicz . . . . . . 1595
Michael Slabowski . . . . . . 1596
Adam. Jakubôwicz secundum . . . 1597
Adalbertus Przewodziszewski . . . 1599
Mich. Slabowski secundum . . . . 1600
Valentinus Matysewicz . . . . . 1605
Adamus Jakubowicz tertium . . . 1611
Simon Blonensis . . . . . , . . 1617
Stanislaus Kosinski . . . . . . 1626
Jacobus Lachowski . . . . . . 1629
Stan. Kosinski secundum . . . . 1630
Jacobus Lachowski secundum a . . 1633
Joan. Kendzierzawski. . . . . . 1634
Adalb. Slaski . . . . . . . . . 1635
Gregorius Hoffman . . . . . . 1639
Andreas Bruchman . . . . . . . 1640
Stan. Kosinski tertium . . . . . 1641
Jacobus Ugoski . . . . . . . . 1647
Simon Jordan . . . . . . . . . 1651
Augustinus Jaguza . . . . . . . 1652
Stanislaus Przygodzky . . . . . 1653
Hoc rectore Collegii Moschus expugnavit Polociam, annosque tredecim tenuit.

## PULTOVIENSIS.

Stanislaus Rozdrazewski. . . . . 1565
Hoc anno socios Pultoviam introductos scribit P. Jacobus Szufranski l. 4. c. 17. *Collegia Societatis Jesu w Polszcze*, 133,ed. Cracov. 1593
Stanislaus Grodzicki ab anno. . . 1578
Joannes Brant . . . . . . . . . 1580
Petrus Fabricius . . . . . . . . 1583
Joan. Jankowski . . . . . . . . 1597
Martinus Smiglecki . . . . . . 1601
Jacobus Korytowski . . . . . . 1603
Simon Niklewicz . . . . . . . 1608
Florianus Kosinski . . . . . . 1619
Laurent. Bartilius. . . . . . . . 1620
Joan. Akierban . . . . . . . . .
Gregor Cislak . . . . . . . . . 1636
Simon Ugniewski . . . . . . . . 1639
Andreas Milewski . . . . . . . . 1642
Barthol. Oleszkiewicz . . . . . . 1646
Thomas Porzecki . . . . . . . . 1650
mort. peste 9 julii . . . . . 1653
Jacobus Osuchowski . . . . . . 1655
Adalbertus Kuklinski . . . . . 1657
Jacobus Ugoski . . . . . . . . . 1658
Adalb. Menkalski 1 a jun. . . . 1664

## RESSELIENSIS.

PP. Andreas Bruchman et Simon Hein 1631 mission.
Andreas Klinger, Prutenus, primus rector ab an . . . . . . . . . 1631
Thomas Klagius, Pruten. primum ab anno 1636, secundum . . . . . 1639
Simon Hein, Pruten. primus rector a 1642
Georgius Seger Prutenus a 1645, primus rector præfuit collegio sociorum ab an.. . . . . . . . . . . 1649
Albertus Kuklinski, Masov. primum ab 1651 : secundam ab . . . . 1667
Petrus Stefanowicz, Polonus. . . . 1655
Bernardus Roth, Prutenus . . . . 1658

## RIGENSIS

Petrus Skarga.
Leonardus Rubenus . . . . . . . 1583
Theodoricus Von-der-Ave, idem.
Philippus Frisius, capta a Suecis Riga, alio se cum sociis transtulit.
Petrus Mollerus ante annum . . . 1616

## SMOLENSCI.

Joannes Komparski ad annum. . 1622
Joannes Bielinski ad an. . . . . 1644
Joannes Jachnowicz ab anno . . . 1644
Nicol. Slaski cum Collegio expulsus.

## VARSAVIENSIS.

### DOMUS PROFESSÆ ET COLLEGII.

1 Stanislaus Wloszek, superior residentiæ ab an. . . . . . . . . 1599
2 Melchior Ditius, superior ab anno. . . . . . . . . . . . . 1603
Joan. Lisiewski, primus domus professæ præpositus ab . . . . . . 1606
Andreas Nowacki ab an. . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1609

Hoc præposito jactus lapis augularis ædificando templo, consecratus ab Andrea Opalinski, episcopo Posnanieusi, media hyeme anno 1609. [Vid. Histor. pag. 219, n. 33.]

Stan. Wloszek secundum ab . . . 1614
Joan. Lesiowski ab . . . . . . 1615
Joan. Lachowski ab . . . . . . 1619
Simon Niklewicz . . . . . . . 1622
Andreas Nakiel . . . . . . . 1625
Joan. Gruzewski . . . . . . . 1628
Joan. Jamiolkowski . . . . . . 1631
Joan. Laski . . . . . . . . . 1642
Simon Blonski . . . . . . . . 1645
Joan. Bapt. Adriani ab . . . . . 1649
Albertus Laski ab . . . . . . 1651
Joan. Rywocki. . . . . . . . 1655
Albertus Cieciszewski . . . . . 1659
Albertus Kuklinski . . . . . . 1660
Joannes Andrzeykiewicz . . . . 1663

## VENDÆ.

P. Ertmannus Tolgsdorff anno 1614 primus cum P. Stribingo introductus; hos mox consecutus. P. Petrus Kulesza, qui etiam præfuit.

## VILNENSIS

### DOMUS PROFESSÆ.

Paulus Boksza ab anno . . . . . 1615
Andreas Novacki . . . . . . . 1625
Melchior Schmeling . . . . . . 1628
Michael Kovnacki. . . . . . . 1633
Martinus Hincza . . . . . . . 1639
Andreas Luszkowski. . . . . . 1642
Michael Ginkievicz anno . . . . 1645
Andreas Milewski, hoste civitatem Vilnensem cædente 1665, mense Aug. die 10, subduxit se: mortuus Varsaviæ an. 1666, mense augusto, ætat. 65, Societatis 45.
Andreas Gruzewski ab an. . . . 1658
Albertus Kojalowicz ab anno . . . 1662

### COLLEGII.

Vilnam in primam coloniam adducti ex Olomucensi Collegio Socii PP. Baltassar Hostovinus et Andreas Frisius. — Stanislaus Warszewicki primus Collegii rector ab an. 1570, 3 oct. — Pro Warsevicio in Sueciam misso a R. P. gubernavit, vicarius muneris, Petrus Skarga ab anno 1574. — Jacobus Wujek pro rectore an. 1578. — Ferd. Capeciusa. vice-rector 1584.

Skarga primus coll. et acad. rector. 1580
Paulus Boksza a. . . . . . . . 1584
Garsias Alabianus . . . . . . . 1587
Fridericus Bartsch . . . . . . 1593
Leonardus Kraker . . . . . . 1597
Michael Ortiz . . . . . . . . . 1606
Stanislaus Wloszek . . . . . . 1608
Simon Niklewicz. . . . . . . . 1611
Michael Salpa pro rectore . . . . 1614
Joan. Gruzewski a . . . . . . 1615
Simon Niklewicz secundum . . . 1619
Simon Ugniewski . . . . . . . 1628
Melchior Schmeling ante annum. . 1646
Benedictus de Soxo . . . . . . . 1646
Casimirus Kojalowicz . . . . . 1657
Daniel Butwil. . . . . . . . . 1660
P. Michael Ginkiewicz mortuus . . 1663
Andreas Wolowicz . . . . . . . 1663

### DOMUS PROBATIONIS.

Michael Becanus, primo Riga cum novitiis translatus Polociam, hinc cum iisdem Vilnam venit kalend. novemb. anni 1604. Acceptus in aulam Sigismundi III anno. . . . . . . . . . . 1610
Joan. Jamiolkowski ab an. . . . 1622
Simon Blonski a 1626, annos 18 rector et magister novitiorum . .

| | |
|---|---|
| Laurentius Bartilius ab anno . . . 1611 | Andreas Klinger a. . . . . . . 1642 |
| Petrus Mollerus sive Millerus a . . 1616 | Jacobus Brent mortuus 15 jan. . . 1652 |
| Stanisl. Bobinski a . . . . . . . 1618 | Matthæus Gzowski (1) a. . . . 1652 |
| | Ladislaus Rudzinski a . . . . . 1662 |

## V. CONGREGATIONES PROVINCIALES.

Visitatore et vicario provinciali Francisco Sunnerio, habitæ Congregationes provinciales quatuor : prima anno 1568, mense majo, ex Patribus congregatis octo, Viennæ. Electus tum procurator P. Hurtadus Perez, Collegii Olomucensis rector. Secunda Con. an. 1571, mense aprili, electus procurator P. Emericus Forslerus, rector Collegii Viennensis. Substitutus Romam ivit P. Venceslaus Sturmius. Tertia Congregatione, anno 1572, præsente procuratore Collegiorum provinciæ Lituanicæ, P. Richardo Fectonio, electi missique ad eligendum Præpositum Societatis Generalem PP. Jacobus Avellanda et Venceslaus Sturmius. 4. Congreg. anno 1576, 16 januarii, electus procurator P. Emericus Forslerus, rector Collegii Viennensis.

Tum ex Collegiis Polonicis et Lituanicis prima habita Congregatio Boszeviæ,in prædio Collegii Pultoviensis, primo Lituanicæ Provinciali provinciæ P. Francisco Sunnerio, secretario Congregationis P. Stanislao Warszewicki, rectore Collegii Vilnensis. Electus procurator P. Philippus Vidmanstadius, rector Collegii Brunsbergensis. Congregati sacerdotes 8.

Eodem præside Provinciali a PP. XI congregatis, 22 septembris anni 1578, electus procurator P. Jacobus Wujek, vice-rector Collegii Vilnensis.

Eodem Provinciali, habita Congregatio tertia Pultoviæ, XXV novembris anni 1580. Mortuo præside Provinciali, præfuit Visitator Laurentius Magius, secretario Petro Skarga, rectore Collegii Vilnensis : electi et missi ad eligendum Præp. Generalem PP. Adamus Brocus et Guilhelmus Good.

Anno 1581, Visitatore provinciæ P. Joanne Carminata, præside provinciæ P. Joanne Campano, tres habitæ Congregationes : 1. Calissii, 10 maii anni 1584 : electus procurator P. Jacobus Wujek. 2. Congregatione, habita Jaroslaviæ, anni 1587 mense julio, electus procurator P. Stan. Warszewicki. 3. Nesvisii celebrata, præsentibus principibus Radivillis, Nicolao fundatore Collegii Nesvisiensis, et Georgio cardinale (quo tempore jactus est lapis angularis condendo templo Collegii) anni 1590 mense julio. Electus procurator P. Stanislaus Grodzicki.

Anno 1593, Visitatore et Provinciali Ludov. Masello, Congregatio habita Pultoviæ mense julio. Electi electores Generalis Præpositi PP. Jac. Wujek et Stan. Grodzicki.

(1) Hoc rectore, novitii translati pestilenti Vilnæ tempore in prædium Pelicany, deinde bello Moscovitico Kondzynum, et Olszynum in prædium collegii Lomzensis.

Anno 1594, Provinciali Bernardino Confalonerio, Congregatio habita Pultoviæ X augusti. Electus procurator P. Paulus Boksza.

Anno 1598, Provinciali Garzia Alabiano, congregati PP. 36, Posnaniæ, mense septembri. Patre Garzia Romam evocato, vicario hujus P. Friderico Bartsch, electus procurator P. Adalbertus Mroszkowski, substitutus P. Gaspar Sawicki.

Anno 1600, Visitatore provinciali Hieronymo Dandino, proprovinciali Paulo Boksza, habita Calissii Congregatio anno 1603, mense augusto. Præsidebat quadraginta in ea congregatis missus Roma Provincialis Decius Stiverius, Patre Boksza Vicario provinciali Lituanico. Electus procurator P. Fridericus Bartsch. Eisdem præsidibus, habita Congregatio Vilnæ in Collegio XVI julii anni 1606. Electus procurator P. Petrus Fabricius.

Anno 1607, mense junio, electi missique ad eligendum Præpositum Generalem, PP. Paulus Boksza et Martinus Smiglecki.

Anno 1611, Brunsbergæ mense julio, ex 25 Patribus electus procurator P. Andreas Novacki, præpositus domus Varsaviensis.

Anno 1614, X augusti, in Collegio Vilnæ, e 31 Patribus electus procurator P. Simon Niklewicz, rector Collegii Vilnensis.

Anno 1615, mense julio Vilnæ, electi electores Præpositi Generalis PP. Paulus Boksza præpositus domus professæ Viln. et Joannes Lesiewski præpositus domus prof. Varsav.; præposito provinciæ P. Simone Niklevicz.

Anno 1619, præpos. prov. Augustino Vivaldo, Vilnæ in Collegio electus procurator P. Simon Niklevicz, præpos. dom. prof. Vilnensis.

Anno 1622, mense julio, Vilnæ, electus procurator P. Joan. Gruzewski.

Anno 1625, Provinciali Michaele Ortisio, Nesvisii, mense julio electus procurator P. Joan. Jamiolkowski, rector novitiorum.

Anno 1633, Provinciali Nicolao Lancicio, Vilnæ, in Collegio, electus procurator P. Joannes Jamiolkowski præpos. Varsaviensis.

Anno 1636, mense julio, Vilnæ in Collegio, electus procurator P. Simon Ugnievski.

Anno 1639, mense julio, Provinciali P. Jacobo Lachowski, Vilnæ in domo professa electus procurator P. Adalbertus Slaski.

Anno 1642, mense julio, Provinciali P. Joanne Jamiolkowski, Vilnæ in domo professa electus P. Melchior Schmeling.

Anno 1645, Provinciali Joanne Gruzewski, Pinsci, mense julio, electi electores Præpositi Generalis PP. Nicolaus Lancicius, Benedictus de Soxo, et Joan. Jamiolkowski rector Crosensis.

Anno 1649, P. Andrea Klinger Provinciali, Vilnæ in domo professa, mense majo, electus procurator P. Gregor. Schonhoff. Hac Congregatione per mortem

Generalis Caraffæ frustrata, ibidem mense augusto adlecti Provinciali electores generalis PP. Gregorius Schonhoff et Stanislaus. Tomislawski.

Anno 1651, mense septemb. Joanne Rywocki Provinciali, Vilnæ in domo professa electi electores Generalis PP. Sigismundus Lauxmin rector Polocensis, et Adalbertus Slaski Vice-præposit. Varsaviensis.

Anno 1655, mense julio, Provinciali Adalberto Cieciszewski, Varsaviæ, electus procurator P. Adalbert. Kojalowicz, rector Collegii Vilnensis.

Anno 1658, mense julio, provinciali Gregorio Schonhoff, Varsaviæ, electus procurator P. Jacobus Ugoski.

Anno 1660, mense septembri, Lomsæ, electi electores Præpositi Generalis PP. Joan. Rywocki et Stanislaus Tomislowski.

## VI. SCRIPTORES

E LITUANICA PRIMO SÆCULO SOCIETATIS JESU PROVINCIA; QUORUM SCRIPTA VEL RECENSET P. NATHANAEL SOTUELLUS IN BIBLIOTHECA SCRIPTORUM SUA, VEL NOS COLLEGIMUS.

**Alandus**, JOANNES [ficto nomine Tryznæ quandoque usus] edidit :

1° Libellum in 8° De miraculis SS. Angelorum ad ædem S. Michaelis Nesvisii. Vilnæ typ. Acad. 1650. 2° Soliloquia S Augustini ex latino in polonicum translata, nomine D. Tryzna. 3° Vitam Nicolai principis Radivilli Fund. Coll. Nesviesiens. 4° Devotionem hebdomadariam ad S. Michaelem, latine et polon. 1630.

**Bartilius**, LAURENTIUS, [natione Polonus, patria Tornaviensis], reliquit :

1° Officia de S. Michaele, Angelo custode, et aliis angelicis Spiritibus. 2° Modum recitandi coronam B. V. 3° Modum rite confitendi et communicandi. 4° Alphabetum spirituale. 5° Officium probi pueri. 6° Remedia contra luxuriam. 7° Praxes exstirpandorum vitiorum, et inserendarum virtutum. Libellus hic jam typis vulgatus, isque utilissimus.

**Bartsch**, FRIDERICUS, edidit sub nomine Friderici Brusci Theologi libellum :

1° Responsio benevola et christiana; qua refutat Orationem Andreæ Volani hæretici, Lituanos a secta Calvinica ad fidem Catholicam conversos revocantis. 3° Speculum Jesuitarum : contra Danielem Cramerum ministrum Lutheranicum. Brunsbergæ 1603. 3° Thesaurus spiritualis rerum ac documentorum variorum, ad Societatem Jesu pertinentium. 1607. 4° Thesaurus precum ac variarum exercitationum spiritualium, ex variis auctoribus nostræ Societatis collectus. 5° Commentarii in Evangelia Adventus et Dominicarum 1607.

**Berent,** SIMON, Prutenus, acceptus in Soc. 1600, Brunsbergæ in seminario Pontificio præfuit annis 6, mortuus ib. 1649, 16 maii. Edid. Opera musicalia Litaniarum de Nomine Jesu et Lauretanarum.

**Bojer,** LAURENTIUS, natione Suecus, poeta laureatus, acceptus in Societatem 1587, juvenis annorum 24 : in Societate docuit eloquentiæ artes annos 9, mathematicam triennium, theologiam polemicam biennium. Mortuus P. Laurentius Brunsbergæ 13 febr. 1619, ætatis 47. Multa carmine scripsit heroico ; inter alia sunt :

1° Carolo-machia, sive victoria auspiciis Sigismundi II regis Polon. de Carolo Sudermaniæ duce, anno 1605 in Livonia relata. Typis Viln. Acad. an. 1605. — 2° Pompa Casimiriana, Brunsb. in 4., carmine heroico.

**Boym,** BENEDICTUS, Roxolanus, mortuus Vilnæ in domo professa anno 1670, 28 febr. ætatis 41. Revocandorum schismaticorum ad Ecclesiam diligens curator : quorum causa edidit Elementa fidei catholicæ, et librum *Wiara Starodawna*, id est, Fides antiqua, typis Vilnens. 1668.

**Brant,** JOANNES, Polonus, patria Posnaniensis, acceptus in Societatem 1517, ætat. 18. Romæ studiis theologiæ confectis, biennio in summo conscientiæ prætorio, quod S. Pœnitentiariam vocant, ad D. Petri confessarius. In Polonia diu docuit humaniores disciplinas, divinæ Scripturæ oracula, controversas fidei quæstiones Vilnæ et Posnaniæ exposuit. In Academia Viln. laurea theologica ornatus. Edidit :

1° Disputationem theologicam de justificatione peccatoris. Posnaniæ, 1591. 2° Poemata latina et polonica ; quibus adjecit numeros musicos. 3° Concionem in funere Georgii Chodkiewicz capitanei Samogitiæ. Vilnæ, 1596.

**Buccius** seu **Bucki,** GUILIELMUS, gente Livo, acceptus in Societatem anno salutis 1601, ætatis suæ 16 : mortuus Vilnæ 1643, die 24 decembris. Primus dicitur omnium, ex quo Livonia ante annos quingentos christianis imbuta sit præceptis, conscripsisse lingua Estonica libros, genti perutiles ; quales sunt :

Institutiones Estonicæ, sive Lotavicæ ; in quibus catechismus major et minor. — Cerimoniæ quædam ecclesiasticæ elucidatæ. — Quæstiones de omnibus festis per annum, Hymni, sive Cantica Sacra. — Precationes ad Deum et Sanctos.

**Butwil,** DANIEL, Lituanus, ingressus Societ. 1600. Rexit collegium acad. Vilnæ. Edidit Orationem de laudibus primorum decem. PP. Sociorum Ignatii. Vid. in Lib. *Gratiæ Sæculares anno* 1604, Societatis sæculari.

**Chondzynski,** JOANNES, Masovita, natus in Russia. Societ. ingressus 1621.

Docuit in acad. Viln. poeticam, rhetoricam, philosophiam, etiam ethicam, sacram linguam, theologiam scholasticam. Mortuus Possavii 1660, 22 april. Scripsit non pauca nomine academiæ Vilnensis vulgata : præter alia, poema : Donum nuptiale, anno 1639 : carmine heroico. Elogia et poemata regi Vladislao IV et Cæciliæ Renatæ, reginæ, suburbanum academicum Lukiszki visentibus, inscripta : Floræ Lukiscanæ amænitas.

**Cieciszewski**, ALBERTUS, acceptus in Societatem anno 1622. Mortuus Varsaviæ 1675. Edidit Conciones tres : unam dictam a se in funere Catharinæ de Potok, conjugis Janussii Radivilli principis, anno 1643 : duas alias dictas ad Joannem Casimirum regem et proceres de pace Polonos inter et Cosacos ac Tartaros constituta, an. 1649.

**Clagius**, THOMAS, Varmiensis, acceptus in Societatem 1618, juvenis annos 20 natus. Docuit rhetoricam, mathematicam, theologiam moralem et polemicam. Elegantissime scripsit, vulgavitque libros, quos sic legas inscriptos :

1° Anticyræ prædicanticæ, de quibusdam hæreticorum deliriis, an. 1650. 2° Jason drama in funere episcopi Varmiensis. 1633. 3° Bellaria academica. 1651. 4° Prodromus Eligio-Borussi contra prædic. lutheran. 1651. 5° Aristarchus contra prædicantes aliosque insulsos hæreticorum poetastros, typis Coloniæ. 1643. 6° Disquisitiones Ubiquisticæ. Typis Vilnen. 1644. 7° Linda Mariana, de imagine B. V. ad S. Tiliam.

**Danquart**, BALTHASAR, Masovita, ingressus Soc. 1645. Diu docuit humaniora. Plures annos concionator fuit. Scripsit elogium regi Joanni Casimiro a Moscovitico bello triumphanti. Vilnæ, 1664.

**Downarowicz**, ELIAS, Rutenus, Societ. ingressus 1642. Docuit Firmi in Italia philosophiam, Brunsbergæ theologiam scholasticam. Scripsit tractatum theologicum de virtutibus moralibus, inscriptum : Homo politicus, anno 1664, et sub nomine discipuli editum.

**Elger**, GEORGIUS, Livo, edidit institutiones christianas lingua Lotavica. 1620. Evangelia translata in Lotavicam. Multis annis egit Dunæburgæ concionator et operarius, ac denique superior domus. Mort. 1672, 30 sept., ætat. 88.

**Fabricius**, VALENTINUS, Roxolanus, in Societatem acceptus anno 1580, ætatis suæ 17. Professus vota 4. Humaniorum litterarum magisterio functus annos 8, philosophiæ 3, theologiæ scholasticæ 5. Laurea doctoris theologiæ insignis. Acceptus a B. Josaphat archiepiscopo Polocensi, contulit operam ad instaurandam religiosam Basilianorum disciplinam, et propagandam Græcanicorum cum Romana Ecclesia unionem : olim ejusdem Beati, quod narravimus, in theologicis

magister : adjutor item salutarium operum metropolitæ Russiæ Velamino Ruckio. Mortuus Varsaviæ 1626, 22 febr. Edidit elegantem concionem, inscriptam Kolenda. Transtulit ex latino in polon. opusculum P. Bellarmini *De gemitu columbæ.*

Fenner, JACOBUS, Masovita, Soc. ingressus 1640. Docuit humaniores et severiores litteras. Vir ad res gerendas singulari prudentia ; quam probavit tum provinciæ negotia procurator administrando, tum Collegium Lomsæ rector gubernando. Scripsit lyrica et elegias : quæ legas in libris nomine Collegiorum editis, inscriptis Cursus gloriæ immortalis et Sagitta Rudniciana.

Ginkiewicz, MICHAEL, Samogita ; de quo hic lib. ultimo, pag. 399, Edidit polonice :

1° Conciones a se dictas. 2° Lib. Medicina de cœlo contra morbos duplicis linguæ. 1646. 3° Conciones funebres a se dictas in funere Joannis Koscielkowski anno 1648, et in funere Sophiæ de Druck. 1649. Latine: 4° Rationes 7, ob quas sacerdotes sæculares obligantur ad vitam cum majore virtute ducendam. Vilnæ. 1656. 5° Conciones in epistolas dominicales per annum. 6° Lib. Zodiacus Marianus, Chrisologium, edit. anno 1617.

Gorski, sive Gurski, SIMON, Masovita, ingressus Soc. 1589. Docuit rhetoricam, philosophiam, et septennio theologiam scholasticam. Obiit Varsaviæ 19 januarii 1616. Scripsit pro P. Petro Skarga manifestationem impudentiæ Arianorum, anno 1608.

Grodzicki, STANISLAUS, Posnaniensis, nobili genere natus, jam doctor theologiæ collectus ad cœtum novitiorum Societatis Romæ anno 1571, ætatis 29. Multa egit in Lituania inter hæreticos religionis causa, ut propterea vulgo Lituaniæ Apostolus vocaretur. Vilnæ in Academia plures annos theologiam scholasticam explicuit. Sæpe cum hæreticis pro religione publico certamine conflixit, magno ingenii eruditionisque præconio ; et quam concionando fidem asseruerat, scriptis pro re nata commentariis defendit. Scripsit polonice :

1° Conciones 6 de usu sacramenti Euchar. sub utraque specie. 2° Conciones 2 de emendatione kalendarii Gregoriani. 3° Regulas fidei hæreticorum : quibus demonstrat hæreticos non sacram Scripturam, sed sui cerebri somnia pro regulis habere. 4° Conciones 2 de purgatorio, quas habuit Vilnæ in exequiis duorum principum. 5° Trutinam psychosophiæ contra ministrum Calvinianum pro suis concionibus de purgatorio. 1592. 6° Evangelium, sive dialogos duos, quibus probat ex ipsorum principis, hæreticos non esse evangelicos. 7° Latine : Concionum tomos 8 pro dominicis et festis totius anni. 8° Conciones de probandis spiritibus per missionem ordinariam, Cracoviæ, typis Nicol. Lob, an. 1607.

Gruzewski, JOANNES, ediditlibrum cui inscribitur :

Ultima et maxima hominis mutatio, sive de mystica cum Deo unione. Typ. Viln. an. 1641. Posterior libri primi pars de fortitudine et justitia, Vilnæ. 1644.

**Hincza**, MARTINUS, edidit conciones polon. titulo : Glos Panski, id est, Vox Domini, Vilnæ, 1643. Meditationes in evangelia. Vilnæ. 1644.

**Hrynkiewicz**, CHRISTOPHORUS, natione Lituanus, doctor S. Theologiæ. Edidit Elogia, inscripta : Duo soles Divi Joannes et Stephanus, 1660.

Orationem Eucharisticam fundatoribus Brunsbergensis Collegii centenarium annum celebrantis. 1665.

**Huber**, JOANNES, Germanus, duobus per vices Collegiis Brunsbergensi et Gedanensi septem annos præfuit. Edidit germanice :

1 Theoria et praxis de cœna calvinistica. Münster, 1609.
2 De eo, quod libri sacri non omnes inveniantur.
3 Demonstrationem defectus bibliorum, prout Braunsbergæ edita sunt, anno. 1604.
4 De Ecclesia. ibid. 1609.
5 De judice controversiarum. ib. 1611.
6 De libero arbitrio. ib. 1611.

**Jachnowicz**, JOANNES, Lituanus, ingressus Societ. 1609. Concionator multos annos Lituanicus : gubernavit seminaria pontificium alias, alias diœcesanum, Vilnæ : Collegia rector Smolensci et Crosis : Vilnæ domum professam. Pauperum et rudium amantissimus curator. Sodalitatem titulo SS. Nicodemi et Josephi ab Arimathia instituit Vilnæ, annuente ep. Viln. Eustachio Wolowicz : idque summis opibus curavit. Pestilentibus temporibus addicebat operam suam miseris pereuntibus. Obiit Vilnæ in Collegio prope octogenarius 1668, 11 april. Edidit polonice :

1. Sacrificium Christi cruentum, seu libellum de Passione Domini. 1626. 2. De Passione Domini, in illa verba : candidus et rubicundus. 1637. 3. Viæ Salvatoris nostri in pueritia et juventute. 1639. 4. Jesus crucifixus sub variis similitudinibus e Sacra scriptura petitis. 1639. 5. De doloribus B. V. M. 1639. 6. Viæ Domini laboriosæ, seu de apparitionibus post resurrectionem. 1639. 7. Institutio catechistica. 1639. 8. Institutio sodalitii Vilnensis SS. Josephi et Nicodemi : inscript. Facula ardens. 1630. 9. Officia de Verbo incarnato, de Virgine portante Christum. 10. De S. Angelo custode. 11. Officium de S. Angelo custode, polonice et latine. 1636. 12. Lituanice edidit scripta : 13. Evangelia aucta in usum concionatorum. 1637. 14. Institutiones et Cantiones Sodalitatis S. Isidori. 1639. 15. Conciones catechisticæ. 1638. 16. Libellus precatorius pro sodalitate Vilnensi corporis Christi. 1630. 17. Convertit in idioma polonicum: Martini Becani purgatorium calvinisticum. 1639. 18. Deus calvinisticus. 1640.

**Kmicic**, NICOLAUS, edidit, nomine non suo, poema heroicum inscriptum ;

1 *Josephatidos* Libri tres, sive de martyrio B. Josaphat. Vilnæ, 1627.
2 Panegyricum Georgio Tyszkiewicz, cum ad Methonenses infulas et munus suffraganei Viln. inaugurarctur. 3. Dithyrambum, qui est in Epicitharismate ad lyram P. Casimiri Sarbievii.

Kojalowicz, ALBERTUS, cujus elogium in secunda parte nostræ legetur Historiæ [*infeliciter numquam vulgatæ*], edidit libros :

Latine : 1. Elogia imperatorum Austriacorum. 2. Primus Societatis Jesu sæcularis annus. 1640. 3. Compendium Ethicæ Aristotelicæ. Vilnæ. 1645. 4. Vita P. Laurentii Bartilii. 1645. 5. Historiæ Lituanæ pars 1or 1650. Pars altera. 1669. 6. Miscellanea rerum ad statum eccles. pertinent. 1650. 7. Instructio de casibus reservatis. 8. De rebus gestis contra Cosacos. 1652. 9. Fasti Radiviliani. 1653. 10. Oculus ratione correctus, seu Refutatio demonstrationis ocularis de vacuo. 1647. 11. Compendium censurarum reservatarum, succinctis notis illustratarum. 1165.
Polonice : 12. Colloquia theologi cum politico de electione prudente unius, veræ, christianæ religionis. Sub nomine sui discipuli. 1648. 13. Colloquia theol. cum ministro de dissidiis in rebus fidei. 1653. 14. Colloquia theologi cum dissidente in religione de sincero, et non adulterato usu S. Scripturæ. 1667. 15. Vita Francisci Cajetani Soc. Jesu, ex italico translata 16. Decem modi colendæ B. V. Mariæ.1648.17.Concio in funere Petri Wolowicz. 1652. 18. Vita Alphonsi Rodriguez. 1666. 19.Memoria Fratrum coadjutorum. 20. Vita Venerabilis P. Nicolai Lancicii. 21. De insignibus nobilium in Lituania. Plures alii libelli typis non vulgati.

Kojalowicz, CASIMIRUS, memorati Alberti frater germanus, natu minor, scripsit sequentes libros :

1. Institutionum Rhetoricarum partes 2; Vilnæ, 1659. 2. Panegyricos heroum, in unum volumen collectos. 3. Orationem funebrem de laudibus Palatini Vitebscensis Ladislai Wolowicz. 4. Modos 60 sacræ orationis varie formandæ, typis Antverpiæ. 1669. 5. Vitam P. Nicolai Lancicii latine.

Kosinski, STANISL. Masovita, trium hujus nominis in hac provincia Sociorum germanus frater, Deo se in Societate dicavit anno 1602, ætat. 15. Gubernavit collegia Derpati et Polociæ. Vilnæ tempore pestilenti civitati ministravit afflictæ. Mort. Resselii 22 april. 1657. Scripsit polonice Vitam et martyrium B. Josaphat archiep. Poloc. Opus posthumum editum 1665.

Kreitz, CAROLUS, Misniensis : genere illustri, parentibus hæreticis natus anno 1607 ; remisso hæreticis nuntio, jam philosophus, Societati se obtulit Vilnæ 1627, 8 julii. Toto vitæ religiosæ curriculo pulcherrime se gessit ; omnibus omnis virtutis exemplar. Complures concionibus suis reduxit vel errantes ab religione vera ad Ecclesiam, vel peccantes ad frugem, annos sex supra viginti publicus Germanis e cathedra magister. Pereuntibus opem afferebat, sæpe cum manifesto salutis suæ periculo; ut Gedani maxime tempore pestilenti. Cum hæreticis perpetuus erat sibi conflictus : superior semper ut causa certaminis sic virtute. Disciplinæ religiosæ et modestiæ observantissimus. E Collegio Varsaviensi missus valetudinis

causa Niestempoviam, pagum Lomsensis Collegii, dum in otio librum typis vulgandum, qui post obitum suum vulgatus est, recognoscit, paralysi dissolvitur 19 septemb. 1660.

Germanice : 1. De Cœna Calviniana imaginaria, et catholico S. Eucharistiæ Sacramento. Brunsbergæ, 1646. 2. De fonte venenato doctrinæ lutheranæ, et fonte salubri catholicorum. Vilnæ, 1648. 3. Colloquium charitativum cum Dantiscanis prædicantibus. Brunsb. 1662. 4. Defensio catholica, opposita catechismo lutherano recens impresso. Brunsb. 1649. 5. Catholicum Cavete contra Evangelicum Cavete ministri Gedanensis. 1646. 6. Glossa super defensionem honoris Joannis Crameri ministri Gedanensis. 1640. 7. Indefensus Lutherus per Joannem Millerum prædicantem Hamburgensem defenso oppositum. 1655. 8. Quatuor interrogationes utiles, excerptæ ex funebri concione Botsach. 1650. 9. De Indulgentiis et Jubilæo. 1650. 10. Catholicum fidei scutum contra scutum cujusdam Livonis hæretici. 1650. 11. Reliquit opus latine et germanice conscriptum, quod inscribitur : Ubi scriptum ?

**Kruger,** OSWALDUS, [cujus elogium habes in Historia, p. 377.] edidit :

1. Theoremata et problemata mathematica, ex opticis, geometrica, astronomia, sphæra elementari, computo ecclesiastico. Vilnæ typis academicis. 1633. 2. Arithmetica. 1635. 3. Parallela horoscopa, sive de directione tormentorum. 1635. 4. Catoptrocaustica, sive specula Ustoria. 1636. 5. Calendarium romanum. 1637. 6. Centuria astronomica, lib. in quarto. 1639. Theoremata de oculo, optica, catoptrica, catoptrocaustica. 1641. 8. Theorocentrica, sive mathematicæ de puncto et centris considerationes. 1644. 9. Exegesis festivitatis Paschalis. 1646. 10. Iris, sive de coloribus apparentibus. 1647. 11. Dissertatio de vacuo. 1648. 12. Oculus. 1642. 13. Horolographiam practicam prælo paraverat : dimisit morte opus.

**Laterna,** MARTINUS, de quo plura in hac Historia, edidit :

1. Latine : Orationes duas funebres : alteram in exequiis Stephani regis Polon., alteram de præclaris in Ecclesiam et rempublicam meritis Valeriani Protasewicz, ep. Vilnensis.
2. Polonice : Citharam, vel decachordum spirituale, seu librum precationum, e PP. piisque catholicorum libellis concinnatum.

**Lancicius,** NICOLAUS, [scripsit multa, ex quibus vulgata sequentia] :

1. Gloria S. Ignatii fundator. S. J. Vilnæ, 1624. 2. De indiciis et gradibus profectus in virtutibus. 1641. 3. Octo monita pro nobilitate Polona. 1632. 4. Opusculorum spiritualium tomi 2 ; in primo tractatus 10, in secundo 11. Antverpiæ, 1650 et Ingolstadii, 1724. [Utraque editione continentur tria opuscula priora.]

**Lauxmin,** SIGISMUNDUS, edidit libros :

1. Demonstratio catholicæ Ecclesiæ ex certis a prima origine notis : typis Viln. anno 1645. 2. Theologia ecclesiastica, lib. in quarto. 3. Ars et praxis musica. 1667. 4. Præcepta artis rhetoricæ et praxis oratoria ; primum edidit Brunsb., deinde Vilnæ. 5. Epitome institutionum linguæ græcæ. Vilnæ, 1655. 6. Oratio de S. Casimiro, typis Viln. 1635. 7. Oratio, quam ipse habuit lingua polon. in funere Stanislai Dziewaltowski, Dapiferi Caunensis. Viln. an. 1653, vel 1655.

**Mazowecki**, MICHAEL, acceptus in Societatem anno 1636. Scripsit de officii Divini penso rite absolvendo.

**Milewski**, ALBERTUS, Masovita, acceptus in Societatem anno 1636, docuit rhetoricam, philosophiam, et theologiam scholasticam. Scripsit de laudibus Ladislai Komar, judicis Osmianensis. Lib. in quarto, typis Vilnens. : Obiit Vilnæ, anno Lituanis pestilenti. 1657.

**Mlodzianowski**, ANDREAS, Lituanus ex provinciola Caunensi, natus anno 1626, ingressus Societatem 1642, edidit libros :

Suppetiæ militares ex divis Polonæ Lituanæque gentis tutelaribus.
Domestica Ducatus Samogitiæ ornamenta, typ. Mittaviensibus.

**Modzielewski**, ZACHARIAS, Masovita, natus 1648, mortuus 1710. Scripsit lingua polonica

Vitas Patrum Venerabilium : Marcelli Mastrilli, Gonsalvi Sylveriæ, Alberti Chanowski, Aloysii La Nuza, Petri Canisii, Roberti Bellarmini, Josephi Anchietæ, etc.

**Murzynowski**, ALBERTUS, Masovita, in Societatem anno 1635 aggregatus. Calluit, præter patriam et latinam, linguas : hebraicam, græcam, germanicam, slavonicam. Vitebsco, urbe Russiæ Polonicæ, anno 1654 a Moschis expugnato, salutarem civibus suis daturus operam, cum Socio P. Laurentio Ceres intra domicilii sui septa se continuit, aliis metu hostium dilapsis. Captus itaque abductusque in Moscoviam, atque in extremam abreptus provinciam, multa sustinuit fortiter; schismaticis maxime ad defectionem a religione catholica urgentibus. In ea servitudine, hostium etiam suorum salutem curabat. Quo plures ad religionem catholicam agnoscendam excitaret, opera Græcorum Patrum in slavonicum transtulit. Obiit ærumnis confectus post annum 1657. Reliquit præterea Panegyricum a se conscriptum oratione partim soluta partim ligata de laudibus Georgii Hlebowicz præsidis Smolenscensium Palatini. Inscripsit opusculum : Optimum Severiæ et patriæ augurium. Edit. typis academicis Vilnæ, anno 1643.

**Olszewski**, JACOBUS, Masovita, edidit conciones de variis argumentis. Post mortem Jacobi, deinde collectæ, recusæ typ. Vilnæ, an. 1645.

**Paprocki**, LUCAS, Masovita, ex provincia Dobrinensi, theologiam moralem decennium explicuit : quinquennium præfectus scholarum. Vir multæ eruditionis, præsertim in rebus patriis. Rexit Plociæ, ibique mortuus 17 octob. 1657. Scripsit polonice multa, ex quibus vulgavit typis :

1. De admirandis gratiis B. V. in templo Czervinsci. 1652. 2. De origine stemmatis Grzymala, ibid. in eod. lib. 3. Reliquit paratos ad typum libros de stemmatibus et familiis equestribus provinciæ Dobrinensis.

3. Supplementum Stemmatum totius regni, editorum a suo patruo Paprocki.

**Plocki**, seu PLOCENSIS, ALBERTUS, Masovita, sanctimonia et doctrina insignis. Docuit Vilnæ theologiam schol. concionator felix, et rex quidam animorum in auditoribus. Primus rector Pinsci, ibidem mortuus. Vulgavit concionem in funere Michaelis Woyna. 1635.

**Porzecki**, THOMAS, Lituanus, ex provinciola Lidensi, Societati nomen dedit 1626, natus annos 17; rhetoricam, philosophiam, et theologiam annos plures explicavit magister. Rexit Collegium Pultoviæ prudentia et charitate præcipua. Pestilenti tempore, dimissis Pultovia alio ad tutiora Sociis, ipse mansit ad officia charitatis; in quibus denique occubuit 9 julii 1653, ætatis suæ 44. Emisit in lucem soluta oratione alia, alia oratione ligata:

1. Elogia Jagellonum Polon., Hungariæ, Bohemiæ regum. 1639. 2. Elogia imperatorum ex Austriaca familia, carmine. 1639. 3. Florilegium: decora familiæ Chodkievicianæ et Pacianæ. 1636. 4. Spes altera Russiæ: de laudibus Raphaelis Korsak metropolitani Russiæ. Soluta et ligata oratione. 1637. 5. Summam Annalium ecclesiasticorum, ab anno, in quo cessavit Baronius, polonice scriptam, occupatus morte destituit.

**Przeorowski**, LUCAS, Lituan. Novogrodensis, in Societ. acceptus 1634. Docuit diu humaniores litteras. Concionatoris officiis cum laude functus. Obiit Grodnæ ante professionem IV votorum. 1652, 29 junii. Vulgavit suum alieno nomine opusculum, panegyricum funebrem Andreæ Skorulski, equiti S. Sepulchri, Mareschallo Caunensi.

**Quadrantinus**, FABIANUS, Prutenus, de quo lib. V, n. 21, scripsit:

1. Palinodias, sive recantationes VII, a Lutheranica secta revocatus ad Ecclesiam. Typis Poloniæ impressum opus una cum epistola cardinalis Stanisl. Hosii. 2. Speculum pietatis, vita Annæ Austriacæ, conjugis Sigismundi III regis Poloniæ. Typis Brunsb. anno 1605. Mortuus Brunsbergæ 6 martii 1605, ætat. 56.

**Raczynski**, DANIEL, Lituanus, Societati nomen dedit 1628, 17 septemb. Docuit humaniores litteras annis aliquot, pluribus alias concionatus. Missus Caunam ad regendos Socios, reperta ibi domo Sociorum a Moschis diruta, ad curiale templum consedit; illinc et civibus ministraturus in spirit. officiis, et parietinas domus suæ reparaturus. Mortuus in ipsis cœptis anno 1662. Edidit:

1. Oratio in laudem regum Poloniæ, Societatis et academiæ Viln. patronorum. 1640. 2. Panegyricus Alphonso Lacki Samogitiæ capitaneo, inscript.: Fastigium triplex. 1644. 3. Panegyr. funebris Andreæ de Dolsk Subcamer. Volkovic. inscript.: Ingressus in beatam immortalitatem. 1646.

**Radau**, MICHAEL, Brunsbergensis, natus 1614, in Societatem acceptus 1633, 20 augusti, artium liberalium et s. theologiæ doctor, vulgavit :

1. Orationes suas complures typis Vilnensibus, inter alias de laudibus Benefactorum, cancellariorum, episcoporum Vilnensium et protectorum academiæ Vilnensis. anno. 1640. 2. Lib. Orator extemporaneus.

**Rosenwald**, ANDREAS, Brunsbergensis, Societatem ingressus 1620, 15 aug. Docuit theologiam moralem, philosophiam, polemicam, S. Scripturam. Mort. Resselii 1667. Edidit :

Laureæ academicæ serenissimo regi Pol. Vladislao IV, lyrica poesi. Vilnæ, 1633. Recusus liber Romæ, anno 1639.

**Rudomina**, ANDREAS, de quo in Historia. Vertit ex latino in polonicum Joannis a Chokier librum de mutatione regnorum. Vilnæ 1652, opus posthumum.

**Rywocki**, JOAN. mort. 1666, de quo in parte secunda Historiæ narrabitur. Edidit libros :

1. Panegyrici. 11 de rebus gestis Vladislai IV regis Pol. Viln. 1636. 2. Descriptio triumphi S. Casimiri in sui translatione corporis in mausolæum a Sigismundo III extructum. 1637. 3. Beneficentia regis in conferenda theol. et concionatori suo P. Math. Sarbievio laurea theologica. 1639. 4. Icon votorum in nuptiis Vladislai IV regis et Cæciliæ Renatæ. 5. Panegyricus in funere Alb. Radivilli principis, castell. Vilnens. 1636. 6. Arma catholica pro traditionibus et purgatorio contra anti-Bellarminum Amesii protestantis. Vilnæ, 1636. 7. Parænesis ad ministros calvinianos de spiritu privato ad synodos non admittendo. 1639. 8. Laurentalia Rigensia contra prædicantem hæreticum. 1638. 9. Idea magni Herois, comprehensa XIII panegyricis, de rebus gestis Leonis Sapieha. 1644. 10. Vita Simonis Rudnicki ep. Varm. 1645. Reliquit parata ad prælium : 11. Tractatum in cantica canticorum, mysteriis Christi panegyrice explicata. 12. Calvinum Angelomachum, seu prælium Calvini adversus bonos Angelos.

**Sarbievius**, MATTHIAS, de quo in hac historia. Scripta sua :

1. Oratione soluta : 1. Salutatio Abrah. Woyna, creati ep. Viln. 1636. 2. Oratio vernacula in funere Stanislai Sapieha, Mareschall. Lituan. *Laska Marszalkowska*. 1635. 3. Oratio in translatione S. Casimiri. 1636. 4. Ad Vladislaum IV, cum in acad. Viln. doctor theologiæ ornaretur laurea. 1636. 5. De perfecta poesi libri 4. 6. Concionum ad regem Vladisl. tomi 4. 7 Opus philosophicum de continuo physico libris IV comprehensum. 8. De diis gentium libri IV. 1627. 9. De Deo uno et trino opusc. theologicum. 10. De Angelis opusc. theol. 11. Epistolæ ad proceres et amicos. 12. Oratio : Honor Sanctorum reliquiis exhibitus, Vilnæ. 13. Poemata. Lyricorum libri IV. 14. Sacra lithothesis, cum præjaceretur lapis angularis condendo templo Crosis. 15. Sylviludia Dithyrambica Vladislao IV regi, venationibus vires exercenti. 16. Lib. Epigrammatum. 17. Obsequium gratitudinis ab Apolline Crosensi ad Joannem Carolum Chodkiewicz. 18. Hymænodora

honore et gloria internuntiis: Joanni Sapieha. 19. Cætera vide lib. inscript. R. P. Matthiæ Casimiri Sarbievii e Soc. Jesu poemata, ex vetustis manuscriptis, et variis codicillis, olim ab auctore, dissimulato nomine editis, deprompta. Opera M. Adami Naruszewicz. Vilnæ, 1757.

Skarga, PETRUS, scripta quæ vel in lituanica vel in polon. Provincia edidit :

1. Vitæ Sanctorum, in singulos anni dies. Addita documenta ad mores formandos idonea. 2. Annalium ecclesiasticorum card. Baronii tomos XII in compendium contraxit. Edid. polonice. 3. Conciones in dominicos dies singulos: 4. Conciones in omnes dies festos : 5. Conciones variæ : *Kazania Przygodne*. 6. Septem columnæ, in quibus fundatur catholica fides de Sacramento altaris. Qui liber polonice deinde translatus, in tomum quartum insertus est. 7. Pro SS. Eucharistia contra hæresim Zvinglianam et Andream Volanum. Libri tres. Vilnæ, 1576. 8. Artes XII sacramentariorum, seu Zvinglio-Calvinistarum; quibus oppugnant, et totidem arma catholicorum, quibus propugnant præsentiam corporis D. N. Jesu Christi in Eucharistia contra Volanum. Vilnæ, 1582. 9. Vita B. Joan. Cantii et Casimiri. 10. Contra threnos et lamentationem theologi Orthologi, ad Rutenos Græcæ religionis cautela. 11. Invitatio ad pœnitentiam incolarum regni Pol. et Lituan. 12. Concio de misericordia pro sodalitio misericordiæ. Additæ lectiones legendæ sodalitio singulis dominicis per annum, 1584. 13. Conciones de septem sacramentis ecclesiæ, 1600. 14. Militaris devotio, seu orationes et exempla militari ordini convenientia. Cracov. 1606. 15. Responsio pro Societate Jesu contra articulum Sendomiriensem. 1606. 16. Probatio Societatis Jesu contra eundem articulum. 1607. 17. Triplex confusio Arianorum, contra Hieronymum Moskorzevium, 1608. 18. Messias novorum Arianorum secundum Alcoranum Turcicum. Contra eundem. 1612. 19. Areopagus, seu expositio verborum S. Pauli; qui judicibus illis agnitionem unius veri Dei persuadebat. 20. Francisci Costeri libellum de IV novissimis vertit in polonicum.. 1606.

Schônhoff, GREGORIUS, cujus elogium historico scripturo partem secundam relinquimus; scripsit librum, cui titulus :

Praxis jubilæi certius consequendi. Vilnæ, 1651.

De Soxo, BENEDICTUS, Hispanus, cum, post prælectam theologiam accingeret se ad Missionem Indicam, litteris Mutii Generalis vocatus in Lituaniam venit 1624. Hic plures annos docuit theologiam, egitque officia procancellarii. Cum doctrina eximia insignem conjunxit pietatem. Orationis diligentissimus, studiosissimus religiosæ disciplinæ, ad quam exemplis privatus, et monitis impositus Collegio Vilnensi rector, et alias Patribus, qui tertium ritu nostro probantur, Nesvisii magister, hortabatur. Post mortem Mutii Gener. Romam a provincia missus elector. Mortuus Antverpiæ 1668; scripsit :

1. Institutiones Juris generales, tit. Claves Juris. 1648. 2. Præcepta grammatica linguæ polonicæ.

Smiglecki, MARTINUS, cujus laudes narrabit scriptor hist. provincialium polonicarum; versatus in Collegio acad. Vilnæ, philosophiæ ibidem magister, edidit typis Vilnensibus : De dignitate Filii Dei, adversus Arianos, anno 1595. Multos alios, plenos salutari doctrina, libros scripsit in Polonia.

**Szyrwid**, CONSTANTINUS, Lituanus, undevicennis se ad Societatem aggregavit anno 1598. Edita ab eo :

1. Clavis linguæ lituanicæ. Vilnæ, typis acad. S. J. 1630. 2. Dictionarium polono-latino-lituanicum. Vilnæ sæpius recusum. 3. Puncta concionum in dominicas totius anni, polonico et lituanico idiomate. Vilnæ, anno 1639.

**Tylkowski**, ADALB., Masovita. Hoc nostro sæculo ab ipso scripta :

Panegyricus D. Kierlo, nomine Alexandri Paprocki, inscript. : Æternitas annorum. 1652. Elogia Episcoporum Varmiensium inscripta : Aræ gratitudinis 1653. Dies Equitis Poloni : rythmi sic inscripti. 1652. Sacri canones et decisiones apostolicæ de matrimonio. Varsaviæ. 1629.

**Ugnievski**, SIMON, Masovita, in Societatem vicennis acceptus 1604. Docuit oratoriam, linguam sacram. Concionatoris officiis egregie diuque functus. Romam visit procurator a provincia. Mort. Vilnæ XI octob. 1647. Hujus sui magistri orationem de morte Jesu Christi typis vulgarunt discipuli. 1615. Scripsit vitam S. Ladislai regis Hungariæ, 1630. Edidit polonice collectam a se ex antiquis monumentis.

**Varszevicius**, STANISL., vertit ex græco in latinum :

Historiæ Æthiopiæ libri X; eosque Sigismundo Augusto dicavit prius, quam se aggregasset ad Societatem nostram.

Dux Peccatorum Ludov. Granatensis librum ex hispanico convertit in polonicum.

**Vega**, EMMANUEL, Lusitanus, natus Conimbricæ : Societatem amplexus anno 1571. Vilnæ in academia S. Theologiæ doctor et diu professor, ibidem in lucem edidit libros :

Assertiones theologicas de augustissimo Eucharistiæ Sacramento contra nostræ tempestatis sectarios, anno 1585. De divinissimo missæ sacrificio, anno 1586. De cultu et invocatione Sanctorum, contra librum Volani : de idololatria Jesuitarum. De vita et miraculis Lutheri, Calvini, et Bezæ. De distributione SS. Eucharistiæ sub una specie, contra Hussitas. De principiis fidei. Fati, Samosateniani dei, oppugnatio : et æternæ Christi generationis, veræque Deitatis defensio, contra Blandratam et Franciscum Davidem. Viennæ Austriæ, anno 1590.

Vocatus P. Emmanuel ex Lituania Romam, ibidem obiit 27 januar. 1648, ætatis suæ 94, Societatis 77.

**Velther**, AMBROSIUS, utiles libros aliquot Estonibus lingua patria edidit.

**Zaluski**, LUCAS, acceptus in Societatem 1620, ætatis 16. Docuit humaniores litteras, philosophiam, et theologiam tum scholasticam, tum polemicam. Missionarii quinquennium, concionatoris octo supra viginti annos functus cum laude officiis. Præfuit Sociis in domicilio Minscensi, deinde Vilnæ in domo professa. Cætera v. in Historia. Edita a Luca in lucem :

De sumptione sacræ Eucharistiæ sub utraque specie. Vilnæ typis acad. 1637. Compendium totius philosophiæ. Vilnæ, 1640. Panegyricus soluta et ligata oratione Sigismundo Denhoff S. Romani Imperii principi. Varsaviæ, anno 1646.

Zieniewicz, ANDREAS, Rutenus, ex provincia Novogrodensi, amplexus institutum Societatis anno 1629, viginti natus annos. Docuit theologiam in academia Vilnensi. Versatus in aula optimi antistitis Kijoviensium, Thomæ Ujejski, deinde in aula Christophori Bialozor Vexilliferi M. D. Lituaniæ, utrobique utilissime ac religiosissime. In rhetorica versatus diligenter, orationes de laudibus principum conscripsit elegantes ; quales sunt :

Plausus alias Planctus Apollinis et Musarum. Poesi heroica. Viln. typis. 1638. Phenomena seu aspectus felicissimi sideris. Viln. 1641. Decora lilieti Paciani, Viln., anno 1641. Parentalis splendor Catharinæ Potociæ. Vilnæ, typis acad. S.J. an. 1641.

## VII. PRÆSTANTI DOCTRINA VIRI,

### QUORUM NOMINA IN MONUMENTIS ACADEMICIS, MEMORIA IN SUIS LAUDIBUS, IN ACADEMIA VILNENSI LAUREIS ORNATI THEOLOGICIS. — EXTERNI.

**Albertus Brzeski**, canonicus Plocensis, vir magnæ auctoritatis apud principes propter eruditionem, prudentiam et navitatem in negotiis difficilibus, anno circiter 1620.

**Fridericus Meibom**, parochus Elbingensis. In colloquio Toruniensi inter primos versatus, isque functus officio notarii. Humanioribus etiam litteris insigniter excultus. Scripsit orationem latine elegantem, quam habuit ad episcopum Varmiensem, cum is nomine regis ab Elbingensibus juramentum fidelitatis exciperet. Ornatus anno circiter 1630.

**Melchior Sawicki**, S. R. M. secretarius. In comitiis gener. inter alios nuntius et elector regis Joannis Casimiri. Edidit orationem suam de laudibus B. Josaphat M. archiepisc. quam publice habuit. Creatus palatinus Brestensis. Ornatus laurea 1643.

**Casimirus Slonski**, suffraganeus Varmiensis, deinde episc. Camenecensis, Dzialynskii, theologus : inclytus olim apud Regiomontanos concionator. Ornatus 1644. Mort. Vilnæ 1647.

**Andreas Borzecki**, bohemus, edidit Ephemerides. Ornatus Vilnæ 1647.

**Georgius Merten**, præpositus ecclesiæ Regiomontanæ 1617.

**Mathias Wilamowski**, parochus Bobruiscensis, invitatus ad munus sibi, procurante regina Cæcilia Renata, in sacro canonicorum Vilnæ collegio oblatum, recusavit. Ornatus 1623.

**Bartholomæus Cieciszewski**, parochus Caunensis, cancellarius in Collegio canonicorum Vilnen., deinde canonicus Viln., ornatus per P. Nicolaum Lancicium, tum provinciæ præpositum 1631. Edidit lib. de vita S. Casimiri ; hymnum ejusdem divi latinum vertit in polonicum eleganti carmine. Alios etiam hymnos de eodem divo typis vulgavit.

**Michael Sidlerus**, vir in primis doctus, præpositus in Gudstadiensi collegio, deinde canonicus Varmiensis. Ornatus, præsentibus multis e senatorio etiam ordine proceribus, anno 1631.

**Antonius de Antoniis**, Italus, ordinis S. Francisci, affinis Cels. Ducissæ Nesvisiensis,

in ejusdem aula theologus, ornatus per P. Benedictum de Soxo, rectorem collegii Viln. Acad. 1644.

**Simon Wulsbeck**, præposit. Regiomont. a P. Joanne Bilinski procancellario orn. 1645.

**Sebastianus Pikiel**, Bavarus, theologus in aula episcopi Samogitiæ, deinde canonic. Piltinensis, parochus Mittaviensis, orn. 1645.

**Simon Mlynecki**, canonicus et officialis Viln. ornatus per P. Bened. de Soxo 1646.

**Jacobus Stanczykiewicz**, canonicus Samogitiæ, vir pietate et doctrina singulari, astronomiæ etiam peritus, edidit Ephemerides astronomicas. Ornatus 1648.

**Andreas Marquart**, Prutenus, præpos. Gudstadiensis, 1650.

**Albertus Izdebski**, canonicus Smolensc. S. R. M. secretarius, ornatus per P. Albertum Kojalowicz, procancellarium Academiæ, anno 1561.

## S. THEOL. DOCTORES E SOC. JESU IN ACAD. VILNENSI.

P. **Emmanuel de Vega**, Lusitanus, docuit plures annos theologiam scholasticam in hac acad. Pluribus libris editis oppugnavit hæreticos. V. in Bibliotheca scriptorum Societ. Mort. Romæ.

P. **Antonius Arias**, Hispanus, docuit ibidem theologiam schol. Mort. in eodem Collegio 1599, 3 martii. Corpus Antonii, honoris causa, e communi sepulchro translatum, tumulatum in sacello B. V. Annunt. Concionator fuit regius in aula Stephani I.

P. **Martinus Laterna**, ornatus laurea ib. ante annum 1598, quo mersus est in Baltico 30 septembris.

P. **Joannes Brantus**, Polonus, de quo vide apud Alegambe.

P. **Richardus Singletonus**, Anglus, professus hic philosophiam et theologiam, ibidem mort. 1602.

P. **Martinus Smiglecki**, Roxolanus, docuit hic philosophiam, nondum sacerdos, deinde theologiam. V. Biblioth. scriptorum.

P. **Fridericus Bartcz**, Varmius, rector olim academiæ, mortuus in castris regiis Sigismundi III apud Smolenscum. Ornatus 1587.

P. **Michael Ortiz**, Hispanus, docuit hic theologiam.

P. **Georgius Tyszkwiewicz**, Lituanus, ornatus hic. V. Bibliot. script.

P. **Matthæus Bembus**, Polonus, docuit theol. V. Bibl. scriptorum.

P. **Simon Gos**, præsente rege Sigismundo III, ornatus 1609. Docuit hic theol. schol.

P. **Valentinus Fabricinus**, Roxolan. docuit hic theol. schol. Mortuus Varsaviæ 1626, 22 febr.

P. **Jacobus Ortiz**, Hispanus, multis annis docuit theol. schol. Functus etiam officiis Procancell. Mort. Nesvisii.

P. **Joan. Gruzewski**, Lituanus, docuit hic philos. et theol. Fuit Procancellarius. Rexit Coll. Acad. Ornatus 1609.

P. **Philippus Frisius**, docuit theol. schol. Rexit coll. acad.

P. **Jacobus Marquart**, Prutenus, mathematicarum disciplinarum apprime peritus. E. schola theologica doctor acceptus in aulam regiam Sigismundi III.

P. **Jacobus Olszewski**, docuit theol. annos 12. Procancellar. fuit ibid.

P. **Benedictus de Soxo**, post celebre in academica aula certamen theologicum, in conventu nobilissimorum virorum, ornatus 1625. Procancellarii munus sustinuit annos fere 20.

P. **Simon Ugniewski**, ornatus a P. Provinc. Nicolao Lancicio 1632.

P. **Mathias Sarbievski**, Vilnæ docuit anno uno eloquentiam, triennio philosoph., quadriennio theol., quinto theologiæ tradendæ anno acceptus a Vladislao IV, ornatus in præsentia Vladislai IV et suæ sororis Annæ,

in templo Academico a P. Jacobo Lachoswski Præp. Prov. anno 1636.

P. **Michael Ginkiewicz**, professus theol. schol. annos 4, deinde procancell. ; ibidem, in templo, præsentibus nobilissimis spectatoribus, ornatus a rectore academico P. Simone Ugniewski an. 1636.

P. **Gregorius Schonhoff**, Prutenus, quarto magisterii sui theologici anno acceptus in aulam regiam reginæ Cæciliæ Renatæ, ornatus 1639 mense julio, præsentibus PP. e provincia ad Congreg. convocatis, in suburbano Lukiscis.

P. **Joan. Bilinski**, Masovita, docuit theol. schol. quadriennio, biennium præfuit scholis procancell. ; pro Rectore administravit Collegium, in eoque munere mort. 1646.

P. **Sigismundus Lauxmin**, vir latinis græcisque eruditus insigniter, docuit triennio philosophiam, theologiam moralem anno uno, scholasticam annis 5 : rexit Colleg. Plociæ, Provinciam Lituaniæ administravit tempore Congregationis Generalis IX, ornatus a P. Fabricio Bampho Visitat., in suburb. Lukiscis, 1642, 27 febr.

P. **Albert. Cieciszewski**, Masovita, anno sui magisterii theologici creatus Rector Coll. academici, gubernavit prope triennium; acceptus in aulam regiam Joannis Casimiri functus officio concionatoris. Ornatus 1642 a P. Fabricio Bampho Visitatore.

P. **Ladislaus Stempkowski**, e Volhynia, docuit theolog. ann. 3, ornatus a P. Fabricio Visitatore 1642.

P. **Bartholomæus Oleskiewicz**, Lituanus, docuit theologiam triennio Brunsbergæ, biennio Vilnæ. Ornatus Brunsbergæ 1642.

P. **Georgius Honczel Mokrski**, docuit theologiam in Polonia, Vilnæ S. Scripturam et polemicam. Fuit ibidem procancellarius, alias alias concionator. E Societate transiit ad Ordinem sacrum Canonicorum S. Augustini Regularium. Anno 1648 missus ad Chmielnickium, Cosacorum rebellium ducem, cujus olim fuerat in scholis magister, uti persuaderet, ne Leopolim amplius obsidione fatigaret, negotium confecit. Mortuus Leopoli anno 1649.

P. **Martianus Wituski** docuit in Academia poeticam ; ornatus laurea per P. Benedictum de Soxo, Rectorem, Academ. ; paulo post e Societate dimissus.

P. **Joannes Chondzinski**, post magisteria in Academia poeticæ, rhetoricæ, philosophiæ, ethicæ, theologiæ moralis, sacræ linguæ, docuit theologiam schol. anno 7. Edidit aliquot libellos nomine alieno. Ornatus a P. Benedicto de Soxo, Rectore Collegii Vilnensis 1645.

P. **Gorgonius Ageison**, Danus, docuit Vilnæ rhetoricam, philosophiam, theologiam schol. anno uno, Brunsbergæ annis 7 : alias jus canonicum. Vilnæ fuit Procancell. Ornatus per P. Bened. de Soxo, Pinsci, in Congregatione Provinciali, anno 1645.

P. **Albertus Kojalowicz**, Lituaniæ docuit Vilnæ rhetoricam, theologiam morum, philosophiam, etiam ethicam, theologiam scholasticam Brunsbergæ anno uno, Vilnæ annis 8. Præfuit scholis Vilnæ Procancell. Ornatus anno 1645.

P. **Thomas Porzecki**, Lituanus, docuit Vilnæ rhetoricam, philosophiam, theologiam. Ornatus an. 1647.

P. **Joan. Rywocki**, Prutenus, pro Rectore gubernans Collegium Vilnense, ornatus a P. Bened. de Soxo 1650. Mortuus Varsaviæ 1666, 6 aprilis.

P. **Swentoslaus Dombrowa**, Polonus, ornatus per P. Joan. Rywocki 1650, eodem etiam die, quo P. Rywocki.

P. **Stanisl. Tupik**, Lituanus, professor theol. Vilnæ, ornatus per P. Gregorium Schonhoff rectorem Coll. 1650, mense novembri.

P. **Andreas Rozenwald**, Prutenus, docuit Vilnæ poeticam, rhetoricam, theologiam et moralem et positivam, et polemicam, et

scholasticam, philosophiam Brunsbergæ et Nesvisii. Ornatus 1650.

P. **Lucas Zaluski**, docuit Vilnæ philosophiam, S. Scripturam, polemicam, theologiam scholasticam. Ornatus per P. Gregorium Schonhoff rectorem Academiæ anno 1652, 18 aprilis.

P. **Andreas Zieniewicz**, Lituanus, docuit theologiam polemicam Brunsbergæ, moralem Crosis, philosophiam Vilnæ, deinde theologiam schol. Vilnæ in civitate ex Moscho recepta. Ornatus anno 1652.

P. **Casimirus Kojalowicz**, docuit poeticam Pinsci et Nesvisii, rhetoricam Crosis, Plociæ, et Brunsbergæ, philosophiam Polociæ, scholasticam theologiam Brunsbergæ: ornatus anno 1654, a P. Alberto Kojalowicz, die 12 februarii.

ARTIUM LIBERALIUM ET PHILOSOPHIÆ DOCTORES.

P. **Laurent. Bartilius**, docuit Vilnæ philosophiam: functus officiis præfecti scholarum ib. Rexit Collegium Pultoviæ. Mort. Præpos. Prov. Smolensci.

P. **Andreas Nowak**, docuit Vilnæ philosophiam quadriennium: memoria et eloquentia plane admirabili: rexit Collegium pro Rectore Vilnæ. Concionator ibidem fuit annos aliquot. Reliquit librum prope absolutum de mirabilibus currentis sæculi copia sermonis et varietate eruditionis admirabili conscriptum.

P. **Simon Berent**, Prutenus, docuit philosophiam, polemicam theologiam et scholasticam. Fuit confessarius regii principis Alexandri. Ornat. in Congregatione Provinciali.

P. **Paulus Czernicki**, orn. ib. eodem anno.

P. **Albertus Plocki**, ib. circa hos annos ornatus. Docuit deinde Vilnæ theol. positivam, polemicam, scholasticam. Mort. Rector Pinsci.

P. **Andreas Klinger**, post lectam triennio philosophiam Brunsbergæ, docuit Vilnæ physicam, metaphysicam, theologiam positivam et polemicam. Fuit deinde in aula regii principis Joannis Alberti Cardinalis, episcopi Cracoviensis, theologus. Rexit Socios Resselii, Brunsbergæ, domum probationis Vilnæ, et universam provinciam.

P. **Constantinus Szyrwid**, Lituan. in Academia S. Scripturæ et controvers. professor. Ornatus a P. Nicolao Lancicio, provinciali, anno 1631 mense maio.

P. **Andreas Luszkowski**, ornatus an. 1631.

P. **Mathias Sarbiewski**, orn. a P. Nicolao Lancicio anno 1632.

P. **Andreas Milewski**. Præfectus scholarum Vilnæ, decretum in academicos Vilnenses inique Minsci in tribunali latum, ut regio delereteur decreto, effecit. Ornatus anno 1632.

P. **Andreas Hoffman**, Samogita, ornatus 1638.

P. **Sigism. Lauxmin**, Samogita, 1638.

P. **Thomas Fabricius**, Masovita, an. 1638. Docuit Vilnæ poeticam, rhetoricam, theologiam moral.; polemicam de schismate Rutenico legit biennio. Mortuus Vilnæ in officio concionatoris, quod præstabat pulcherrime, 1639.

P. **Osvaldus Krüger**, Prut., præter philosophiam Vilnæ docuit mathematicam, theologiam morum et sacram linguam. Ornatus anno 1639.

P. **Joannes Rywocki** docuit in acad. rhetoricam, S. Scripturam, polemicam. Ornatus anno 1639.

P. **Lucas Zaluski** philosophiæ suæ compendium nomine discipuli sui Michaelis Mniszech regi Vladislao IV dedicavit. Ornatus 1639.

PP. **Joan. Chondzinski** et **Albertus Cieciszewski** ib. eod. anno.

PP. **Gorgonius Ageison** et **Albertus Kojalowicz** anno 1641.

PP. **Andreas Szczepkowski**, et **Thomas Clagius** et **Andr. Grenst** eod. anno.

P. **Martianus Wituski**, Masovita, audita Romæ theologiæ annis 4, reversus in patriam docuit philosophiam Pultoviæ. Vilnæ dimissus e Societate insinuavit se in aulam regiam Vladislai IV, historici et theologi regii titulo. Ornatus 1644.

PP. **Thomas Porzecki**, **Michael. Radau**, **Sventoslaus Dombrowa**, **Simon Storymowicz**; qui Smolensci etiam docuit metaphysicam; **Georgius Clodius**, Prutenus, qui Orsæ triennio, Brunsbergæ biennio, docuit philosophica. Ornati 1645 a P. Bened de Soxo.

PP. **Valentinus Skowid**, qui docuit mathematicam Vilnæ, **Andreas Zieniewicz**, **Daniel Butwil**, Lituanus, ornati 1648.

PP. **Stan. Tupik** docuit Vilnæ rhetoricam, ethicam, philosophiam, theol. posit. **Paulus Laskowski**, **Eduardus Loch**, Hibernus. Ornati per P. **Joannem** Rywocki, qui tunc fuit pro Rectore, 1650.

P. **Andreas Rozenvald** ornatus 1650.

PP. **Adamus Kaminski**, Masov., post cursum triennale philosophiæ absolutum Pultoviæ, metaphysicæ et ethicæ professor Vilnæ, et **Vladisl. Rudzinki** ornati 1651 mense aprili.

PP. **Joan. Adrianus**, Italus, qui olim rhetoricam professus erat in Collegio Senensi, deinde in Collegio Romano, deinde in Collegio Græcorum de Urbe, fuit præfectus studiorum, et **Stanislaus Bobinski**, Masov., qui præter rhetoricam Sociis traditam, et alia theol. moralem et positivam, docuit Vilnæ philos. ornati 1652.

PP. **Casimirus Kojalovicz**, **Laurentius Mierzejewski**, qui docuit poesim Smolensci, rhetoricam Lomsæ, Grodnæ, Nesvisii, Brunsbergæ, Vilnæ; **Joannes Gnatowski**, **Albertus Milewski**, **Andreas Pogorzelski**, ornati 1654.

P. **Andreas Rybski**, Samogita, ornatus per P. Danielem Butwil rectorem academiæ, anno 1664.

P. **Petrus Woyciunowski**, Samogita, ornatus per eundem rectorem anno 1664.

## AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ DOCTORES IN ACADEMIA

Creati ex aliis ordinibus, viri doctrina inclyti.

**Joan. Kuczborski**, Polonus, auditor theologiæ, nondum magister, edidit librum contra Volanum hæreticum. Creatus episc. Culmensis, gratulabatur sibi, quod litteris dedisset operam in academia Vilnensi, ibique lauream meruisset. Ornatus 1593.

**Gregorius** Swiencicki, archidiaconus Viln. Legatus ad Clementen VIII in negotio confirmandi apostolica auctoritate honoris divi Casimiri. Ornatus 1594.

**Lucas Krasnodomski**, 1594. Theologiæ studia Vilnæ inchoata confecit in academia Ingolstadiensi. Vilnens. collegii bibliothecam auxit insigniter libris theologicis, hispanicis item et italicis.

**Joan. Eysmont**, qui carmine polon. edidit poemata de Bello Kircholmensi, et Vilna incendio consumpta. Orn. 1596.

**Joannes Bialuski**, discipulus P. Martini Smiglecki in theologia, edidit lib. contra Martinum Gratianum, Calvinistam, de suo certamine theologico cum P. Smiglecio.

**Gaspar Jarnutowski**, theologiæ in acad. Viln. auditor oppugnavit libellis editis hæreticos; præsertim concordiam illorum in fide cum Ecclesia Romana, ad illudendum vulgo editam.

**Martinus Zagiel**, Lituan. edidit aliquot libellos contra hæreticos. Fundavit in collegio Viln. missionarios duos, qui excurrerent ad docendam in pagis plebem. Fuit is in collegio Canon. Viln. præpositus. Orn. circ. 1596.

**Petrus Gracki**, acceptus in familiam S. Francisci, quam Bernardinos vulgus vocat. Primus hic apud suos religiosos fratres magisterium philosophiæ professus, cum ante é

sua religiosa familia in academia Vilnensi cum nostris pariter instituerentur litteris severioribus. Vir in sua provincia magni nominis. Ornatus anno 1605.

**Hieronymus Ciechanowicz**, S. R. M. secretar. judex terr. Smolensc. Anno 1649 Legationis Masoviticæ secretarius. Anno 1644 nepotem suum, in academ. Viln. philosophiæ auditorem,in publico ex universa philosophia experimento oppugnavit, et apposita oratione academicam juventutem ad studia bonarum artium hortatus est. Orn. 1605, mort. 1651.

**Gaspar. Zaliwski**,canonicus et archidiaconus Viln. Orn. 1605.

**Petrus Parczewski**, præpositus Starodubensis infulatus, deinde primus Smolenscensium episcopus, denique Samogitiæ ep. Orn. 1622.

**Josephus Koller**, ingressus Ordinem Capucinorum in Germania, concionator celebris. Orn. 1622.

**Stan. Rzeczycki**,primum Caunensis, deinde Vilnensis notarius 1622.

**Daniel Crusius**, vir elegantis ingenii et eloquentiæ. Utrumque approbavit primum Polonis in cancellaria regia, deinde Germanis in Cæsarea. Orn. 1625.

**Joan. Dowgialo Zawisza**, absoluto Vilnæ studio theol. in Germania creatus utriusque juris doctor. Comitatus legatos ad principes a Polonia. Canonicus Vilnens., deinde archidiaconus Viln. et præp. Osmian.; denique referendarius, notarius Lituaniæ et episcopus Viln. Ornatus laurea anno 1628.

**Emmanuel. Brzostowski**, familiarissimus Leoni Palatino Vilnen. et Casimiro Sapieha Procancellario Lituaniæ, orn. 1631.

**Stanisl. Eliaszewicz Gieysz**, episcopi Samogitiæ nepos ex fratre, canonicus, deinde nominatus episc. Samogitiæ mortuus. Orn. 1631.

**Andr. Brazgalski**, canonic. Smolensc., protonotarius Apostol., notarius capituli Viln., concionator cathedralis ecclesiæ 1631.

**Martinus Uscilinski**, notarius consistorii Viln. 1635.

**Michael Mniszech de Magna Konczyce**, præfecti regni culinæ Capitanei Osiecensis filius, orn. 1640.

**Eustachius Kretzmer**, canonicus Varmiensis 1643.

**Alex. Kotowicz**, episc. primum Smolensci, deinde Vilnæ. Orn. 1644, 26 junii.

**Severinus Szczuka**, canonicus Vilnensis, ornat. 1642.

**Casimirus Woysznarowicz**, Romæ doctor juris et theologiæ creatus, scholasticus Piltinensis, deinde canonicus Vilnensis, regens Cancellariæ Majoris M. D. Lituan. Fundator ethicæ, seu christiano-politicæ in Academia Vilnensi, quæ inchoata est anno 1677, jam post hujus obitum. Sepultus est in monumento nostrorum Vilnen. Concionator celebris et scriptor edidit duos tomos concionum et Oratorem politicum. Ornatus 1642.

**Stanisl. Szczygielski**, Ord. S. Benedicti, Abbas Trocensis, edidit libros in argumentis tum sacris tum politicis, insignis benefactor Collegii Viln., ornatus 1649, 24 novembris.

## AD TRIUMPHUM LITUANORUM VILNÆ

In translatione Sancti Casimiri, de quo aliquid narravimus inter res gestas ad annum 1604, et pag. 406, adde ex illo eodem Quirino Cnoglero, Austrio, ejus triumphi et ipso spectatore, aliquid ex multis Sociorum et Academicorum officiis; qualia erant dramata, arcus triumphales, et accommodata alia atque alia ad triumphum spectacula; adde, inprimis templo S. Casimiri ædificando præjactum lapidem

angularem, a Benedicto Woyna episcopo Vilnensi consecratum, cum incisa in æs hac epigrapha :

TIBI, DEUS TER MAXIME PATER HOMINUM,
ad gloriam :
Tibi, Virgo Deipara, Mater humanæ salutis,
ad honorem :
Tibi, Casimire Dive, pollens, potens tutelaris Lituaniæ,
Invicte Victor hostilium exercituum,
Sospitator patriæ,
Patrator mirandorum operum,
Conservator custosque urbis,
ad cultum :
Pontificante Clemente VIII,
Regnante Sigismundo III,
Regente Vilnensem diœcesim Benedicto I Woyna,
Primus, ejus Antistitis manu sacratus, auspicio
rato, divisque felicitantibus,
ponor lapis :

Ut meo fulciam dorso operosam Basilicæ molem, professæ Societatis Jesu templum, primam in Lituania D. Casimiri religioni votam, ejusque sacris faciundis dicatam, ædem :

Regni saluti, Lituaniæ tranquillitati publicæ,
commoditati urbis, sospitati,
strui cœptum
anno reparatæ salutis MDCIV
mense Maio, die XII.

Pergit idem Quirinus : Fuit hic lapis, inquit, lithoteticis poetarum Vilnensium adornatus eulogiis. Ad hæc script. quod scripsit, ipse suum :

## LAPIS OFFENSIONIS.

Qui Casimiriæ fundamina sustinet ædis,
Ponente Woyna Antistite :
Hunc, nihil errarit, lapidem qui præscius esse
Offensionis dixerit.
Hæresis oblatrat, cum Juda offenditur : ecquo,
Ait, ista perditio facit?
Ista superstitio certe est, cœlique monarcham
Honore depreciat suo.
Nil mirum est, almæ quondam lapis ipse Sionis
Offensionis erat lapis.
Non offendatur tantum, offendat quoque ad illum
Jugulumque frangat hæresis.

Deinde Quirinus nominat proceres, quorum manibus sit jactus lapis. Illmus, recens designatus palatinus Vilnensis, Christophorus Radziwill, cui duo filioli adhæserunt : D. Sigismundus Carolus, et Alexander Ludovicus ; tres item ex duobus fratribus nepotes. : D. Nicolaus Christophorus, D. Joannes Albertus, D. Nicolaus Stanislaus Radziwill ; ejusdem adhæc gener Illmus D. Gabriel Tenczynski ; M. D. Theodorus Skumin, palatinus Novogrodensis ; M. D. Joannes Pac palatinus Minscensis ; M. D. Hieronymus Wolowicz, thesaurarius M. Lituaniæ ; M. D. Stanislaus Kiszka, etc. Post ea addit :

« Unum tango, quod diei fuit quintæ ; hoc ut, qui videris pietatis hactenus speciem, videas etiam statim pietatis fructum : qui videris honores Sancto habitos a suis, videas etiam Sancti profusionem in suos. Anni jam lapsi supra sexaginta sunt et quod excurrit, tot scilicet universe, quot a primo suo ortu Calvini numerat Evangelium, cum catholicum palatinum (summus hic est a rege in Polonia et Lituania magistratus) non vidit Vilna. Palatinum et catholicum dedit hic dies ; dicam rectius, hoc die Sanctus. At qualem palatinum? ut certare videantur inter se, Ecclesia, respublica, musæ, Mercurius, senatus, populus ; qui motis reliquis eum sibi vel vindicent tanquam jus, vel deligant tanquam patronum.

Quis est, qui nescire possit *radium illum* Lituaniæ, Nicolaum Christophorum *Radiwillum*, S. R. Imperii principem, Olicæ et Nesvisii ducem etc., de quo germanus quidam poeta :

Magnanimi celsos Herois respice vultus :
Imperii Princeps, Dux Radivilus hic est.
Jordanem vidit, Nilum bibit, omnia vicit,
Seu mala mille salo, seu mala mille solo.
Ingenio, certant alii, sit major an armis ;
Vincere certe omnes Dux pietate studet.

Et Lituanus de eodem :

Templa DEO, turres patriæ, collegia musis,
Ædes afflictis mundifugisque dedit.
Gloria militiæ, lux pacis, cognitor orbis.
Si deni tales, vicimus Italiam.

Posterius hoc superlate conclusum fortasse cuipiam videbitur, mihi non item : adeo enim suam ditionem qua arcibus, qua oppidis, qua stratis viis, qua aliis tum sacris tum politicis monumentis, ad speciem illustribus illustrissimus heros exornat, ut Lituania Italiæ (1) habeatur jam vel æmula vel gemina. »

Post alia idem Quirinus : Ecce tibi in Theatridio suo præsto musas Vilnenses, quæ, possunt, quæ volunt. Possunt, quia musæ ; volunt, quia Vilnenses. Noli turbare musicam, vetus est præceptum. Parebit huic Quirinus, tacebit, ut loquantur illæ.

(1) [In edit. Vilnensi legitur *Litalia*.]

## THEATRIDIUM POETICUM

Sanctissimo et Castissimo Poetæ Divo Casimiro
Academici poetæ Parthenii Vilnæ
monumentum immortale
posuere.

## EULOGIA CASIMIRIANA.

### ARGUMENTA POEMATUM ET NOMINA POETARUM.

1. Celeusma ad Sodales Parthenios, a Petro Gracki Præfecto Sodalitii Mariani. — 2. Hieropompilion Leoni Sapieha M. D. Lit. Cancellario, Regis Sigismundi III in hac pompa vices gerenti, DD. Idem. — 3. Super illo: agmine castorum casti decorentur honores, a Principe S. R. I. Nicolao Christophoro Radziwill. — 4. Super illo: gratior illustri fulgens in sanguine virtus, a Christophoro Constantino Bialozor. — 5. Aporicon, ab eodem. — 6. Super hoc: Sceptriferis decus addite Divis, ab Erlando Haldoro, gente Norvego. — 7. Insolita mors morte petita, a Paulo Suedero Kryttingio, Dano. — 8. Semita castitatis, a Joanne Kydio, Dano. — 9. Ad Romanos, ab eodem. —10. Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei. Apoc. 3, a Joanne Lago, Vardensi, Dano. — 11. Myrrha et casia a vestimentis ejus, Psalm. 44, a Joanne Kraykowski. — 12. Rex stirpe propinquus, pietate propinquior. De laudibus Regis Sigismundi III, a Gregorio Laurentio, Gotho. — 13. Phosphorus prosapiæ, a Daniele Colupedio, Pomerano. — 14. Næ Casimire sapis, ab Henrico Schachtio, Holsato. — 15. S. Casimirus miles christianus, a Thoma Abircrombeo, Scoto. — 16. Casimiri ope funditur hostis, a Jacobo Voschovio, Turonensi. — 17. In Labarotheten, ab Alexandro Swiencicki. — 18. In eundem maximis periculis ope S. Casimiri ereptum, a Gregorio Salicæo, Hungaro. — 19. Os homini sublime dedit, a Mathia Maricampo, Dano. — 20. Virtus invicta Josephi, a Nicolao Benedicti, Norvego. — 21. Odæ, epigrammata, anagrammata, a Gregorio Niurheno Sueco. — 22. Testis elinguis loquar, a Thoma Albertini, Italo. — 23. Anagrammata ex nomine S. Casimiri, a Joanne Nicolao Dizos, Scoto. — 24. Lapidis humandi suprema voluntas, ab Erasmo Bruno Sueco, S. R. M. alumno. — 25. Aræ Casimirianæ, ab Erico Axenbergio Sueco, S. R. M. alumno. — 26. Aræ Casimirianæ: 1. Tutelari Lituaniæ 2. Victori hostium. 3. Sospitatori Patriæ. 4. Patratori mirandorum operum. 5. Conservatori Urbis. 6. Triumphatori Diones. 7. Rei Fideique Romanæ contra schismata protectori. Poema Græcum, ab eodem Erico. — 27. Epitymbion, a Patricio Abircrombeo, Scoto. — 28. Beatus vir, qui inventus est sine macula etc. Eccl. 31. a Petro Tarwoyn. — 29. Norma juventæ, a Petro Rudomina. — 30. Eligo virgo mori, ab Andrea Lansedio, Livone. — 31. Lis geminæ componitur Urbis, a Simone Ugniewski. — 32. Casimiri ope funditur hostis, a Jacobo Voschovio, Turonensi. V. 16. — 33. Rosa sentibus orta, ab Ottone Podwinski, Livone. — 34. Caput aspidum elidet. Job 20, a Joanne Dicio. — 35. Sint lumbi vestri præcincti. Luc 12, ab Athanas. Ciechanovicz. — 36. Cœlesti fœdere jungit, a Matthæo Wolodkiewicz. — 37. Gustavit et vidit quia bona negotiatio ejus, a Martino Kossowski. — 38. Testantia signa pudorem, a Christophoro Szukszta. — 39. Monstra placavit, ab Alberto Podlecki. — 40. In imaginem S. Casimiri, a Thoma Sebastiani. — 41. Ænigma, a Mathia Mierzejewski. — 42. Ænigma alterum, ab Alberto Polaski. — 43. Incorruptio proximum facit Deo.

Sap. 4, ab Andr. Szumlenski. — 44. Anxia virginitas, a Christophoro Bobola.—45. Malo mori, quam fœdari, a Joanne Wolski. — 46. Certum azylum, a Petro Krasinski. — 47. Operæ pretium, a Joanne Narbut. — 48. Grata perpetuitas, a Joanne Petrevio, Scoto. — 49. Virtutibus aræ, a Valentino Narunski.— 50. Templi custodibus adsis, a Nicolao Sawicki. — 51. Ecce lapis, quem dedi coram Jesu. Zachar. 3, a Paulo Radziminowicz. — 52. Lapis iste vocabitur Domus Dei, a Joanne Tynicki. — 53. Lapis loquitur: primas in amore feremus, ab Adamo Rucki. — 54. Sileant miracula Memphis, a Joanne Izaykowski. — 55. Non me labor iste gravabit, a Christophoro. Krzyczewski. 56. Beatus, quem Dominus invenerit vigilantem, a Steph. Sopocko. — 57. Angelus tutelaris: tela irrita jactas, a Friderico Skotowski. — 58. Monumentum ære perennius, a Valentino Ungero — 59. In gestamen S. Casimiri, ab Euchardo Gondlowski. — 60. Justus, si morte præocupatus fuerit, in refrigerio erit. Sap. 4. a Thoma Wysoczarski. — 61. Virginitate, a Gaspare Bilducio. — 62. Justus ut palma florebit, a Petro Dybowski. — 63. Arma sui victoria vincit, a Joanne Szwanski. — 64. In labarum S. Casimiri, a Christophoro Buywidowicz. — 65. Triumphat in ævum, a Petro Minocki. — 66. Laudabuntur in civitate opera justorum Eccl. 8., a Baltassare Solodziejewicz. — 67. Frangi nescia ventis, a Josepho Gabszewicz. — 68. Quasi sol refulgens, a Joanne Gultowski. — 69. In medio non æstuat igne, a Mathia Solodziejewicz. — 70-76. Anagrammata et apposita ad hæc epigrammata, ab Adamo Sulatycki, ab Andrea Uzlowski, ab Simone Krzyczowski, ab Stephano Laskowski, a Thoma Bobrowski, a Gaspare Maszkowski. — 76. Meritis tribuantur honores, a Joanne Kobylski. — 77. Sacra taberna, a Matthæo Babinowski. —78. Major Atlante lapis, a Thoma Kociszewski. — 79. Me tibi subdo libens, a Joanne Pultorak.—80. Non me labor iste gravabit, a Christophoro Krzyczewski. — 81. Grata obsequia Ducis, a Gabriele Pupkowicz. — 82. Quo non livor adit? a Simone Tupalski. — 83-85. Ex persona S. Casimiri, ad Sigismundum III regem, Ab aliis ad Episc. Viln. Bened. Woyna, ad Cancellar. Lit. Leonem Sapieha. — 86. Epigrammata græca, a Joanne Kraykowski.— 87. Carmen sæculare, a Sebastiano Hermanowicz. — 88. Funere vita datur, a Gaspare Erazmusowicz. — 89. Ænigmata apposita, a Mathia Mierzejewski. — 90. Ad Manes nuntius ibo, a Joanne Wersocki. — 91. Odæ et epigrammata, a Gregorio Laurentio, Gotho.

Reliqui, quod aliunde colligimus, omissi ex eadem schola; ut qui nihil communem operam condiscipulorum contulerint.

## IX. SOCII INTERFECTI AB HOSTIBUS

### AUT VEXATI INSIGNITER.

P. **Bobola Andreas.** V. in Historia et indice. Illis adde: P. Andream in Societate vota prima nuncupasse, excipiente P. Laurentio Bartilio, anno 1613, XXXI Julii: initiatum minoribus Ordinibus Vilnæ, in sacello S. Casimiri ad ædem cathedralem, ab Abrahamo Woyna, Vilnensi tunc temporis suffraganeo, anno 1613, die XXI decembris: philosophiæ dedisse operam Vilnæ in Acad. et ibidem Theologiæ eodem professore, P. Jacobo Marquart: docuisse grammaticam Brunsbergæ anno uno, Pultoviæ eandem anno uno: ad Ordinem subdiaconorum initiatum ab Abrahamo Woyna XVIII decemb. an. 1621, ad diaconatum ab Episc. Vilnensi Eustachio Wolowicz, denique ab eodem ad presbyteratum anno 1622, mense majo. Vota

quatuor professum, excipiente Præside Provinciali P. Joan. Jamolkowski II junii, anno 1630, in templo Domus Professæ Vilnensis, interfectum anno 1657, XVI maii, feria quarta infra octavam Ascensionis Dominicæ.

**Butkiewicz, Joanes,** Adjut : Nesvisii, ubi officia æditui et vestiarii præstabat, cæsus anno ætatis 34, Societatis decimo. Pectus sagitta transfixum, cervix gladio nervique manus utriusque præcisa. De hoc Joanne v. l. X, n. 17.

**Costinensis sive Kostynski,** Polonus, vexatus a Suecis, ac prope enectus. Vid. Hist. lib. V, n. 1. Obiit Varsaviæ XXII januar., 1615.

P. **Czarnocki, Albert.,** Lomsæ a Suecis hæreticis interfectus anno 1657.

**Estko Joannes,** Adjutor, præfectus culinæ in Collegio Derpati, ab hæreticis enectus anno ætatis 43, Societatis octavo, XVII junii. Vid. L. V. n. 1.

P. **Gozewski, Casimirus,** Lituanus, quatuor vota professus, in Collegio Vilnæ Acad. minister, post exceptas, intra cladem civitatis, sacras fidelium homologeses, die VIII augusti, quo urbs capta a Moscovitis, Sociique dispersi, ictus, ex capitis vulnere occubuit anno 1655, ætatis 37, Societatis 18.

**Hreczyna, Andreas,** Adjutor, Ruthenus, præfectus culinæ in Collegio Lomsensi, cum ex pestilentia prope jam animam ageret, ab hæreticis a Suecia enectus anno 1657, ætatis 26, Societatis 7^mo^, V augusti.

P. **Jeleniewicz, Venceslaus,** Lituanus, benefactor domus Probationis Vilnæ : a Moscovitis abductus in vinculis, in Astrachania occubuit anno circiter 1662.

**Jurkowksi, Thomas,** Adjutor, natione Masovita, olim Missionariorum ad aulam regiam socius, deinde in Collegio Pinscensi æditnus, a Schismaticis occisus anno 1660, ætatis 52, Societatis 31.

P. **Kaweczynski, Andr.,** natione Rutenus, in domicilio Novogrodecensi officio minister, exusta civitate et domo a Moscovitis, abductus in Moscoviam, anno 1655, multis fortiter superatis, quibus ad profitendos maxime Schismaticorum errores cogebatur, post toleratas decem annos ærumnas, dimissus ab hoste, Nesvisii laboribus immortuus XXIX januar. 1667, ætatis 47, Societ. 33 anno.

P. **Kinard, Leonardus,** Scotus, et **Kirchstein** Lubecensis, Brunsberga a Suecis anno 1626 occupata, cum tribus Sociis adjutoribus Elbingam abducti, biennium vincula aliasque graves injurias sustinuerunt.

P. **Kopystynski, Joannes,** Rutenus. Vid. hic L. X. n. 24.

C. **Krzywowanziewicz, Nicolaus,** Vid. L. V. n. 1.

P. **Laterna, Martinus,** mersus ab hæreticis. Vid. L. IV. n. 14.

P. **Leomannus, Andreas,** jactatus ab hæreticis, L. VI. n. 14.

P. **Maffon, Simon,** excarnificatus. L. X. n. 28.

**Markowicz, Sebastianus,** Adjut : L. V. n. 1.

P. **Phae, Petrus,** veneno, ad aram in calicem sacrificanti fraude hæretici infuso, sublatus intra annum 1569. Vid. L. 1. n. 11.

P. **Pylinski, Eustachius,** vir pietate præcipua, apud Pinscum a Schismaticis cæsus anno 1660, ætatis 35, Societatis 18.

**Rafalowicz, Gregorius,** Polonus, commendabili pietate et prudentia vir, olim Sociorum Lomsæ, et alias Grodnæ Præses, deinde Novogrodeci, anno 1655, IX sept. ætatis suæ 65, Societatis 40, a schismaticis jactatus, diffisso securi capite interemptus, una cum domicilio combustus.

P. **Rafalowicz, Michael,** primus superior in colonia Novogrodeci, in rogo combustus. Vid. in Historia lib. VII, p. 290 et in Catalogo Rectorum, p. 413.

**Sitkowicz, Bartholomæus,** Masovita, Adjutor, ab hæreticis Litobroci, in prædio Collegii Polocensis, tortus, capite cæsus, mense majo, anno 1556, ætatis 40, Societatis 19.

P. **Spotecus, Christophorus,** Derpati a Suecis correptus, fame et ærumnis enectus Stokholmiæ in carcere, L. V. n. 1.

P. **Staniszewski, Joan.,** Masovita, anno 1655, mense septembri, Nesvisii a schismaticis concisus, anno ætatis 43, Societatis 24.

P. **Wiechowicz, Adamus,** Masovita, navus in vinea Domini annos 26 operarius, Nesvisii, anno, 1655, ætatis 56, Societatis 38, 21 septembris cæsus a Moscovitis.

**Vitriarius, Mathias.** L. V. n. 1.

**Volther sive Velther, Joannes,** Derpati a Suecis, L. V. n. 1.

**C. Wolk.** L. VII. n. 45.

**Zebrowski, Thomas,** Adjutor, confectus vulneribus a Suecis Plociæ interiit anno 1577, die 22 novembris.

P. **Zielenski, Matthæus,** Vid. Lib. X. n. 24.

## X. SOCII TEMPORE PESTILENTI OFFICIIS CHARITATIS IMMORTUI.

P. Alexandrowicz, Stanislaus, Lomzæ, 1624.
P. Bilducki, Adam., Varsaviæ, 1624.
P. Borzycki, Bartholom., Lomzæ, 1661.
P. Daniecki, Stanisl., Vilnæ, 1639.
P. Garlinski, Stephanus, Varsaviæ, 1624.
P. Giedroyc, Georgius, Vilnæ, 1653.
P. Glowinski, Remigius, Lomzæ, 1624.
P. Gogolewski, Joan., Masovita, acceptus in Soc. 1606, vota 4 professus : linguæ sacræ triennium, biennium mathematicæ, totidem alias annos theologiæ moralis in Academia Viln. magister, quinquennium Lomzæ alias, alias Pultoviæ concionator; occubuit Lomzæ 11 septemb. 1624.
Golinski, Jacobus, Adjutor, Vilnæ, 1589.
Gruda, Nicolaus, Samogita, Adjut. Lomzæ, 1624, 11 octob.
Grzegorzewicz, Stanisl., Adjut. Vilnæ, 1630.
P. Hepner, Urbanus Vilnæ, 1630.
P. Jaguza, Augustinus, cum Sociis PP. Slepowronski, Korzeniewski, Borzycki, et tribus laicis Adjut. Lomzæ, 1661.
Janciulewicz, Adjut. Polociæ, 1623.
P. Kaczynski, Albertus, professus 4 vota, gubernavit domum pro Rectore Plociæ, ibid. occubuit 1656 mense octobri.
Ibidem eadem tempestate profuderunt in ministerio animas :
PP. Peplowski, Alb., Masovita, professus 4 vota, vir eloquentia præcipua; Menczkowski Stanislaus, vir et ipse in primis doctus cum duobus Soc. Adjutoribus, Georg. Bruchart, et Simone Rozenstau.
P. Kihn, Joan., Prutenus, Vilnæ, 1653.
P. Klukowski, Petrus, Vilnæ, 1625.
P. Korzeniewski, Stanislaus, Lomzæ, 1661.
P. Kosinski, Joannes, Lomzæ, 1624.
Krasnensis, Stephanus, Adjut. Lomzæ, 1626.
P. Krasowski, Lucas apud Alegambe inter victimas charitatis, pag. 54.
P. Kraus Joannes, Varsaviæ, 1658.
Krzyczewski, Andr., Adjut. Varsaviæ 1656, sepultus in templo PP. Ordinis Prædicatorum.
P. Krzyzanski, Valentin. Masovita, celebris concionator Varsaviæ annos 8, legatum ex Polonia secutus, Neapoli extinctus peste 6 julii 1666.
P. Kucewicz, Stanislaus, Collegii Minister Lomzæ, 1624.

Kuszewski, Michael, Adjut., Varsaviæ 1653, 19 octob.
Lada, Lucas, Adjut. Varsaviæ, 1658.
P. Lyskowicz, Joan., Varsaviæ, 1660.
Mieleszkiewicz, Andreas, Adjut. Lomzæ, anno 1661.
Milewski Adjutor, an. 1661.
P. Milonski Lomzæ, 1625.
Mroz, Joan., Adjut. Varsaviæ, 1625.
Naczynski, Joan., Hungarus, Adjut. Vilnæ, anno 1653.
P. Piantus, Joan., Masovita, Lomzæ, 1624.
P. Pielaszkiewicz, Jacobus, Vilnæ ad S. Casim. 1625.
Pietraszkiewicz, Petrus, Adjut. Varsav. 1658.
P. Piotrowski Plociæ, 1625.
P. Porzecki, Thomas, Vilnæ, 1653.
P. Proszynski, Paulus, Vilnæ ad S. Casim. anno 1653.
P. Prusinowski, Joannes Masovita, Socius P. Andreæ Bobola inter novitios, mort. Varsaviæ 1625 : secuti sunt hunc Socii sui Adjut. Joannes Mrozowicz, et Joan. Zyrkowicz; hos consecutus P. Martinus Szczerbin Polonus.
P. Przezdziecki, Joan., Lomzæ, 1624.
P. Raczek, Andreas, Lomzæ, 1650.
P. Radzenkowski, Gabriel, Vilnæ, 1625.
P. Radzikowski, Lucas, Vilnæ, 1625.
Serdekiewicz, Andreas, Lomzæ, 1661.
P. Slepowronski, Sigismundus, Lomzæ, 1661.
P. Sobotkiewicz, Mathias, Vilnæ, 1635.
Spirau, Joan. Adjut. Vilnæ, 1625.
P. Stafeld, Nicol. Brusbergæ, 1612.
P. Steigerber, Thomas Varsaviæ, 1656, sepultus apud PP. Dominicanos cum Andrea Krzyczewski Adjutore.
P. Storymowicz, Simon, Resselii, 1656.
Simonowicz, Stephan., Vilnæ ad S. Casimirum, 1630.
P. Szczerbin, Martinus, Varsaviæ, 1625.
P. Trzcinski, Nicolaus, Polonus, Varsaviæ, anno 1653.
Walentynowicz, Adjut. Polociæ, 1625.
Zechowicz, Adjut. Varsaviæ, 1625.
Zyrkowicz, Adjut. Varsaviæ, 1625.

*Nota Edit.* Juvat huc referre ea quæ tradit P. Adamus Naramovski in *Facie rerum Sarmaticarum*, lib. 1, cap. 6, pag. 161 et seq.

« Domestica sæpe regni (Poloniæ) et M. D. Lituaniæ grassabatur lues pestifera et fames, ita ut per unum sæculum aliquoties plura millia mortalium consumi contagione debuerint.

Anno 1205 et duobus insequentibus annis sæviit per regnum lues (Cromer, lib. 7). Anno itidem 1211 magnam stragem edidit in hominibus et jumentis (Idem, l. 7). Anno 1213 Prussia, Livonia et Lituania hac pestis famisque sævitie pœne consumpta est (Schutz *in Rer. Pruss. Histor.*). Demum in Prussia ab an. 1345 per quinquennium, an. 1352 abstulit Thorunii 4621 hominum, Elbingæ 7092, Gedani 17,667, præter villanos ; ibidem an. 1427 canonicos et sacerdotes 560, cives et rusticos 38,000, famulos famulasque 25,000, pueros et infantes 18,000 (Kuriken in *Descript. Gedanens.*). Gedani an. 1464 absumpsit mors pestifera 20,000 mortalium per unam æstatem (Idem). Eadem urbs in absumptis post, brevi tempore 24,000 hominum intra sua perdidit mœnia (Bœhm in *Ara grat.*). Inter annum itidem 1548 et annum 1549 tota fere Prussia expugnata peste et consumpta est, dum Gedani 4,000, Mariæburgi 6,000 hominum occubuerunt (Idem). Anno autem 1564, Gedani lue consumpta sunt 33,885. (Kuricken in *Descript. Gedani*); anno 1575 sublata e vivis 10,000 mortalium (Bœhm in *Ara grat.*). Itidem ibidem an. 1602 subita morte cecidere 18,000 (Ex ms.) In eadem sæpe memorata urbe Gedanensi anno 1629 extincta 2,121. Anno sequenti 4,863 ; anno vero 1656 mortalitati cessere 8,262 (Bœhm). Demum præsenti sæculo currente an. 1709 Gedani adeo sæviit pestis, ut 2,600 hominum intra mœnia, extra vero totidem mortalitate consumpta numerarentur : Thorunii vero eodem anno 4,000. In Varmia 12,000 extincta ad calculum revocata sunt.

Poloniam prædicta lues totam infestavit post coronationem Venceslai regis (Cromer. lib. 2) Denuo an. 1349, et non prius sævire desiit, quoadusque maximis hominum pœnitentiis divina ira non placaretur (Dlugosz in *Hist. Polon.*). Anno 1358 per sex menses medietatem degentium in Polonia tota absumpsit mortalitas, in ipsa Regiopoli Cracoviensi 20,000. Hic singulare hoc observatum est, quod in nobiles et locupletes magis quam in vulgus sæviit hoc malum (Cromer. lib. 12). Idem passa Polonia annis 1360, 1382. Anno vero 1424 ita in Polonia et Lituania sæviit contagio, ut Jagello rex cum regina et Vitoldo silvas inhabitare coacti essent (Herburt, *Chronic. Pol.* lib. 14). Annis iterum 1440, 1450, 1456, 1457 multos e vita sustulit fatalitas (Cromer lib. 12, Dlugosz). Sæpius huic hospitem an hostem ex Hungaria serpentem sensit Polonia : uti annis 1485,1486 hiems asperrima aliquantulum sedavit luem, quæ in æstatem iterum recruduit (Cromer, lib. 30). Podolia sola, teste Vapowscio (in *Fragm. Hist. Polon.*) an. 1510, Posnania vero annis 1514, 1520 plurima millia numeravit absumpta (Treter in *Hist.*). Tota iterum Polonia annis 1592, 1622 calamitatis pestiferæ pœnam subiit. Cracovia an. 1652 extincta numeravit 36,000 præter eos, qui in agris, campis, silvis etc. occubuerunt; idem malum vicinæ subiere provinciæ (Kochov. *Climact.* lib. 5). Idem passa Polonia an. 1662.

Tandem ad initium præsentis sæculi 1704 pestifera lues Leopolim invasit in qua 10,000 extincta sunt, deinde Jaroslaviam, Samboriam etc. Anno 1706 Cracoviam ; an. 1707 Varsaviam, Sandomiriam, Petricoviam; an. 1708 Posnaniam in qua an. 1709 mortalitate consumpta sunt 9000. Demum totam Lituaniam antequam hoc malum affecit, prius ingens sæviit fames, præsertim in Samogitia et Vilna. Illa provincia cum satis esset populosa, ob summam panis penuriam prorsus hominibus evacuata est, qui in dies Vilnam affluebant, ut aliquantulum inediæ suæ subvenirent... sed paulatim enecti inedia cadebant et julio ad dominicam Passionis numerabantur extincta 22,862. Grande et horrendum videre erat, quando pressi inedia canes, glires, mures, catos ferino devorabant appetitu. Octo adducti Vilnam rustici qui occisis uxoribus, prole, imo obviis mactatis itinerantibus vitam sustentabant. In sua urbe Vilnensi totam extinctam fuisse diceres Samogitiam, in parte Lituaniam. Subsecuta post atrox et funesta pestis quæ Vilnæ anno 1710 christianorum 20,000, Hebræorum 4,000 absumpserat. In tota Samogitia sacerdotes cum religiosis tantum 17 superstites remanserunt.

Collegia Societatis Jesu, Crosense, Possaviense, Caunense, residentia Mittaviensis ex integro evacuata sunt, ita ut quotquot erant, dum se servitio impenderunt, vitam fatis in obsequio populi litaverint (*Diar. Samogit.*). In provincia Lituaniæ Patres Societatis Jesu, qui pestiferis immolarunt sua obsequia, extincti sunt 118 præter personas eas, quæ non inservientes, peste absumptæ sunt. In provincia Polona 42 in obsequio infectorum cecidere victimæ. (*Diar. Roman.*). Nunquam tamdiu in Polonia et Lituania memoratur sæviissse pestis, quam hocce sæculo; cœpta enim anno 1704, in Ukraina ad Niemiroviam, ad annum 1713 totum regnum totamque devastavit Lituaniam. »

# SUPPLEMENTUM

## I.

## R. P. NICOLAI LANCICII SOCIETATIS JESU

PROVINCIALIS IN MAGNO DUCATU LITHUANIÆ

## DISCURSUS PRO RUTHENIS UNITIS (1).

Antequam respondeam ad quatuor puncta nobis nomine serenissimi Regis nostri (2) proposita, tria præmittenda videntur.

1° Me existimare non habiturum ullum justæ offensionis causam, si quid dixero, veritate et conscientia jubente, quod non sit futurum ad gustum omnium. Nam et veritas odium parere solet, et aliorum judicia nostris contraria nostro non arrident palato.

2° Gravitatem materiæ nobis propositæ tantam esse, ut teneamur candide et plene explicare, quidquid hac in re potest et nostras et aliorum conscientias aut in graves Dei offensas, aut in certum earum periculum adducere ; quæ duo mala gravissima sano consilio et abigenda et impedienda et expedienda sunt, sine ullo terreni emolumenti respectu, aut humanæ indignationis metu. Terret enim me illud S. Augustini decretum excerptum ex ejus ad Casulanum epistola et relatum

(1) [Recolantur dicta in præfatione.] — (2) Vlasdislai IV recens electi.

in canonem *Quisquis* XI. q. 3 : *Quisquis metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat : quia magis timet hominem quam Deum.* Et quemadmodum in altero canone legitur : *melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione recipere beneficium.*

3° Ruthenos non unitos cum S. Romana Ecclesia non tantum esse schismaticos, sed etiam vere et proprie hæreticos : quia cum pertinacia credunt et profitentur doctrinas, dogmatibus fidei contrarias, ac proinde hæreses. Credunt enim et docent Spiritum S. non procedere a Filio, sed a solo Patre, et, ut omittam alia, Romanum Pontificem non esse pastorem totius Ecclesiæ Christi ejusque Vicarium. Proinde cum, juxta doctrinam S. Thomæ (2. 2æ. quæst. 10. art. 6.), hæresis (loquendo regulariter) sit pejor quam infidelitas judæorum et gentilium, deteriores sunt ratione infidelitatis non-uniti (de quibus hic agemus) quam judæi et mahometani, et alii infideles ac idololatræ, immo pejores hæreticis ob schisma formale, quo præter hæresim sunt infecti, et propter innatum odium contra ritus et dogma S. Romanæ Ecclesiæ, ob quod malunt se adjungere hæreticis, quam catholicis, contra quos etiam in hoc regno conspirant. His præmissis,

QUÆRITUR PRIMO :

*An possit lege permissiva, non approbativa, permitti non unitis cum S. R. E. Ruthenis pax et securitas in exercitio religionis, sicut permissa est hæreticis seu dissidentibus ?*

Resp. Salvo meliori judicio, præsertim determinante S. R. Ecclesia (cui me et omnia mea submitto) non possum in hanc venire sententiam, ut credam talem fieri posse legem, in favorem non-unitorum, propter has præcipue causas :

1° Quia non licet nobis aliud consilium dare quam illud ipsum, quod jussu ss. Domini nostri ex Urbe missum est illustr. nuntio apostolico, in quo vetatur ne schismaticis uniti ea concedant quæ petuntur. Debemus enim submittere nostra judicia S. R. Ecclesiæ et declarationi, Romæ jussu sanctissimi ab eximiis theologis et jurisperitis factæ.

2° Quia si talis lex statueretur, vel plus aliquid non-unitis tribueret, quam habeant modo ex tolerantia catholicorum, qui eis impune permittunt omnia ad eorum religionem spectantia, eosque tolerant, vel non plus. Si hoc secundum, non est ergo necessaria non-unitis lex talis ; ergo frustra ab illis ea petitur, et a catholicis concedenda non est. Si vero lex illa plus contineret, quam tolerantiam et permissionem rituum, et dogmatum illorum, uti non-uniti videntur optare,

tunc (1) esset illicita : quia cooperaretur positive ad dilatationem hæresum et schismatis illorum, et contineret favorem hæreticorum (quales sunt omnes non-uniti) ac proinde talis legis auctores incurrerent in excommunicationem bullæ *Cœnæ Domini* latam contra fautores hæreticorum.

3° De essentia legis est obligare, ut per se notum est et omnes fatentur. Si ergo daretur talis lex, non solum ex ea oriretur suspensio punitionis contra hæreticos, a legibus divinis (2) et ecclesiasticis (3) et cæsareis et regni nostri præscriptæ ; sed insuper adimeretur magistratui sacro et civili potestas puniendi hæreticos, et inde sequeretur obligatio eos nunquam puniendi. Talis autem obligatio est illicita, quia est contra divina, pontificia et cæsarea ac nostra municipalia jura ; quæ omnia dant magistratibus potestatem puniendi hæreticos. Quæ potestas per hanc, si servetur, legem tolleretur, eo modo quo lex illa Polonica de non captivando ullo, nisi prius jure sit admissi sceleris convictus, adimit magistratibus et ipsi regi Poloniæ potestatem scelestos captivandi. Cum ergo talis obligatio sit mala ac illicita, proinde non est ferenda.

4° Lex, in omnium sententia, non potest ferri quoad res vel personas, in quas non habet jurisdictionem et potestatem is qui talem legem ferre vellet. Atqui episcopi Rutheni uniti, obtena eorum ecclesiastica non subjacent jurisdictioni et potestati sæculari, a qua jure divino et ecclesiastico et cæsareo sunt exempti. Ergo non potest ferri ulla lex supra eorum bona ecclesiastica; si tamen ferenda est, a Summo Pontifice et throno sacerdotali ferri debet. Hinc Malachias (II, 5) ad ecclesiasticum magistratum causas ecclesiasticas remittit : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirant ex ore ejus.* Et optimus rex Josaphat (2 Paralip. XIX, 10, 11) tamquam custos et executor divinarum legum declarans, non constituens, et distinguens ex Dei præscripto officia sacerdotalia et regalia, dicit : *Amarias sacerdos et pontifex vester* (summus) *in omnibus quæ ad Deum pertinent*

(1) In cod. mss. additur : *talis lex.*

(2) Levit. II, v. 2 et c. XXIV, v. 6 ; Num. XXV, v. 5 et Deuter. XIII, v. 5, 6, 9 ; c. XVII, 12, et c. XVIII, 20.

(3) Cap. *Ad abolendum extra* de hæreticis, et capit. *Super eo* de hæreticis lib. 6. Tempore Constantini pœna exilii etiam in illos decreta (ut patet ex procemio Concilii Nicæni et Sozom. Lib. 3, et ibidem cap. 20, et L. *Ariani* c. de hæreticis), et fuit usitata ad tempora S. Anastasii Papæ, ut patet ex ejus epistolis ad episcopos Germaniæ. Postea addita pœna pecuniaria tempore Theodosii imperatoris, ut patet 23, q. 3. can. *Ipsa pietas* et L. *Cuncti hæretici* c. de hæreticis. Sed Marcianus et Valentinianus decreverunt in eos pœnam captivitatis (ut patet in. L. *Quicunque*, Codice de hæreticis) et ut traderentur brachio sæculari ad extremum supplicium (patet ex capit. *ad abolendum extra* de hæreticis), ac ipso facto privarentur dominio bonorum temporalium (ut patet ex capit. *Cum secundum* de hæreticis lib. 6 et ex his quæ habet Silvester v. *hæresis* 1. n. 12, 13 et 14, et Alphonsus a Castro 1, 2. *De justa hæreticorum punitione*, c. 5 et 6).

*præsidebit : porro Zabadias qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.* Unde sequitur, ad regis officium non pertinere dispositionem de rebus et personis ecclesiasticis, quippe ad Dei cultum directe et principaliter institutis. Quocirca si in lege veteri, quam apostolus vocat (Gal. IV) servorum legem, rerum et personarum eccclesiasticarum dispositio ad summi sacerdotis tribunal spectabat, non vero ad regalem et politicam auctoritatem ; multo magis id novæ legis sacerdotibus convenit, quæ, teste apostolo loco citato, est lex liberorum et filiorum, et quæ, ut idem apostolus ait (ep. ad Hebræos VIII, 6), in melioribus promissionibus sancta est, atque ita sua excellentia veterem superat, sicut corpus et imago superant umbram, ut idem comparat (ad Hebræos, X, 1).

Porro in contrarium objici posset, id quod ex principiis veris theologicis asserit Becanus (in Manuali controvers. lib. V, c. 17), nimirum posse principem catholicum non solum permittere seu tolerare in suo statu hæreticos, sed etiam pacisci, et promittere se eos permissurum seu toleraturum ; sicut ergo addi potest tolerationi promissio, immo et juramentum, si est promissio rei licitæ, ita videtur posse etiam lex hac de re ferri.

Sed responderi potest : promissione tali non adimi potestatem puniendi hæreticos, sed tantum impediri actum punitionis ; quia qui promittit se aliquem non puniturum, non dicit se non posse eum punire, sed tantum promittit se non puniturum. At si lex talis ferretur, non tantum adimeret actum punitionis, sed ipsam potestatem et auctoritatem puniendi. Hoc autem, ut supra dictum est, injuriosum esset divinis et humanis legibus, supra commemoratis, quæ dant potestatem puniendi hæreticos et volunt eam residere in ecclesiastico et politico magistratu.

### QUÆRITUR SECUNDO :

*An possit episcopatus Premisliensis, qui numquam fuit in Unione, nec episcopos, excepto moderno, unitos habuit ; an, inquam, post mortem moderni episcopi uniti possit restitui schismaticis, salvis cautelis animarum ?*

Resp., non posse. 1° Si fieret hæc episcopatus ab unitis ablatio (etiamsi non essent inconvenientia alia graviora, præsertim animarum nunc unitis subditarum pernicies, quæ sequeretur, si schismaticorum regimini subjicerentur), alienarentur ab unitis cum S. R. E. : imprimis domicilia sacra et catholica, uti sunt templa, monasteria, xenodochia etc. ; deinde alienarentur sacra supellex et pretiosa mobilia ; tandem alienarentur etiam bona stabilia et redditus annui ex illis provenientes, quibus episcopi aliique ecclesiastici ac eorum famuli sustentantur.

Omnium autem horum alienatio sub censuris ecclesiasticis, et sub nullitate actus ac obligatione restituendi est vetita. (Primum quidem a S. Leone I. Papa, an. 447 ; postea vero a Paulo II Extravag. *Ambitiosæ*, a Paulo IV in Extravag. *Injunctum*, et a Pio V et a Concilio Tridentino, Sess. 22. Cap. 11. de *Reformatione.*)

2° Per hanc alienationem episcopatus Premisliensis (idem autem est judicium de episcopatu Luceoriensi, Mscislaviensi, ecclesia S. Sophiæ et aliis) usurparent sibi schismatici jurisdictionem in animas ; quæ lupis in oves Christi nec a Papa concedi potest, multo minus a magistratu aut a republica sæculari. Insuper acquirerent schismatici potestatem administrandi sacramenta, quæ subditis non licet suscipere ab hæreticis pastoribus quales sunt hi schismatici. Acquirerent etiam jus docendi populum sibi subjectum, ac per consequentiam docendi eas quas profitentur hæreses de processione Spiritus Sancti a solo Patre, de Romano Pontifice, quod non sit Pastor totius Ecclesiæ Christi etc. ; quæ omnia sunt illicita. Denique acquirerent vim coercendi pœnis eos, qui illis nollent obedire, ac proinde puniendi catholicos unitos, qui schismaticorum errores respuunt ; quod etiam est Ecclesiæ injuriosum.

3° Quia etiamsi nunquam episcopatus Premisliensis, aut ejus episcopus antea fuisset unitus, eo ipso quod nunc ea bona ecclesiastica modo legitimo assignata sunt a Summo Pontifice et serenissimo Rege pro episcopo unito, transierunt in jus Ecclesiæ, sunt vere et proprie bona Ecclesiæ catholicæ, ac proinde non possunt ab ea alienari, nisi consentiente Romano Pontifice, Pastore Ecclesiæ. Multo autem magis non possunt eadem dari hæreticis et hostibus S. Romanæ Ecclesiæ pejoribus quam sint ipsi meri hæretici, ut supra dixi.

4° Certum est, ut ostenditur ab unitis, in illo episcopatu fuisse unionem multo ante tempora moderni episcopi, ut infra ostendam. Esset autem contra jus unitorum ac proinde iniquum, unitis hæc bona auferre, et conferre non-unitis, et iniquissima esset lex, quæ id approbaret : approbaret enim juris alieni violationem.

5° Majus malum est tradere templa, sacramenta, suppellectilem, bona stabilia et animas innumeras hostibus Ecclesiæ, quam similibus hostibus tradere sacros codices. Et tamen dum Diocletiani Imperatoris decreto, commemorato a S. Augustino (*De Baptismo* l. VII, c. 2), cogerentur christiani eos ethnicis tradere, malebant mortem subire, quam eos (etiamsi alia exemplaria describi et occultari possent) sine ullo damno religionis tradere. Ideoque Ecclesia eos tamquam martyres colit 2 januarii in martyrologio Romano.

6° Majus est dare totaliter et in perpetuum bona mobilia et immobilia, et jura Ecclesiæ, quam dare tantum in emphyteusim, v. g. ad decennium, vel locare ad quadriennium. Sic enim bona alteri tradita nec amitterent directum dominium (ut

amitterent, si non-unitis post mortem moderni (1) episcopi in perpetuum traderentur) et elapso decennio vel quadriennio redirent ad possessionem Ecclesiæ, cum suis fructibus et proventibus; ad quam nunquam redirent, si applicarentur non-unitis. Cum ergo sub gravissimis censuris, quæ supponunt reatum gravissimum peccati mortalis, prohibitæ sint a Sede Apostolica alienationes etiam ad certum tempus bonorum et rerum Ecclesiæ per emphyteusim et locationem vel conductionem, multo magis totalis et perpetua alienatio, quam affectant non-uniti, si fieret, et reatum peccati mortalis, et excommunicationem latæ sententiæ soli Papæ reservatam induceret contra sic alienantes, et alienata acceptantes, immo contra omnes consentientes eis (c. *Quid ergo* 13, q. 4) : ut bene observavit Petrus Rebuffus, juris consultus clarissimus, in suo compendio alienationum rerum Ecclesiæ n. 107; immo, ut idem ait ibidem n. 117, etiam qui tali alienationi conniveret, hoc est tacite consentiret (quemadmodum statuitur in 3° Decretalium, in rubrica de *alienandis vel non alienandis bonis Ecclesiæ*, et exponitur in lege per Illyricum C. *De Contra*, l. 12). Et talis alienatio non tantum illicita, sed etiam invalida esset (ex Constitutione Pauli II *Ambitiosæ*), ac proinde induceret perpetuam obligationem restituendi Ecclesiæ bona sic male alienata a proprio domino et possessore, ut omnes theologi et jurisperiti constanter docent; et tales non restituendo, vel non cooperando ad restitutionem faciendam cum possent, vel detinendo bona contra voluntatem superioris, et invalide alienata, essent in continuo peccato propter notata in c. 1, de *Constitutionibus* (Glossa et Panormitanus, Lessius, Rebuffus, et alii).

7° Etiam commutatio bonorum Ecclesiæ in alia bona, alioquin utilia immo utiliora, sine consensu Apostolicæ Sedis, est ab ea damnata sub gravissimis censuris in Extravagante *Ambitiosæ* et in aliis. Multo magis ergo vetita est totalis ac perpetua alienatio hujus episcopatus et ejus bonorum, per quam totum quod in illa diœcesi habuit, Ecclesia perderet, et nihil æquivalens acquireret, quod acquiritur in commutatione bonorum.

8° Paulus IV in Extravag. *Injunctum*, citans papæ Symmachi decretum quod habetur c. 6, *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, præter alios Pontifices, vetat res Ecclesiæ quavis specie alienationis alienari, etiamsi juramento, et longa temporis præscriptione (quam non-uniti in hoc episcopatu intercessisse asserunt) fuerint roboratæ et ipsius Romanæ Ecclesiæ favorem, quod in nostro casu non est, concernentes. Et in controversiis vel dubiis hac de re motis, uti nunc mota sunt, ita jubet ab omnibus judicari et definiri. Ergo multo magis illicita est talis alienatio, quam non-uniti in hoc episcopatu affectant, ex qua ingens damnum saltem temporale S. Ecclesiæ sequeretur, etiamsi omnes cautelæ adhiberentur in beneficium animarum; quod tamen sperari non potest, dum subderentur regimini luporum, et

(1) In MS. : *hujus*.

S. R. E. inimicorum, incapacium omnis in animas et personas jurisdictionis.

9° Non licet bona unius ecclesiæ catholicæ, alteri ecclesiæ catholicæ tradere sine consensu Sedis Apostolicæ. Ergo multo minus licet tradere non-unitis qui sunt extra Ecclesiam catholicam, et hostes Ecclesiæ catholicæ, qui malunt esse hæretici quam catholici. Antecedens probatur ex omnibus illis Summorum Pontificum constitutionibus, quas supra attuli. Quibus addo textus Juris Canonici in C. *Non licet* : in C. *Diacono*, in C. *Quidquid*, in C. *Monemus*, in C. *Quisquis episcopus*, in C. *Sine exceptione* 12, 9 : 2. in C. *Nulli*, in C. *Si quis presbyterum*, in C. 2. *De rebus ecclesiæ non alienandis* in C. et in Clement. 1ma *De rebus Ecclesiæ non alienandis.* Hic addo auctoritatem legum imperialium in L. *Jubemus* C. *de Sacrosanc. Ecclesiis,* et per textum in § *Nos igitur. v. alienatio.* In authent. de non alienandis aut permutandis rebus Ecclesiæ, § *Quia vero etc.*

QUÆRITUR TERTIO :

*An possit permitti institutio seu erectio novi episcopatus Mscislaviensis pro schismaticis ?*

Resp. Cum distinctione. Si non-uniti ex suo patrimonio instituerent hunc novum episcopatum, nihil usurpando ex bonis archiepiscopi Polocensis uniti et ecclesiarum illi subjectarum, posset sine positiva catholicorum approbatione et consensu per talem permissionem et tolerantiam ille episcopatus permitti, sicut permittitur erectio novi lupanaris, et non plus. Id enim, dum adsunt causæ graves, licet permittere, ut docent sanctus Thomas (2. 2. q. 10 a 11) et ejus commentatores, Becanus in *Manuali controversiarum*, lib. V. c. 17.

Si vero pro hujus episcopatus erectione auferenda sunt bona et redditus unitorum sacerdotum, ad episcopatum unitum Polocensem spectantium, quæ bona non-uniti manifeste sibi dari, et episcopo Polocensi unito auferri petunt, non posset permitti talis nova erectio hujus episcopatus Mscislaviensis ; quia in tali permissione involveretur positiva cooperatio ad illicitam bonorum S. Ecclesiæ alienationem, adeo rigide (ut ostensum est) vetitam et damnatam jure divino et humano. Patrimonium enim Ecclesiæ debet conservari illæsum (L. *Jubemus*, in fine 1. Col. C. de *Sacrosanctis ecclesiasticis*). Unde deponitur alienans prædium Ecclesiæ etiam exiguum (*C. Quicumque* 1. in 17.q. 4).Unde sequitur non posse talem permissionem lege stabiliri, quia non tam permissio quam approbatio rei illicitæ esset. Nempe in tali lege præter obligationem, quam omnis lex inducit, accederet consensus legem talem iniquam ferentium : consensus, inquam, in rem illicitam et damnatam, animabus perniciosam, puri cultus divini impeditivam, innumerarum blasphemiarum, et hæresum seminatricem ; ac proinde esset gravissimum peccatum. Unde

S. Paulus (Rom. 1, 32) scribens de consensu in mala, ait: *Digni sunt morte non solum qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Multo autem magis qui non tantum consentirent, sed essent causa talis legis iniquæ, vel eam ferendo, vel ut feratur consilium aut auxilium dando, immo etiam non impediendo, si possent, contrario consilio ; ad quod dandum sub pœna peccati mortalis tenentur ii qui illud dare possunt, si eis occasio offerretur de hac re agendi, præsertim si eorum sententia hac de re quæreretur.

QUÆRITUR QUARTO :

*An templum S. Sophiæ, quod est cathedrale metropolitæ Kioviensis, permitti possit non-unitis, ut illud restaurent, et pro se retineant?*

Resp. Restaurationem templi catholici, quia cedit in commodum Ecclesiæ et ex se mala et vetita non est, posse permitti ; sed si ultra restaurationem debet devenire in possessionem non-unitorum, et alienari ab unitis (quod non-uniti prætendunt), non posse id permitti : tum propter causas in responsionibus ad priora quæsita allatas ; tum quia 1° hoc templum fuit et est actu in possessione moderni Rmi Dni metropolitæ totius Russiæ uniti, qui in illo et liturgiam (etiam præsentibus Cosacis s. unionis hostibus) celebravit pacifice, et illud magnis sumptibus ex parte restauravit, et suos vicarios ad illud misit, et clavem illius habet, etsi ob resistentiam et potentiam Cosacorum non-unitorum, in illa ita frequenter, ut vellet, divina mysteria celebrare non possit. Adimere autem modis illicitis et vetitis alicui etiam tabernam civilem (ad quam ille jus habet), etiamsi illius non habeat pacificam possessionem, est injuria ; quanto magis rem sacram?

2° Quia fundationibus episcopatuum Russiæ græci ritus hoc est peculiare, ut omnes proventus temporales iis attributi a fundatoribus fundati sunt et inscripti ipsis templis, et sub titulo Sanctorum, in quorum honorem templa Deo dicata sunt: v. gr., metropoliæ Kioviensis fundatio est templo S. Sophiæ cum omnibus fundis inscripta. Quocirca si hoc templum unitis auferretur, cui annexa est fundatio illius archiepiscopatus, omnes ejus proventus simul auferri possent; neutrum autem licet ob causas supra allatas. Merito ergo S. Athanasius, episcopus Alexandrinus, anno Christi 349, ut refert Baronius, rogatus ab Imperatore Constantino, ut saltem unam ecclesiam Alexandriæ Arianis concederet, id quod eorum episcopus Leontius postulabat, nolens id facere elusit Imperatorem, petendo ab eo ecclesiam Arianorum, quæ erat Antiochiæ, pro usu catholicorum ; quæ postulatio etiamsi æqua videretur Imperatori, Arianis tamen non est visum simile Athanasio beneficium præstare, eo quod viderentur a catholicis Ariani multis rationibus superati, si illam ecclesiam catholici haberent.

Simili constantia, sed magis aperte, Sanctus Ambrosius Justinæ Imperatrici arianismo infectæ noluit concedere basilicam, quam ab eo pro Arianorum usu petebat: et cum eam violenter Gratianus Imperator Ambrosio etiam nolenti eripuisset, tamen Arianis eam non dederat, nimirum ut Ambrosio restitueret, quemadmodum scribit Baronius ad annum Christi 380, nº 7. Deinde cum anno Christi 386 eandem negatam conaretur eripere (ut scribit Ambrosius ab Auxentium epistola 32, et Baronius ad illum annum), Ambrosius populo catholico unanimiter secum consentiente obstabat; et quando comes militaris cum expeditis volebat Ecclesiam eripere, omnes catholici obtulerunt se neci pro Christo. Tandem anno Christi 338, cum catholici, auctore episcopo quodam, judæorum synagogam, et monachis incitantibus Valentinianorum hæreticorum templum, in quo triginta dii colebantur, exussissent in oppido Callinici, et Theodosius Imperator iratus edixisset, ut et synagogam judæis et fanum Valentinianis instaurarent, Ambrosius literis Orientalium admonitus, tanta libertate apud Imperatorem egit pro revocando decreto, ut scripserit ei : *Erit locus judæorum perfidiæ factus de exuviis Ecclesiæ? et patrimonium quod favore Christi acquisitum est christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum?* Deinde in persona Dei, quam Valentiniani contumeliis afficiebant, sic allocutus est in concione, audiente populo, Imperatorem : *Ego te Imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego inimicum tuum in tuam redegi potestatem, ego te triumphare sine labore feci, et tu de me inimicis meis donas triumphos?* Ita Paulinus in *Vita* S. Ambrosii, et Ambrosius epist. 29. Quæ plane omnia applicari possunt præsenti affectationi non-unitorum, ecclesiam S. Sophiæ unito archiepiscopo eripere volentium.

Hinc sequitur, nec episcopatum Luceoriensem posse adimi moderno episcopo et tradi non-unito, ut prætendunt non-uniti. Quia majus inde sequeretur præjudicium Ecclesiæ, quam ex traditione Premisliensis episcopatus, non nisi post mortem moderni Premisliensis episcopi uniti exequenda. Et moderno Luceoriensi episcopo unito major injuria fieret, si quidem id ei adimeretur, quod jure pleno et legitimo acquisivit et actu possidet.

Cum ergo supra in responsis ad secundum quæsitum ostenderim, non posse tradi non-unitis episcopatum Premisliensem etiam (1) post mortem moderni uniti Premisliensis, multo minus potest tradi Luceoriensis vivente adhuc et suum episcopatum possidente moderno [antistite] unito.

Confirmantur hæc omnia responsa in genere, ut opinor, validissime. Quia et a Summis Pontificibus et a Regibus Poloniæ Magnisque Ducibus Lithuaniæ et Russiæ data et confirmata sunt nominatim solis Romano Pontifici obedientibus Ruthenis unitis omnia eorum jura et privilegia. Qui ergo ex illis aliquid au-

(1) In MS. *primum*.

ferre unitis et tradere non-unitis vellet, contra jura unitorum faceret, ac proinde injuriam illis inferret, nec posset nisi lege injusta ea illis adimere, quæ illis solis (nequaquam vero schismaticis nominatim) jure Pontificio et Regio immo et totius Reipublicæ nostratis competant, quod sic ostendo.

Quod jura Pontificia peculiaria pro Ruthenis unitis faciant, omissis decretis Summorum Pontificum a me supra relatis, hæc nominatim rem evincunt :

1° Rescriptum Pii II ad Regem Poloniæ Casimirum Jagellonidem an. 1450 [immo 1458] missum; in quo scribit, antecessori suo Callixto III Isidorum metropolitam totius Russiæ et archiepiscopum Kioviensem resignasse hunc archiepiscopatum, et Calixtum ejus loco alium (nomine Gregorium, archimandritam S. Demetrii Constantinopolitani cum S. R. E. unitum) nominasse, eique omnes episcopos et episcopatus græci ritus (quos ibi distincte nominat, præsertim Kioviensem, Premisliensem, Luceoriensem, Haliciensem, etc.) subdidisse; proinde se eos commendare protectioni regiæ, et rogare ut Jonam schismaticum, qui se intruserat in dictam metropolim, pœnis coerceat; legitimo autem metropolitæ Gregorio cum S. R. E. unito obedire faciat omnes alios græci ritus episcopos, et homines in regno Poloniæ existentes etc. Ergo omnes episcopatus et ecclesiæ Russiæ unitis speciali decreto Pontificis sunt applicatæ; ac proinde sine injuria non possunt ab illis auferri, et non-unitis tradi.

2° Exstant litteræ Isidori metropolitæ Kioviensis, Legati a latere Sedis Apostolicæ, decem (?) annis antiquiores, scriptæ an. 1440, in quibus testatur hic et Græcos et Ruthenos fuisse in unione. Ergo et ecclesiæ et episcopatus Ruthenorum hinc erant unitorum. Minime possunt ergo ab eis auferri et dari non-unitis.

3° Sed et longe ante hæc tempora, nempe a Summo Pontifice [Urbano Secundo], institutum est festum translationis corporis S. Nicolai Myrensis die 9 maii ; quod festum Græci rejecerunt, ut capiti Romano inobedientes, quasi id in opprobrium illorum factum esset, quod tantus thesaurus ex Oriente in Occidentem translatus fuisset. Rutheni autem omnes solennissime dictum festum, a primæva sui institutione, celebrant. Ergo jam ab illo tempore, et quidem antiquissimo, et ecclesiæ et episcopatus et totus populus Ruthenorum erat in unione cum S. Romana Ecclesia.

4° Inveniuntur apud unitos litteræ Macarii metropolitæ Russiæ ad Sixtum IV Pontificem Maximum circa annum 1485 (1) scriptæ, a pluribus et magnis viris spiritualibus et sæcularibus subscriptæ atque, ut præferunt, per insignes Ruthenos nobiles Romam missæ. In quibus metropolita Russiæ, cum suo clero et populo non modo se unitum esse profitetur, sed supplicat etiam [Romano scil. Pontifici], ut jubilæum pro sola Russia mittat. Ergo tunc etiam fuit unio cum S. Romana Ecclesia et quidem cum subjectione ad eamdem.

(1) [Ponendus erat annus 1476 quo certo certius litteræ hæ gravissimæ fuerunt scriptæ; item loco Macarii legendus Misael].

5° Denique Clemens VIII Pontifex Maximus omnes Ruthenorum archiepiscopatus et episcopatus in gremium Ecclesiæ rursus recepit, anno 1495 ; *episcopatus*, inquam, cum suis episcopis et illorum successoribus et populo. Etiamsi ergo numquam alias unio in Russia fuisset, satis esset illam ab eo tempore cœpisse, et talia incrementa sumpsisse : satis quoque, ut pro unitis jura pontificia militarent.

Quod jura a regibus Poloniæ Ruthenis data speciatim pro unitis faciant, id patet :

1° Quia Wladislaus Jagello, rex Poloniæ, anno Christi 1387, statim post suam ad fidem catholicam conversionem, vetuit regio diplomate, ne ulli matrimonia contraherent (scilicet valido quoad jura municipalia contractu), nisi prius præstarent obedientiam S. Romanæ Ecclesiæ, ad quam se perducturos omni modo suos omnes in Lithuania et Russia subditos ibidem asserit, aitque id se suo firmasse juramento. Cum ergo eo tempore matrimonii contractus usitati fuerint, et ipse suo juramento satisfecerit : dubitari non potest, eo tempore unionem Ruthenorum, si non omnium, saltem multorum in Lithuania et Russia viguisse, præsertim inter principes Ruthenos (qui in illo diplomate tamquam testes ejus ab eo nominantur) et inter sacerdotes græci ritus, ad quos spectabat matrimoniis ita contrahendis assistere. Ergo ab initio regni Jagellonis uniti possidebant suos episcopatus ; non possunt ergo hi unitis adimi, et non-unitis tradi.

2° Wladislaus Jagellonides, ejus filius, anno 1443, in suo diplomate, commemorata cum gaudio unione facta inter Græcam et Latinam Ecclesiam sub Eugenio IV, dat in perpetuum sic unitis episcopis et ecclesiis Ruthenorum græci ritus, omnia illa jura, libertates, consuetudines, quibus gaudent Poloniæ et Hungariæ archiepiscopi et episcopi, prælati et alii spirituales ; et ne illi a sæculari magistratu, præsertim in terris Russiæ, et aliis vicinis turbentur. Item omnes villas, et bona omnia eorum, quocumque modo vocentur, quæ antiquitus ad ecclesias eorum videbantur spectare, et quæ hactenus in quavis terra, ac districtu habebant, cum omnibus juribus illis restituit, et confirmat.

3° Casimirus Jagellonides, anno 1454, promittit suo diplomate se omnes incolas sui regni in juribus, eis datis ab antecessoribus suis, integre conservaturum. Ergo hæc ipsa jura unitorum ab antecessore collata confirmat. Idem Casimirus edicto suo regio prohibuit, ne schismatici suas synagogas restaurarent et tanto minus novas erigerent.

4° Joannes Albertus rex Poloniæ,anno 1496, confirmando jura subditis suis ab antecessoribus collata, etiam jura unitorum confirmat.

5° Alexander rex Poloniæ eadem jura similiter confirmat in comitiis anni 1505, quæcunque fuerunt ab antecessoribus suis data. Sed expressius anno 1509, Ruthenis unitis favens confirmavit privilegium Wladislai Jagellonidis, iisdem unitis collatum.

6° Sigismundus I rex anno 1510 suo diplomate (ad instantiam principum græci ritus et Josephi Metropolitæ ac aliorum episcoporum unitorum) causas speciales communes ad metropolitam Kioviensem totiusque Russiæ et episcopos ei subjectos, juxta constitutiones canonum eorum catholicæ Orientalis Ecclesiæ, spectantes, vetat a sæcularibus judicari, et eos in illa se immittere. Et omnia jura clero Russiæ præsenti et futuro a suis antecessoribus data confirmat, ritusque latini magnatibus vetat, ne ullam illi injuram inferant, neve in redditus, personas, causas, et judicia spiritualia sese ingerant, aut collationes ecclesiarum græci ritus, quæ spectabant antiquitus ad metropoliam vel episcopatus Ruthenos, in sua habeant potestate. Porro prædictus metropolita Josephus quam fuerit S. R. E. unitus, vel inde dignoscitur, quod Chronica Moschorum S. R. E. inimicissimorum (quæ præ manibus habent Rutheni uniti) aperte dicant, illum absolute fuisse latinum, et a religione græca apostatam, et duntaxat in eo diversum a Latinis, quod lingua slavonica sacrum missæ officium celebraret.

Idem Sigismundus I rex Poloniæ in alio diplomate dato anno 1522, regni sui 16$^{mo}$, testatur vetitum fuisse per diploma Wladislai regis, sui avi, ab Alexandro Vitoldo magno duce Lithuaniæ receptum, ne dignitates ullæ schismaticis conferrentur in Lithuania.

Idem anno 1529 confirmavit privilegium incorporationis magni ducatus Lithuaniæ ad regnum Poloniæ, anno 1413 a Vladislao Jagellone emanatum. In quo hæc formalia habentur verba : *Præterea prædictis libertatibus, privilegiis, et indultis, ii tantummodo domini et nobiles terræ Lithuaniæ debent uti et gaudere, quibus arma et cleinodia nobilium regni Poloniæ sunt concessa, qui sunt christianæ fidei, et subjecti Romanæ Ecclesiæ, non autem schismatici vel alii infideles.*

Idem denique, anno 1543, privilegium a Wladislao Jagellonide datum unitis episcopis confirmavit. Porro autem idem dicendum est de serenissimis regibus ejus successoribus, Sigismundo Augusto, Henrico, Stephano et Sigismundo III, qui omnes in suis coronationibus dum juramento firmarunt se omnia et singula jura, a suis prædecessoribus incolis regni et M. D. Lithuaniæ data, nempe a Wladislao Jagellone, Wladislao Jagellonide, Casimiro, Alexandro et Sigismundo I, in suo vigore conservaturos ; simul etiam jura et immunitates unitorum se defensuros juramento firmabant.

7° Denique etiamsi dubium esset jus unitorum, adhuc, juxta acceptam regulam juris, in dubiis melior est conditio possidentis. Cum ergo uniti sint in possessione horum episcopatuum et ecclesiarum, non possunt illis privari sine injuria. Quocirca nec alienatio hæc concedenda est, nec ei assensus præbendus, etiamsi nescio quæ bona sperentur inde secutura : quia, ut ait Apostolus (Rom. III, 8), non sunt facienda mala, ut eveniant bona ; atque ita ob spem pacis in

regno non sunt concedenda ea, quæ schismatici contra divina et humana jura petunt. Sed imitandus hac in re S. Basilius qui roganti præfecto Valentis imperatoris, ut tempori parceret, et non tot ecclesias propter dogmatum subtilitatem vexari pateretur, respondit : *Se prius omnes mortis species subiturum, quam ut adversariorum petitioni adquiesceret,* ut scribit Theodoretus (Histor. lib. IV, cap. 17.) Sic et Gelasius Papa, in epistola ad Euphemiam, petenti hæretico, ut eis condescenderet, id est, aliquid de religione catholica remitteret pacis gratia, nequaquam assensum præbuit. Hos nostræ religionis patres catholicam in Polonia religionem professi nobiles ac proceres imitari debent.

His, probationis ergo, pro unitis Ruthenis allatis argumentis, venio ad solutionem illorum quæ in favorem disunitorum afferuntur. Quorum in primis occurrit

Objectio 1 : Reges dant per privilegia hos episcopatus unitorum, quod non fit dum dantur latini ritus episcopis nominatim. Ergo signum est esse bona reipublicæ, ac proinde possunt alienari sine censuris.

Resp. 1. Nunc non dari privilegium tale, quale datur v. g. pro capitaneatu aut alio simili Reipublicæ bono ; sed dari tantum præsentationem metropolitæ, ut a Papa impetret collationem beneficii; aliis vero ut a suo metropolita eam obtineant. Hinc constat, per tale privilegium indicari, non spectare hæc bona ad sæcularem, sed ad ecclesiasticam potestatem et jurisdictionem.

Resp. 2. Etiamsi darentur, ut olim schismaticis dabantur, id non præjudicat unitis :

1° Quia schismatici ob schisma et hæresim perdiderunt omne jus ad bona ecclesiastica ; ideo cum tunc non essent uniti quibus illa tradi possent, rex si non de jure, at saltem de facto, usurpabat eadem et donabat cui volebat, deprimens schismaticos : ut innuit Wladislaus Poloniæ et Hungariæ rex Jagellonides in suo diplomate dato unitis anno 1442, et confirmato ab aliis successoribus, ut supra.

2° Etiamsi ita darentur privilegia pro episcopatibus Russiæ, uti pro capitaneatibus, id fieret ex concessu summorum Pontificum, ut hæreticis tali exemplo contra catholicos utentibus, occurrit Bellarminus (lib. 1. De Clericis cap. 7, respondens ad argumentum 9.) At hinc non sequitur bona ecclesiastica subjacere dispositioni sæculari, sed tantum nominationem seu electionem episcoporum; qui tamen cum a Papa pendeant in reliquis, ideo ab illo petenda est concessio earum rerum quas affectant non-uniti. Unde S. Augustinus (epistola 48) cum reprehendisset Donatistas hæreticos, quod apud imperatorem accusaverint Cæcilianum, quem potius apud episcopos transmarinos accusare debuissent, ait imperatorem ordinatius egisse, qui Donatistas ad se venientes remisit ad judicium Melchiadis Romani Pontificis. Et Optatus (lib. 1 Contra Parmenianum) refert Constantinum ægre tulisse, dum Donatistæ ad se appellarent. Quos cum coactus eorum importunitate judicasset, id fecit sub ratihabitione consensus futuri

episcoporum, a quibus postea veniam petiturus erat, ut scribit Augustinus epistola 162, et Gelasius in epistola ad Anastas. Imperatorem: *Subdi*, inquit, *te debere agnoscis religionis ordini potius quam præesse; nosti itaque ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.*

Objectio II. Petunt schismatici villas, non animas ; ergo potest illis condescendi.

Resp. 1° Etiam villæ ab unitis possessæ non possunt dari schismaticis, ob causas prædictas.

2° Etiam animæ cum villis exiguntur ab unitis. Quia in scripto concesso et subscripto in præterito electionis conventu clare et nominatim ponitur administratio sacramentorum, scholæ, seminaria, typographiæ, quæ sunt plus quam villæ.

3° Quærela eorum ista est, quod eorum religio per unitos possideatur. Ergo apparet omnino, suæ religionis promovendæ causa, quod sine jurisdictione in animas non fit, eos id petere, quod petunt.

Objectio III. In Gallia et in Austria a Ferdinando II concessa plura hæreticis, quam a Mathia et Rodolpho. Item a Sigismundo III Poloniæ rege data novissime archimandria Kioviensis schismatico abbati Mohila dicto.

Resp. In Gallia minus est concessum quam ab hæreticis prætensum. Immo Rupella, cum omnibus civitatibus ab hæreticis occupata, quanto sumptu et conatu ob religionis catholicæ præjudicium (quod ibi fiebat) oppugnata ! Ergo contrarium de christianissimo rege præsumendum est. Multo minus condescendit hæreticis Ferdinandus II, qui ecclesiarum immunitatem vindicavit, etiam cum periculo vitæ propriæ. Rex Sigismundus dedit archimandriam Peczierensem Mohilæ, quia hic promiserat unionem. Tandem errores non sunt allegandi.

Objectio IV. Passaviensis conventio facit contra nos ; ergo hoc exemplum potest sequi Serenissimus.

Resp. 1° In Passaviensi conventione actum est de iis tantum quæ possidebantur ; non item in casu nostro.

2° Aliud est in negotio Passaviensi, et aliud in nostro. Si quis enim videns eripi sibi rem propriam, tacet quia non potest eam recuperare sine novo suo periculo, non dicitur ille consentire nec donare. Talis est transactio Passaviensis. At hic conantur non-uniti eripere ea quæ non possident, et possidere non possunt.

Objectio V. Hæreticis est servanda fides, uti docet P. Becanus; ergo et schismaticis.

Resp. P. Becanum in *Manuali controversiarum* (lib. V, c. 16,) tractare hanc quæstionem et asserere, in rebus non malis fidem promissam et pactum cum hæreticis initum esse servandum. At § 10 hæc addit: *Excipio tamen tres casus, quos omnes boni auctores excipiunt, in quibus fides servanda non est.* (Nobis hic satis duo posuisse.) *Primus est: Si promissio vel pactum sit de re turpi aut illicita. Ratio est, quia hujusmodi pactum non obligat, cum nemo possit obligari ad peccatum.* Unde sic infero : Atqui alienare bona ecclesiastica in favorem schismati-

corum, est intrinsece malum, et ex natura sua et ex declaratione Ecclesiæ; ergo quoad hoc non tenet promissio pro schismaticis. Secundus casus ex P. Becano (ib. § 11) est [hic]: *Si pactum vi aut metu cadente in constantem virum injuste extorsum sit.* Tunc enim potest rescindi pro arbitrio ejus, qui injuste vim aut metum passus est. Hinc in jure canonico capite *De his qui vi* sic decernitur : *Unde quæ metu aut vi fiunt, debent jure in irritum revocari.* Et ibidem cap. 4 : *Quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Et in jure civili cap. *De his qui vi* L. Ullam : *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* Et ratio est, quia qui metum (1) aut vim injuste incussit, injuriam alteri intulit. Ergo tenetur illum in priorem statum restituere, et alter habet jus exigendi hanc restitutionem. Hæc Becanus. Scimus autem, qui tempore hujus interregni fuimus in duobus conventibus generalibus Varsaviæ, hæreticos et schismaticos extorsisse ea quæ obtinuerunt, incusso metu duplici : nempe Cosacorum adversantium, ni eis permitterentur, quæ permissa sunt, et præsertim hæreticorum ac schismaticorum nuntiorum, nolentium quidquam concedere, ni eis promitterentur eorum petita.

Objectio VI. Juramento promissæ sunt hæ conditiones schismaticis, in conventu coronationis stabiliendæ ; et alii reges jurarunt servare schismaticorum jura.

Resp. 1. Non dubito Serenissimum Regem jurasse in hac materia, eo modo quo bona conscientia jurare potuit. Et scio ab ejus confessario, eum nil jurare voluisse, nisi id quod omnibus placiturum erat. Sciebat enim nil quidquam in hac Republica libera posse valide statui, etiam in bonum Reipublicæ, sine omnium prorsus consensu, juxta jura et praxim regni hujus. Unde sic infero : non omnibus placuerunt hæc capitula schismaticorum, ut docent protestationes Ordinum. Ergo.

Resp. 2. Etiamsi Serenissimus jurasset eo modo et fine quem intendebant schismatici, adhuc non teneretur tale juramentum exequi propter has præcipue causas : 1° Quia juramentum de re illicita, hoc est, cujus executio est peccatum, non est servandum nec obligat ; et peccatum est, si servetur, juxta omnium Doctorum sententiam etiam hæreticorum. Involvit enim contradictorium : obligari scilicet quemquam ad peccatum. Unde bene in jure canonico apud Gratianum c. 22, q. 4. per varia capitula decernitur : *Juramenta illicita laudabiliter solvuntur, damnabiliter observantur. Sacramentum non est vinculum iniquitatis.*

2° Quia juramentum non est servandum, nec obligat quando est contrarium canonibus et legibus. Unde invalidum est juramentum clerici, quo renunciaret privilegio fori. Est enim hoc ei prohibitum cap. *Si diligenti*, de foro competenti. Ubi statutum est : nec juramentum licite servari potuit quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur. In jure vero civili L. *Si quis inquilinus*, de legatis et fideicommissis § finali, Severus et Antoninus rescripserunt : *Jusjurandum contra vim legis et auctoritatem juris in testamento scriptum nullius esse*

(1) In MS. *malum.*

*momenti*. Et ratio est : quia major est obligatio publicæ legis, quam privati juramenti. Ergo illa potius servanda est quam hæc. Hoc sensu dixit Innocentius capite jam citato : *Pactione privatorum juri publico minime derogatur*. Et Papinianus L. Jus publicum § de pactis : *Jus publicum privatis pactis mutari non potest*. Et regula juris est (*L. Neque pignus* § de diversis regulis juris) : *Privatorum conventio juri publico non derogat*.

3° Juramentum non est servandum nec obligat, quando promissio tribuit licentiam peccandi (Less. lib. II, c. 42, dub. 4, n° 9). Vel quando juratur id, in quo potest esse peccatum (Ibid., c. 17, dub. 7, n. 54, ubi ait : *Invalidum esse juramentum quo vir jurat uxori, se non accusaturum illam de ullo crimine ; quia fieri potest, ut teneatur illam accusare. Unde cap.* Quemadmodum *de jurejurando dicitur : Tale juramentum esse* temerarium.)

4° Juramentum metu gravi extortum, si non sit de re licita, non obligat (Less. lib. 2, ap. 42, dub. 6, n. 26 et alii auctores ab eo citati n. 29). Unde l. 2, cap. Si adversus venditum, dicitur : *Per vim autem vel metum injustum extorta sacramenta, etiam a majoribus, maxime ne querimoniam maleficiorum commissorum faciat, nullius esse momenti jubemus*. Ita Justinianus imperator.

II

# CATALOGUS

## PROFESSORUM QUATUOR VOTORUM PROV. LITUANICÆ

### ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTUS.

(ab an. 1617 ad an. 1665).

| *Nomen professi.* | *Tempus.* | *Locus.* | *Nom. excipientis.* |
|---|---|---|---|
| Bruchman Andreas | 14 junii 1617 | Pultoviæ | Florian. Kosinski |
| Marquart Jacobus | 17 dec. 1617 | Vilnæ | Simon Niklewicz |
| Hasius Jacobus | 14 jun. 1618 | id. | id. |
| Wierzbicki Paulus | 25 mart. 1621 | id. | August. Vivaldus |
| Kownacki Michael | 11 jul. 1621 | Vilnæ | id. |
| Ugniewski Simon | 16 jul. 1623 | id. | Michael Ortiz |
| Radomislensis Stanislaus | id. | id. | id. |
| Kowalewski Andreas | 8 mart. 1626 | Varsaviæ | id. |
| Henicius Adamus | 13 jun. 1627 | id. | Joan. Jamielkowski |
| Akerbau Joannes | 18 apr. 1627 | Vilnæ. | id. |
| Jachnowicz Joannes | id. | id. | id. |
| Gruzewski Georgius | 10 oct. 1627 | id. | id. |
| Tyminski Christophorus | id. | id. | id. |
| Zalewski Christophorus | id. | id. | Joan. Gruzewski |
| Simon Petrus | id. | Nesvisii | Mich. Ortiz |
| Hepner Urbanus | id. | Vilnæ. | Joan. Jamielkowski |
| Luszkowski Andreas | 28 jan. 1629 | Nesvisii | id. |
| Kinder Hieronymus | 15 jul. 1629 | Pultoviæ | id. |
| Schultz Lucas | id. | id. | id. |
| Drosdowski Matthæus | id. | Plociæ | id. |
| Sarbiewski Matthias | 23 sept. 1629 | Vilnæ | id. |
| Jaguza Augustinus | id. | id. | id. |
| Garbowski Gaspar | id. | id. | id. |
| Milewski Andreas | 12 maii 1630 | Pultoviæ | Joan Jamielkowski |
| Bobola Andreas | 2 jun. 1630 | Vilnæ | id. |
| Szczepkowski Valerianus | 14 jul. 1630 | Nesvisii | Albert. Slaski |
| Schönhoff Gregorius | 22 sept. 1630 | id. | Joan. Jamielkowski |
| Hoffman Gregorius | 11 nov. 1630 | Vornis | Mich. Karnocki |
| Klinger Andreas | 5 febr. 1631 | Varsaviæ | Joan. Jamielkowski |
| Danilewicz Georgius | 17 jul. 1633 | Vilnæ | Nicol. Lancicius |
| Buywid Joannes | 29 sept. 1633 | Possavii | Mich. Berzanski |
| Sobolewski Adamus | 25 febr. 1636 | Vilnæ | Jacob. Lachowski |

| *Nomen professi.* | *Tempus.* | *Locus.* | *Nom. excipientis.* |
|---|---|---|---|
| Lauxmin Sigismundus | 25 feb. 1636 | Vilnæ | Jacob. Lachowski |
| Ginkiewicz Michael | 13 jul. 1636 | id. | id. |
| Szczepkowski Andreas | 1 oct. 1636 | Nesvisii | Christoph. Zalewski |
| Olszynski Gaspar | 22 febr. 1637 | Varsaviæ | Jacob. Lachowski |
| Krieger Oswaldus | 1 mart. 1637 | Vilnæ | Philip. Frisius |
| Hintz Georgius | 19 apr. 1637 | Brunsbergæ | Jacob. Lachowski |
| Clagius Thomas | id. | id. | id. |
| Menczynski Franciscus | 17 maii 1637 | Pultoviæ | Gregor. Cislak |
| Rosenwalt Andreas | 23 maii 1638 | Brunsbergæ | Andreas Klinger |
| Kossakowski Albertus | 11 jul. 1638 | Vilnæ | Jacob. Lachowski |
| Klimaszewski Melchior | id. | id. | id. |
| Oleszkiewicz Barthol. | 21 sept. 1638 | Crosis | Adam. Sobolewski |
| Wyskowiec Joannes | 3 oct. 1638 | Polociæ | Gregor. Hoffman |
| Szylpa Joannes | 30 nov. 1638 | Pinsci | Jacob. Lachowski |
| Ostrozanski Stanislaus | 20 febr. 1639 | Orsæ | August. Jaguza |
| Setnicki Martinus | 13 mart. 1639 | Vilnæ | Melchior Schmollingk |
| Chondzynski Joannes | id. | id. | id. |
| Zaluski Lucas | 29 jun. 1639 | id. | Jacob. Lachowski |
| Cieciszewski Albertus | id. | id. | id. |
| Rywocki Joannes | 29 jun. 1639 | Vilnæ | Jacob. Lachowski |
| Tomislawski Stanislaus | 2 jul. 1640 | Nesvisii | Andreas Luszkowski |
| Stepkowski Vladislaus | 12 aug. 1640 | Smolensci | Paulus Kozlowski |
| Pasurkiewicz Jacobus | 25 nov. 1640 | Crosis | Adamus Sobolewski |
| Kocimowski Andreas | 26 jan. 1642 | Vilnæ | Fabric. Banfa ( Visitator ) |
| Filipowski Joannes | 24 sept. 1642 | Polociæ | Joan. Jamielkowski |
| Kownacki Stanislaus | 19 oct. 1642 | Vilnæ | id. |
| Erenst Andreas | 16 nov. 1642 | Nesvisii | id. |
| Vgoski Jacobus | id. | id. | id. |
| Skowid Valentinus | id. | id. | id. |
| Kreitz Carolus | 6 jan. 1643 | Resselii | id. |
| Reich Stephanus | id. | id. | id. |
| Kosinski Valentinus | id. | Crosis | Jacob. Pasurkiewicz |
| Paprocki Lucas | 24 febr. 1643 | Plociæ | Joan. Jamielkowski |
| Pozega Bartholomæus | 25 mart. 1643 | Crosis | Jacob. Pasurkiewicz |
| Zielenski Matthæus | 29 mart. 1643 | Pultoviæ | Andreas Milewski |
| Kojalowicz Albertus | 12 apr. 1643 | Vilnæ | Joan. Gruzewski |
| Storymowicz Simon | 24 maii 1643 | id. | Joan. Jamielkowski |
| Dindowicz Andreas | 14 maii 1643 | id. | id. |
| Jablonowski Simon | id. | id. | id. |
| Ozierko Stephanus | 22 jul. 1646 | Nesvisii | Thomas Clagius |
| Porzecki Thomas | 1 nov. 1646 | Vilnæ | Melchior Schmollingk |
| Osuchowski Jacobus | 11 nov. 1646 | Smolensci | Joan. Jachnowski |
| Althoff Petrus | 31 mart. 1647 | Brunsbergæ | Gregor. Hintz |
| Soll Carolus | 10 jun. 1647 | Varsaviæ | Jacob. Marquart |
| Bobinski Stanislaus | 29 sept. 1647 | Nesvisii | Thomas Clagius |
| Leski Samuel | 28 oct. 1647 | Crosis | Joan. Jamielkowski |
| Andrzeykiewicz Joannes | 21 nov. 1647 | Varsaviæ | Jacob. Marquart |
| Hecker Nicolaus | 1 jan. 1648 | id. | id. |
| Gzowski Matthæus | 18 oct. 1648 | Orsæ | Simon Jablonowski |

| *Nomen professi.* | *Tempus.* | *Locus.* | *Nom. excipientis.* |
|---|---|---|---|
| Kuklinski Albertus | 1 nov. 1648 | Vilnæ | Michael Ginkiewicz |
| Chlewinski Christophorus | id. | id. | id. |
| Przygodski Stanislaus | 3 jan. 1649 | Polociæ | Jacob Ugoski |
| Blaszkowski Joannes | 24 jan. 1649 | Brunsbergæ | Gregor. Hintz |
| Szygowski Albertus | 29 sept. 1650 | Varsaviæ | J. Bapst. Adriani |
| Ozarowski Bartholomæus | 18 dec. 1650 | Nesvisii | Andreas Szczepkowski |
| Zieniewicz Andreas | 2 febr. 1651 | Polociæ | Joannes Rywocki |
| Raczynski Daniel | id. | Pultoviæ | Thomas Porzecki |
| Koppel Michael | 5 febr. 1651 | Varsaviæ | Albert. Slaski |
| Czyzewski Joannes | 26 febr. 1651 | Smolenci | Joan. Rywocki |
| Guzewski Andreas | 16 mart. 1651 | Crosis | Jacob. Pasurkiewicz |
| Peplowski Albertus | 23 apr. 1651 | Grodnæ | Albert. Kuklinski |
| Maffon Simon | 16 apr. 1651 | Vilnæ | Joan Rywocki |
| Butwil Daniel | 24 maii 1651 | id. | id. |
| Krzyzanski Valentinus | 8 maii 1651 | Varsaviæ | Albert. Slaski |
| Radau Michael | 9 jul. 1651 | Brunsbergæ | Joannes Rywocki |
| Sawicki Joannes | 1 oct. 1651 | Pultoviæ | Thomas Porzecki |
| Skarzewski Daniel | 27 aug. 1651 | Nesvisii | Andreas Szczepkowski |
| Wardacki Adamus | 8 sept. 1652 | Varsaviæ | Michael Ginkiewicz |
| Kaczynski Albertus | id. | Plociæ | Joan. Andrzeykiewicz |
| Zembrzuski Bartholomæus | id. | Vilnæ | Jacob Ugoski |
| Ziemblicki Bartholomæus | id. | Resselii | Albert. Kuklinski |
| Roth Bernardus | id. | Brunsbergæ | Thomas Clagius |
| Kojalowicz Casimirus | id. | id. | id. |
| Kuhn Joannes | id. | id. | id. |
| Odachowski Joannes | id. | Pinsci | Andreas Wilkewicz |
| Swierczewski Joannes | id. | Brunsbergæ | Thomas Clagius |
| Mierzejewski Laur. Casimir. | 8 sept. 1652 | Vilnæ | Jacob. Ugoski |
| Kopec Nicolaus | id. | Nesvisii | Andreas Szczepkowski |
| Laskowski Paulus | id. | Polociæ | Sigism. Lauxmin |
| Sadikowski Simon | id. | Vitebsci | Melchior Klimaszewski |
| Zalewaka Stephanus | id. | Vilnæ | Jacob. Ugoski |
| Malewski Florianus * | 26 sept. 1652 | Caunæ | Nicol. Lancicius |
| Gnatowski Joannes | 15 sept. 1653 | Polociæ | Stanisl. Przygodski |
| Rudzinski Ladislaus | 21 sept. 1653 | Kiernoviæ | Alb. Kojalowicz |
| Starzynski Matthias | id. | Caunæ | Samuel Leski |
| Szeroki Michael | id. | Grodnæ | Jacob Ugoski |
| Slaski Nicolaus | id. | Smolensci | Joan. Szylpa |
| Mazowecki Michael | id. | Sielkoviæ | Jacob. Osuchowski |
| Czachorowski Dominicus | 16 nov. 1653 | Plociæ | Lucas Paprocki |
| Szepietowski Albertus | 4 oct. 1654 | Nesvisii | Oswald Krüger |
| Gozewski Casimirus | id. | Vilnæ | Albert. Kojalowicz |
| Pogorzelski Andr. Casim. | 11 oct. 1654 | Pultoviæ | Jacob. Osuchowski |
| Lagowski Joannes | id. | id. | id. |
| Jawor Joannes | 25 oct. 1654 | Brunsbergæ | Nicolaus Hecker |
| Kuderowski Samuel | id. | Novogrodeci | Joan. Chondzynski |

* Ita diserte P. Rostowski (Lituan. Hist. lib. X. n. 7, pag. 360); [at] in codice Brugensi nomen P. Florian Malewski desideratur.

| *Nomen professi.* | *Tempus.* | *Locus.* | *Nom. excipientis.* |
|---|---|---|---|
| Lock Edwardus | 25 oct. 1654 | Brunsbergæ | Nicol. Hecker |
| Wolodkowicz Casimirus | 15 nov. 1654 | Vilnæ | Albert. Kojalowicz |
| Szrubowski Franciscus | 1 oct. 1656 | Crosis | Barthol. Zembrzuski |
| Stibig Andreas | 30 nov. 1656 | Illuxti | Stanisl. Kownacki |
| Menkalski Albertus | 22 jul. 1658 | Crosis | Barthol. Zembrzuski |
| Oblomowicz Jos. Ignatius | id. | Nesvisii | Stanisl. Przygodski |
| Zawlicki Joannes | 25 jul. 1658 | Pultoviæ | Albert. Kuklinski |
| Rogalski Balthasar | 28 jul. 1658 | Resselii | Bernard. Roth |
| Fenner Jacobus | 31 jul. 1658 | Brunsbergæ | Gorgonius Ageyson |
| Olszewski Michael | 8 jun. 1659 | Clagenfurti | Joannes Frei. |
| Stempell Matthias | 22 jun. 1659 | Brunsbergæ | Gorgon. Ageison |
| Skorobohaty Stanislaus | id. | Pultoviæ | Jacobus Ugoski |
| Rybski Andreas | id. | Crosis | Daniel Butwil |
| Boszey Ignatius | id. | Pultoviæ | Jacob. Ugoski |
| Von Svinder Gerhardus | 15 aug. 1659 | Pinsci | Stanisl. Przygodski |
| Rymkowicz Adamus | 22 jun. 1659 | Varsaviæ | Gorgon. Schönhoff |
| Juchnowicz Joannes | id. | Brunsbergæ | Gorgon. Ageison |
| Lubecki Joannes | id. | Crosis | Daniel Butwil |
| Gawlowicki Martinus | 31 jul. 1659 | Vilnæ | Joannes Jachnowicz |
| Domnarowicz Elias | 8 dec. 1659 | Firmi | J. Bapst. Tartalia |
| Srzedzinski Sebastianus | 28 oct. 1660 | Mediolani | Franc. Vasco |
| Poplawski Adamus | 13 mart. 1661 | Scepusii | Andreas Bornemissa |
| Jeleniewicz Venceslaus | 14 apr. 1661 | Illuxti | Matthias Lapynski |
| Mlodzianowski Andreas | 8 maii 1661 | Crosis | Daniel Butwil |
| Grabowski Adamus | 22 jul. 1661 | Sankoviæ | Gorgon. Ageison |
| Gabriel Jacobus | 4 sept. 1661 | Resselii | Andreas Klinger |
| Wroblewski Martinus | 8 jan. 1662 | Plociæ | Andreas Pogorzelski |
| Paszkowski Gaspar | 2 apr. 1662 | Pinsci | Martinus Gawlowicki |
| Berent Joannes | 16 apr. 1662 | Illuxti | Stanisl. Kownacki |
| Danquart Balthasar | 15 aug. 1662 | Resselii | Andreas Klinger |
| Loknicki Georgius | id. | Plociæ | Andreas Pogorzelski |
| Meinck Fridericus | id. | Possavii | Joannes Rywocki |
| Radig Joannes | id. | Brunsbergæ | Joannes Blaszkowski |
| Sigismundi Joannes | id. | Resselii | Andreas Klinger |
| Telszewski Michael | id. | Nesvisii | Andreas Wollowicz |
| Woyciunowski Petrus | id. | Crosis | Sigism. Lauxmin |
| Jedick Melchior | 2 febr. 1663 | Brunsbergæ | Joan. Blaszkowski |
| Papinski Casimirus | id. | Crosis | Sigism. Lauxmin |
| Matyszewicz Christophorus | id. | Vilnæ | Joan. Rywocki |
| Niswandt Joannes | id. | Brunsbergæ | Joan. Blaszkowski |
| Krasnodembski Adamus | id. | Pultoviæ | Jacob. Ugoski |
| Austen Petrus | id. | Varsaviæ | Albert. Kuklinski |
| Czyrski Alexander | 15 aug. 1663 | Possavii | Francisc. Szrubowski |
| Boym Benedictus Paulus | id. | Vilnæ | Alb. Kojalowicz |
| Wobb Martinus | 2 febr. 1664 | Brunsbergæ | Joan. Blaszkowski |
| Karnicki Joannes | id. | Grodnæ | Hieron. Dziewaltowski |
| Obrembski Joannes | id. | Plociæ | Andreas Pogorzelski |
| Tylkowski Albertus | 15 aug. 1664 | Brunsbergæ | Joan. Blaszkowski |
| Przanowski Paulus | 15 aug. 1664 | Brunsbergæ | Joan. Blaszkowski |

III

# IDEM CATALOGUS

secundum litterarum ordinem dispositus.

Akerbau, anno 1627.
Althoff, 1647.
Andrzeykiewicz, 1647.
Ansten, 1663.
Berent, 1662.
Blaszkowski, 1649.
Bobinski, 1647.
Bobola, Andr. 1630.
Boszcy, 1659.
Boym, 1663.
Bruchman, 1617.
Butwil, 1651.
Buywid, 1633.
Chlewinski, 1648.
Chondzynski, 1639.
Cieciszewski, 1639.
Clagius, 1637.
Czachorowski, 1653.
Czyrski, 1663.
Czyzewski, 1651.
Daniliewicz, 1633.
Danquart, 1662.
Dindowicz, 1643.
Domnarowicz, 1659.
Drozdowski, 1629.
Erenst, 1642.
Fenner, 1658.
Filipowski, 1642.
Gabriel, 1661.
Garbowski, 1629.
Gawlowicki, 1659.
Ginkiewicz, 1636.
Gnatowski, 1653.
Gozewski, 1654.
Grabowski, 1661.
Gruzewski, 1627.
Guzewski, 1651.
Gzowski, 1648.
Hasius, 1618.
Hecker, 1648.
Hennicius, 1627.
Hepner, 1627.
Hinz, 1637.
Hoffman, 1630.
Jablonowski, 1643.
Jachnowicz, 1627.
Jaguza, 1629.
Jawior, 1654.
Jedick, 1663.
Jeleniewicz, 1661.
Juchnowicz, 1619.
Kaczynski Alb. 1652.
Kaczynski Dan., 1651.
Karnicki Joan., 1664.
Kinder, 1629.
Klimaszewski, 1638.
Klinger, 1631.
Kocimowski, 1642.
Kojalowicz Alb., 1643.
Kojalowicz Cas., 1652.
Kopec, 1652.
Koppel, 1651.
Kosinski, 1643.
Kossakowski, 1638.
Kowalewski, 1626.
Kownacki Mich., 1621.
Kownacki Stan. 1643.
Krasnodembski, 1662.
Kreitz, 1643.
Krieger, 1637.
Krzyzanski, 1651.
Kuderowski, 1654.
Kuhn, 1652.
Kuklinski, 1648.
Lagowski, 1654.
Laskowski, 1652.
Lauxmin, 1636.
Leski, 1647.
Lock, 1654.
Lokniki, 1662.
Lubecki, 1659.
Luszkowski, 1629.
Maffon, 1651.
Malewski, 1652.
Marquart, 1617.
Matyszewicz, 1663.
Mazowecki, 1653.
Meinck, 1662.
Menczynski, 1637.
Menkalski, 1658.
Mierziejewski, 1652.
Milewski, 1630.
Mlodzianowski, 1661.
Niswandt, 1663.
Oblomowicz, 1658.
Obrembski, 1664.
Odachowski, 1652.
Oleszkiewicz, 1638.
Olszewski, 1559.
Olszynski, 1637.
Ostrozanski, 1639.
Ozarowski, 1650.
Osuchowski, 1646.
Ozierko, 1646.
Papinski, 1663.
Paprocki, 1643.
Pasurkiewicz, 1640.
Paszowski, 1662.
Peplowski, 1651.
Pogorzelski, 1654.
Polawski, 1661.
Porzecki, 1646.
Pozega, 1643.
Przanowski, 1664.
Przygodski, 1649.
Raczynski, 1651.
Radau, 1651.
Radig, 1662.
Rodomislensis, 1623.
Reich, 1643.
Rogalski, 1658.
Rosenwald, 1638.
Roth, 1652.
Rudzinski, 1659.
Rybski, 1659.
Rymkowicz, 1659.
Rywocki, 1639.
Sadikowski, 1551.
Sarbiewski, 1629.
Sawicki, 1651
Schönhoff. 1630.
Schultz, 1629.
Setnicki, 1630.
Sigismundi, 1662.
Simon, 1627.
Skorobohaty, 1659.
Skarzewski, 1651.
Skowid, 1642.
Slaski, 1653.
Sobolewski, 1636.
Soll, 1647.
Srzedzinski, 1650.
Starzynski, 1653.
Stempell, 1659.
Stempkowski, 1640.
Stibig, 1656.
Storymowicz, 1643.
Swierczewski, 1652.
Szepietowski, 1654.
Szczepkowski A., 1663.
Szczepkowski V., 1630.
Szeroki, 1653.
Szrubowski, 1656.
Szygowski, 1650.
Szylpa, 1638.
Telszewski, 1662.
Tomislawski, 1640.
Tylkowski, 1664.
Tyminski, 1627.
Ugniewski, 1623.
Ugoski, 1642.
Von Svinder, 1659.
Wardacki, 1652.
Wierzbicki, 1621.
Wobb, 1664.
Wolodkowicz, 1654.
Woyciunowski, 1662.
Wroblewski, 1662.
Wyskowiec, 1638.
Zalewaka, 1652.
Zalewski, 1627.
Zaluski, 1639.
Zawlicki, 1658.
Zembrzucki, 1652.
Zielenski, 1643.
Ziemblicki, 1652.
Zieniewicz, 1651.

# PROFESSI QUATUOR VOTORUM AD PROVINCIAM LITHUANIÆ SPECTANTES

(ab anno 1564 ad anno 1617).

Abircrombi Robertus, prof. 6 dec. 1584.
Alabianus Garcias, 27 julii 1586.
Arias Antonius, prof. anno 1585.
Argentus Joannes, prof. an. 1585.
Arturus Laurentius, prof. an. 1590.
Bartilius Laurentius, 1 jan. 1608.
Bartsch Fredericus, 1 augusti. 1590.
Becanus Michael, 25 septemb. 1592.
Boxa Paulus, prof. 22 jan. 1589.
Brocus Adam. 3 vota 1570, quartum 1578.
Busaeus Thomas, prof. anno 1585.
Busau Andreas, 30 septemb. 1595.
Campanus Joan. Paulus, prof. anno 15..?
Carminata Joan. Bapt. visitator an. 1581.
Confalonerius Bernardus, prof. an. 15..?
Dandinus Hieronym., visit. et provincialis.
Ditius Melchior, prof. 28 maii 1592.
Fabricius Petrus, Nesvisii, 6 aug. 1590.
Fabricius Valentinus, Vilnæ, 14 nov. 1610.
Frisius Philippus, Vilnæ, 3 aug. 1612.
Good Guilhelmus, inter elect. Claudii 1580.
Gos Joannes, Pultaviæ, 30 junii 1612.
Gos Simon, Vilnæ, 22 nov. 1609.
Grodzicki Stanislaus, 27 julii 1586.
Gruzewski Joan., Nesvisii, 1 dec. 1613.
Guisanus Antonius, prof. 18 maii 1587.
Herbestus Benedictus, 15 sept. 1585.
Iliniszko Hieronymus, 1 maii 1596.
Jamielkowski Joannes, Vilnæ, 25 jul. 1616.
Jankowski Joannes, 24 augusti 1595.
Kasprowicz Joan., Vilnæ, 8 sept. 1610.
Kolozembski Adamus, Lomzæ, 12 jan. 1614.
Komparski Joan. Vilnæ, 8 sept. 1610.
König Joannes, Herbipoli, 29 jun. 1572.
Krakierus Leonardus, Jaroslaviæ, 1591.
Lachowski Jacobus, Vilnæ, 5 febr. 1612.
Lancicius Nicolaus, prof. 15 maii 1611.
Laterna Martinus, Romæ, 25 augusti.... ?.
Leemans Andreas, Vilnæ, 13 april. 1614.
Leleszy Joannes, prof. anno 1585.
Lenowski Joannes, Vilnæ, 7 april. 1602.
Matthæi Valentinus, Vilnæ, 8 dec. 1610.
Moller Petrus, prof. 28 junii 1616.
Mroscovius Albertus, Nesvisii, 6 jan. 1590.
Nahajus Gaspar, Cracoviæ, 4 aug. 1596.
Nakiel Andreas, Brunsbergæ, 13 febr. 1610.
Niklewicz Simon, Pultoviæ, 14 feb. 1610.
Norvegus Laurentius, Lovanii, 18 oct. 1571.
Nowacki Andreas, Vornis, 3 januar. 1603.
Obrembski Andreas, Vilnæ, 14 febr. 1610.
Ortizius Jacobus, Pultoviæ, 10 aug. 1597.
Ortizius Michael, Vilnæ, 1 maji 1596.
Rabbus Justus, Lublini, 5 julii 1587.
Roman Sebastianus, Vilnæ, 22 nov. 1609.
Rozdrazewski Stan. 1590 dec. in Con. Nesvis.
Rubenus Leonardus, prof. anno 1584.
Selpa Michael, Vilnæ, 2 febr. 1600.
Skarga Petrus, Vilnæ, 1 augusti 1577.
Smiglecki Martinus, Vilnæ, 1 maii 1596.
Stadfeldius Nicolaus, Vilnæ, 22 dec. 1609.
Sunnerius Franciscus, Pultoviæ, 3 oct. 1560.
Varsevicius Stanislaus, inter prof. an. 1576.
Vidmanstadius Philippus, inter. prof. 1676.
Vidziewicz Martinus, 10 aprilis 1611.
Vivaldus August. Brunsbergæ, 22 oct. 1570.
Vonderau Georgius, Vilnæ, 1 jan. 1592.
Vujek Jacobus, prof. Pultoviæ, 3 vota 1568, quartum ibidem 14 julii 1571.
Vzorek Stanislaus, Vilnæ, 1 jan. 1592.

# INDEX

## HISTORICUS ET ANALYTICUS

NOTA. *E duobus numeris commate disjunctis prior indicat paginam, posterior numerum lateralem. Litteræ* aep. *significant archiepiscopum,* C *coadjutorem,* ep. *episcopum. — Crassiori typo distincta sunt nomina Sociorum.*

C.

D

## E.

H.

## I.



## J.

## K.

## L.

Q.



R.

## S.

## T.



## U.

## V.

X.



Z.

# INDEX GEOGRAPHICUS

D



E



F



G

## H



## I



## J



## K.



## L.

## M.



## N.



## O.



## P.

## R.



## S.

## T



## U



## V

## SYLLABUS INDICUM



## CORRIGENDA.

Lege
Pag. 3, lin. 17 : Erfordiensi.
» 13. l. 10 et 18 : Lanoio.
» 16, l. adde ad marg. numerum 7.
» 30, l. 12 adde n. 7 in tit. marginali.
» 66, in nota : du Saussay.
» 120, l. 14 : Lukiszki.
» 166, l. 9 : anno 1591.
» 172, appone n. 6 secundo titulo marg.
» 175, in nota : *Conciones diversæ*, variis.
» 240, l. 4 : et vero.
» 245, l. 22 : Lituaniæ.

Lege
» 257, Liber sextus.
» 275, l. 23 : *Boha zabili*
» 288, l. Ultimo titulo adde : n. 44.
» 290, l. 1. adde n. 45.
» 309. Adde n. 17 in ultimo titulo.
» 321, l. 28 : Pinscensis.
» 344, in nota : Aquilæ.
» 369, l. 29 : diro pro divo.
» 373, l. 1. pone an. 1653, et ante n. 11 annum 1654.
» 455, l. 22 : anno 1595.
» 480 : Kenstort pro Kensbert.

BRUXELLIS. — TYPIS ALFREDI VROMANT.


BADOUREAU